Digitized by Google


EX ELECT ORALI
BIBLIOTHE CA SERENIS
VTRIVSQ BAVARIÆ
DV CVM.
MDCC XLVI

<36624647380019

<36624647380019

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

4 J. publ. e. 49-2

Digitized by Google

4° J. Publ. Eur. 49

Hist. Europ.

...inius.

Digitized by Google

ACTA
PACIS OLIVENSIS
INEDITA
TOMVS II
IN QVO
DIARIA
SVECICVM DANICVM
CVRONICVM
E TABVLARIIS AC BIBLIOTHECIS
NVNC PRIMVM PROLATA
CONTINENTVR
RECENSVIT ILLVSTRAVIT
OBSERVATIONES ADIECIT
IOHANNES GOTTLOB BOEHMIVS
HISTORIOGR. SAX. HIST. PROF. P. O. LIPS

VRATISLAVIAE
APVD GVILIELMVM THEOPH. KORNIVM
A. C. CIↃ IↃ CC LXVI

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

ADOLPHO FRIDERICO

SVECORVM GOTHORVM VANDALORVM

REGI

NORVEGIAE PRINCIPI HEREDI

SLESVICI HOLSATIAE DVCI

PRINCIPI OPTIMO

PIO FELICI

DOMVS REGIAE HOLSATICAE

IN SVECIA CONDITORI

FELICITATIS PVBLICAE

STATORI

LITTERARVM ATQVE ARTIVM

RESTAVRATORI

L. M. Q. CONSECRAT

IOHANNES GOTTLOB BOEHMIVS

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

ILLVSTRISSIMVM EXCELLENTISSIMVM

D O M I N V M

IOH. HARDVICVM ERNESTVM

L. B. A B E R N S D O R F

SERENISS. REG. DAN. COMITEM CONSIST

ORD. ELEPH. EQVITEM

INDVLGENTISSIMVM PATRONVM

P R O O E M I V M

Primum horum Actorum Volumen quum olim ad TE, DOMINE, miſiſſem, quod rerum inprimis talium TV aeſtimator et intelligentiſſimus, et aequiſſimus, totum hoc inſtitutum meum liberaliter valde adiuuares, non ſolum honorificentiſſimo ipſe iudicio illud probaſti, verum etiam hoc amplius, vt auctoritate TVA commendatum eſſet Diuo FRIDERICO, Regi Optimo, effeciſti. Quae Regis benigniſſima voluntas quamquam ipſa ſola, per ſe, inſtar ſummi ac maxime optabilis beneficii et fuit mihi, et eſſe debuit: huius tamen

beneficii et magnitudinem auxit, et dignitatem ſplendidiorem reddidit publica illius, eaque vere Regia ſignificatio. Nam in admirabili illa maximarum virtutum abundantia, quarum aliis Maiorum gloriam aequabat, aliis ſuperabat, hac praecipue excelluit, quod artium ſtudia non tantum inter ſuos foueret atque aleret, verum etiam alio ſub caelo ingenia hominum ad pulcra auſa excitaret atque accenderet. Ego certe tanti Principis nutu, tot inter alia inuitamenta, quaſi inflammatus, coeptum Actorum Oliuenſium opus vt perficerem, alterumque Volumen in lucem emitterem, diligenter adlaboraui.

Atque id dum in conſpectum nunc produco, inprimis TV mihi compellandus es viſus, ILLVSTRISSIME DOMINE, vt meae, aduerſus TE, maximae obſeruantiae documentum aliquod non modo ad huius noſtrae aetatis, ſed etiam ad futurae memoriam exſtaret. Nec vero mihi rem ab hoc pietatis meae officio alienam, aut minus TIBI gratam facturus videor, ſi, quem in hoc Volumine adornando modum tenuerim, TIBI potiſſimum, cui maxime illum probatum velim, exponam. In qua quidem deſcriptione, quoniam vniuerſe de toto inſtituto alibi ſatis eſt dictum, ne TVA tempora morer, nunc breuior eſſe potero.

Ac primum quibus ego verbis, qua ſatis digna oratione, propenſiſſimam ADOLPHI FRIDERICI, Suecorum Regis, Principis Sapientiſſimi, voluntatem erga me praedicem? Nam

quod

quod in illa nominis famaeque meae obſcuritate vix auſus eram ſperare, vt Commentariorum, de Pacificatione Oliuenſi, exemplum e Tabulario Regio mihi recenſendum euulgandumque permitteretur, id intellecta inſtituti ratione Rex Optimus, idemque litterarum amantiſſimus, facile precibus meis adnuit. Qua re quantum beneficium praeſtitum ſit et mihi, et reliquis Hiſtoriae cultoribus, et vero etiam Hiſtoriae ipſi, ad incorrupta rerum monimenta exigendae, ii, quorum de hoc genere iudicium eſt, (eſt autem neminis vllius, TVO, DOMINE, acrius atque exactius,) et clare perſpicient, et libenter agnoſcent. Itaque illud ego totum, quod in manus meas venit, exemplum, hoc eſt, *Protocolli Suecici* Partes poſtremas duas, quae ab congreſſione Legatorum, habita Oliuae die tertia et viceſima Martii, vſque ad Pacem confirmatam, atque adeo longius quam Commentaria reliquorum, procedunt, hoc totum, inquam, exemplum typis exſcribendum curaui. Vt autem extremam illam partem, quae de ratihabitione eſt, contra quam olim conſtitueram, nunc ſimul ederem, cauſſa non vna inductus ſum atque permotus. Illud enim Pacis confirmandae atque expediendae negotium quum a Paſtorio ceteriſque ſcriptoribus praetermiſſum, in his vero Legatorum Suecicorum Actis Diurnis tam diligenter expoſitum ſit: huius mihi editionis conſilium non potuit non tum rei ipſius grauitas, tum induſtria ſcriptoris, iniicere. Praeterea non erat Actis illis, iam ſic maxima ſui parte per fatorum iniquitatem mutilis,

tilis, haec etiam, quam dixi, noſtro facto demenda. Qua in re quod quam plurimis gratum eſſet, me ſpero feciſſe. Iam vero narrationis ipſius fidem atque integritatem, nec rei geſtae obſcuritate dubiam, nec ſcriptoris ingenio fluxam, non eſt, quod multis aut rationibus demonſtrem, aut verborum lenociniis commendem. Nam quae duae omnino virtutes in rerum auctoribus maxime cernuntur, veritatis ſcientia et ſtudium, eas in Diarii huius ſcriptore, Godofredo Schroeero, cumulate fuiſſe, res ipſa loquitur. Quippe is, Legationi Suecicae ab epiſtolis, quotidie vt quaeque res geſta inter Legatos erat, ita in Commentarios retulit, nulla vſus arte, nullum orationi veluti fucum illinens: contentus, quae in tanta feſtinatione ſiue nollet ornare, ſiue non poſſet, ſincera ac fideli opera ad praeſentem vſum litteris mandare. Ex quo eius inſtituto iudices non ſuperciliosos de ſcripturae genere par eſt exiſtimare, adeo exili atque impexo illo, vt aliquando me quoque, hominem non ita delicatulum atque elegantem, male habere videretur. Quo magis verendum mihi eſſe intelligo, ne, quicumque non tam res, quam verba ſpectare ſolent, ii Ephemeridum Fragmenta haec intacta relinquant, atque ad bibliothecarum altos receſſus, tamquam ad carceres, ableganda putent. In qua ſollicitudine mea me tamen erigit obfirmatque TVVM, EXCELLENTISSIME DOMINE, iudicium, aliorumque ſummorum virorum complurium, apud Vos inprimis Thottiorum, Reuentlouiorum; quibus,

quibus, et ſimilibus, ſtudium noſtrum haud diſplicuiſſe, in parte felicitatis meae maxima, iure pono.

Iam quae in hoc Volumine Commentaria Suecica ſequitur Chriſtophori Parſbergii, Legati Danici, Narratio, eam TVO beneficio, DOMINE, primum e Tabularii latebris extractam in medium adfero, me quidem auſpice e Danico ſermone in Latinum conuerſam ab Ludouico Pontoppidano, Viro doctiſſimo. Atque is quam diligentem in hac re poſuerit operam, quam apte cuncta luculenterque reddiderit, optime TV, ſi tantum TIBI a grauiſſimis Reipublicae negotiis otii erit, videbis. Ego certe Latinam hanc verſionem quo magis ſimilem Theotiſcae illi, ab Illuſtriſſimo Domino, Friderico Ludouico Moltkio, Comite, concinnatae ac mihi beneuole donatae, cognoui, eo magis probandam ac collaudandam exiſtimaui. Acceſſit autem et noſtrae non nihil operae. Nam quum inueſtiganti mihi Pacificationis Oliuenſis monimenta id quoque contigiſſet fortunae, vt Epiſtolas Parſbergii, ſuper Legatione ſua perſcriptas, mecum humaniſſime communicaret Langebecius, Vir Ampliſſimus atque Celeberrimus: iis ego, cum hac Narratione ſtudioſe collatis, vſus ad res varias illuſtrandas, neceſſe habui plures atque vberiores adnotationes adiicere. Ex Publicis vero Actis, quorum item abs TE perbenigniter facta mihi eſt copia, DOMINE INDVLGENTISSIME, delegi, praeter alia pauca lectu inprimis digna, Schlippenbachii, Legati Suecici, Libellum,

iam tum clam habitum, neque poſtea in lucem vmquam emiſſum.

His, de quibus nunc dictum eſt, iunxi Melchioris Felkerſamii, Cancellarii Curonici, Diarium, vt ipſe vocat, Dantiſcanum, tanto maiori illud in pretio habendum, quanto maioris momenti in Conuentu Oliuenſi Curoniae res, omninoque Liuoniae, fuerunt. Atque illius exempla, in maxima talium raritate, ad me adeo bina, huc vſque in ſummorum virorum ſcriniis recondita, perueniſſe, licet praecipue apud TE, beneuolentiſſimum ſtudiorum noſtrorum patronum, gloriari. De altero iam dixi alibi: nec nomen tamen viri magni, cuius ad me humanitate miſſum erat, tum auſus ſum profiteri. At non patitur diutius iſtis ſe quaſi repagulis cohiberi pietas mea, quin erumpens Illuſtriſſimi Korfii, Ruſſorum Auguſtae ad Daniae Regem Legati, ſanctum litteris ac venerandum nomen ipſa quoque venerabunda pronunciet. Huius igitur alterum eſt, quo vſus ſum, exemplum: alterum pari benignitate ab Illuſtriſſimo Bulouio, Electoris Saxonis Comite Conſiſtoriano, Viro noſtra laude ac praedicatione maiori, nobis conceſſum fuit, aliquot locis plenius illud quidem, ſed mancum in extremis. Ego Felkerſamii hoc Diarium e Theotiſco Latinum quum facerem, id maxime operam dandam putaui, vt ſolutiorem narrationem quaſi compeſcerem, ne crebrior earumdem rerum repetitio vel obtunderet lectorem, vel prorſus auerteret. Ceterum

Digitized by Google

terum ab noſtra oratione, vti ornatum, ita rubiginem, abeſſe volui. Perſpicua vt eſſet, ſummopere adlaboraui. Id me ſi adſequutum inprimis TV, tanta dignitate atque auctoritate, idemque tanta indulgentia iudex, ſtatueris: non erit profecto ſtudii atque induſtriae vllus alius mihi nec maior fructus, neque iucundior.

Haec fere ſunt, EXCELLENTISSIME DOMINE, quae de Volumine hoc Oliuenſium Actorum altero breuiter ſummatimque exponere volui. Nam piaculum duxi hoc tali tempore, quo in laetiſſimis imperii noui auſpiciis tot ac tanta negotia ſuſtines, longo TE ſermone detinere: quamuis non ſim neſcius, animum TE a grauioribus curis iucundiſſime inter litterarum ſtudia ſolitum eſſe remittere.

De Obſeruationibus autem, quas promiſſi memor adieci, dicere aliquid paene ſuperuacaneum videtur. In iis eumdem, quem in ſuperioribus, modum ſequutus, rebus in Oliuenſi Conuentu diſceptatis aliquid lucis adfundere, Hiſtoriaeque ſtudia pro mea virili adiuuare ſum adniſus. Inter haec, quum res ipſa admoneret, de Imperii Germanici priſco, in Liuoniam, iure vberius diſſerui, vt vulgatam ſententiam, quamquam multis magniſque auctoribus defenſam, extra teli tamen coniectum non eſſe arguerem. Qua in re haud inutilem ac vanum laborem me putem ſuſcepiſſe. In pleriſque aliis capitibus explanandis, tum rerum inopia preſſus, tum vt

Digitized by Google

voluntati alienae potius, quam meae morem gererem, breuior fui. Atque illam ipſam Oliuenſis Pacis ac Vueſtphalicae Collationem, quae fortaſſe non ingrata talium curioſis fuerit, ſpecimine tantum aliquo oſtendi, ne vadimonium, vt aiunt, deſeruiſſe viderer. Verum ego, qui de ipſis Diariis parcius dixi, cur TE harum quidem mearum Obſeruationum ſiue commemoratione ſiue excuſatione morer? Has TV, DOMINE EXCELLENTISSIME, pro ſingulari TVA indulgentia, aequi bonique conſules: atque adeo totum hoc Volumen praecipue propter auſpicia, quibus in lucem prodit, beneuole TIBI commendatum habebis. Scripſi Lipſiae, Prid. Id. April. A. C. MDCCLXVI.

DIARIVM

Digitized by Google

DIARIVM
PACIFICATIONIS
OLIVENSIS

A DIE XXIII MART. A. CIƆIƆCLX

NVNC PRIMVM

EX

REGNI SVECIAE TABVLARIO

IN LVCEM PROLATVM

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS IV

PROTOCOLLI SVECICI

EORVM QVAE TVM OLIVAE VSQVE AD PROMVLGATAM PACEM TVM SOBOTHI VSQVE AD ABITVM ILLVSTRIS. REGNI THESAVRARII ACTA SVNT

Actum Oliuae d. $\frac{13}{23}$ Martii 1660.

Circa nonam matutinam Oliuam venimus, nondum aduentantibus Polonis et Confoederatis, qui poſt dimidiam fere horam aduenerunt. Dn. Mediator et Dn. Abbas[*] obuiam venerunt Dnis Legatis noſtris, et Abbas quidem illos oratione Latina votiua excepit. Cui Dn. Regni Theſaurarius diſerte reſpondit reciprocis votis: et deducti ſunt ad conclauia[**] tam Dni Legati, quam comitatus eorum, qui modicus et fere ordinarius fuit, quinque rhedis, qualibet ſex equis egregiis vectis, ſatellitio vel milite ſtipatorio nullo, pediſſequis tantum et Ephebis praecedentibus.

Vbi Dn. Abbas abiiſſet, Dn. Mediator Proiectum Inſtr. Pacis Dnis Legatis noſtris tradidit: commutatumque ſimiliter eſt noſtrum Proiectum.[***] Polonicum perlectum eſt: et differentiae, atque notanda, vt ſequitur, reperta ſunt. Suecicum conſtitit Articulis LVIII. Polonicum et Foederatorum XXIV. reſeruata vtrinque libertate addendi et minuendi. In primo Proiecto, per Dominum de Lumbres commu-

[*] Alexander a Bautzendorff Keſowski. Hoc ipſius nomen circumſcriptum eſt imagini caelatae, quam apud me habeo, ab Gedanenſibus amicis beneuole transmiſſam. In inſcriptione Oliuenſi, quam in Libro ſingulari Obſ. p. 251. deſcripſi, adpellatur *Alexander Keſowski.*

[**] Conf. DIARIVM CVRONIC. ad h. d.

[***] Conf. PASTORII Diarium ad h. d. p. 161. Ipſas formulas edidi in Actis Pacific. et quidem Polonicam No. XLVIII. p. 94 ſq. Suecicam No. L. p. 112.

nicato, exſtitit: "Sereniſſimum Principem Dominum Carolum Guſtauum." Hic autem: "Sereniſſimum Principem Dominum, Dominum Carolum Guſtauum:" deeſt *Potentiſſimum.** — *Et Belli Socios* additum eſt ad verba: ac Eiusdem Maieſtatis et Reipubl. Poloniae Foederatos.— In titulis vbique vſi ſunt abbreuiationibus: Eiusque Heredes ac Succeſſores, Regna ac Prouincias: vbi deeſt, *Poſteros. Dn. Dn.* apud Elector. ſicut apud Regem et Caeſarem; item tres *etc. etc. etc.* Non habent: *Prouincias mediate vel immediate.*— *Per ſuos,* additum.— Clauſulam ſaluatoriam adhuc habent de foederibus: quod non fuit in priori Concepto. — Articulus Amneſtiae ita eſt, vt in priori Proiecto, conceptus: vbi guarantiam huic puncto inſerunt.— Item ſequuti ſunt ſuum Proiectum primum: vbi nos de amneſtia plures Articulos fecimus, illi omnia vno puncto comprehenderunt. — *Siue poſt Nobiles,* obſcurum. — *Circa ſubſcriptionem Inſtrumenti*, in priori non fuit. — *Debita Sueciae vt ſoluantur,* in priori non fuit: iam poſtulatur.— Intra octiduum a die ſubſcriptionis et Reſtit. Ducis Curlandiae. Fiat. — Caſſatio Decretorum etc. — Nauigatio Mitauiam etc. — Vt in priori fuit Articulus de Curlandiae Duce; ita et nunc eſt. — De Captiuis: *Niſi aliter etc.* additum eſt. Poſtulantur plura, quae ſequuntur. Quod Poloni Stetini non grauentur teloniis vlterioribus, quam domeſtici. Reſeruatio Iuris Patronatus, ſuper Hoſpitale S. Brigittae Romae. Item de exſulibus Sueciae et Liuoniae, vt illi reſtituantur. Item bona Dni Gyldenſtierna vt refundantur. Ceſſio Liuoniae, Oſiliae etc. Liberum exercitium religionis Catholicae in Liuonia reſeruetur. Patkul vt bonis reſtituatur.** Dalenſis Inſula vt Duci Curlandiae reſtituatur. De Fugitiuis acceſſit aliquid. Parua Liuonia, ſiue *Ruſſiten*, etc. vt maneat Polonis. Marienburgum intra duos dies vt reſtituatur a ſubſcriptione. Guarantia cui mandanda, etc.

Vbi hoc modo fere totum Proiectum Polonicum erat transcurſum, litterae diuerſae certitudinem de morte Glorioſiſſimi Regis noſtri proh dolor! adferunt. Vnde ſumma oritur conſternatio mentium, et perturbatio animorum Dnis Legatis noſtris. Idem confirmante

* Conf. PASTORII Diarium Polonicum, pag. 157.

** PASTORIVS ad d. VI Martii, p. 220. *Patkelum* vocat: ad quem locum nos

mante Dn. Legati Terlonis relatione, et a Brandeburgicis Legatis communicata Copia litterarum noui Regis noſtri Clementiſſimi, Domini Caroli XI. ad Dnum Regni Admiralium, Comitem Wrangelium datarum. Inter dolores iſtos acceſſit Dnus Mediator de Lumbres, et condolentiam conteſtans, eloquentibus argumentis ſolatus eſt moeſtiſſimos quidem, ſed quantum poſſibile fuit, luctum diſſimulantes Dnos Legatos, promittendo Regis Chriſtianiſſimi zelum, et curam, praeſertim quum ipſi ſuprema tutela Regis noſtri minorennis commiſſa per teſtamentum ſit, et ſuam Legati ipſius indefeſſam operam in futurum quoque. Actis gratiis decentibus, ad negotium pacis itur. Et Dn. Mediator, quantum ad primum punctum, non putat magnam differentiam in Polonico. Dnus Regni Theſaurarius, omnino eſſe differentiam. Et ipſa Sua Excellentia legit hoc punctum. Ille, quod debeant mutari, vt decet, promittit. Foedera etc. explicat Dn. Mediator, vt reſtringantur, in quantum non ſint contraria huic paci. Dn. Regni Theſaurarius, quod antiqua foedera manere poſſint. Dn. Mediator petit, addi tantum clauſulam modo dictam; et maneat in generalibus. Dn. Comes Oxenſtierna: Non poſſe manere, quae Varſauiae confirmata ſunt. Dn. Comes Schlippenbach: Brandeburgenſium hoc eſſe. Dn. Regni Theſaurarius foedus Bidgoſcianum, ſi non contrariaretur S. R. M. et Regno Succiae, non impugnari; alias manere non poſſe. Dn. Gyldenklau: Omnino contrariari. Quoad amneſtiam Dn. Mediator: Primum generaliter poni amneſtiam ad totum tempus LX et amplius annorum; deinde reſtringi ad hoc quinquennale bellum, in poſtulatis ſpecialibus ciuitatum, inprimis Elbingae: peti itaque amneſtiam generalem, vt omnia reparentur, ſicut fuerunt ante totum illud bellum. Dn. Regni Theſaurarius: Ipſam impoſſibilitatem obſtare. Dn. Gyldenklau: Poſſe aboleri haec verba. Dn. Mediator referet: et ideo ſe ad alterius Partis Commiſſarios recepit.

Poſt dimidiam fere horam rediit, et retulit, dicere Polonos de iis vrbibus, cum quibus iam ſit capitulatum, non eſſe de nouo concordandum, quia ſtabitur Capitulationibus.*** De iis, cum quibus non-

nos quaedam diximus, n.* Sic et adpellatur in Proiecto Polonico, inter Acta Pacific. pag. 100.

*** Conf. PASTORII Diarium Polonic. pag. 158 ſq.

nondum capitularunt, volunt iam tractare, ſed ad impoſſibilia non poſſe adſtringi. Quae concordata ſint inter Electorales, non poſſe infringere Polonos, quia obligantur. Ciuitates Boruſſiae amiſiſſe priuilegia, ſumendo arma aduerſus Poloniam. Dn. Comes Schlippenbach: Non obligari plus, quam alios. Monſtrari poſſe, multos Palatinatus tractaſſe cum S. R. M. Sueciae.* Dn. Regni Theſaurarius: Ciuitates Boruſſiae armis noſtris coactas, ſequutas Polonos eſſe, Rege Poloniae ex Regno abſente in Sileſia. Dn. Mediator defendit quaeſtionem, quod amiſerint ſua priuilegia atque beneficia. Iam quando Poloni dicant, ſe velle ipſis omnia illa iterum concedere, non eſſe opus particularibus poſtulatis, quoad ciuitates Boruſſiae. Quaeſtionem eſſe, an Rex Poloniae plus obligetur, ad tractandum cum Dno Electore, quia in Comitiis Varſauienſibus ſint illa pacta confirmata, vt non poſſint reſilire? Ita quaeri amplius, an potius debeant infringi priuilegia Elbingenſium, quia ipſi fuerunt in cauſſa, vt ſupra dictum eſt, arma ſumendo? Dnus Comes Schlippenbach: Satis notum eſſe, Elbingenſes non fuiſſe ſui iuris et potentiae, quia fuerunt derelicti: neminem eos aduerſus arma noſtra protexiſſe: ergo nihil eorum culpa factum eſſe. Dn. Mediator: Polonos abſolute declaraſſe, ſe non poſſe reſilire a capitulatione cum Dno Electore facta, atque eumdem promiſiſſe, ſe velle priuilegia ipſorum conſeruare. Dn. Regni Theſaurarius: Quomodo hoc poſſit fieri, ſiquidem Priuilegium Caſimiri ſit,** ne a corpore Boruſſiae ſeparetur, abſcindatur, alienetur, ſequeſtretur, etc. Dn. Legatus Gyldenklau: Aliam rationem eſſe ſubiectionis ciuitatum Boruſſiae, quam de iure communi. Eas tantum eſſe ſubditos fiduciarios. Dnus Mediator: Videre ſe magnam difficultatem. In iſto Articulo Polonos confirmatos eſſe, quod nolint recedere a fide data Dn. Electori. Ergo neceſſe eſſe, vt poſſit concordari, ne infringantur

* Inprimis Poſnanienſis, atque Caliſſienſis: de quibus vid. PVFENDORFIVS Commentar. de rebus Caroli Guſtaui, Lib. II. §. 15. Formulam ipſam *Compoſitionis* exhibet RVDAVSCIVS Hiſt. Pol. Lib. V. pag. 164.

** Priuilegium, quod vocant, Incorporationis apud PRILVSIVM, alios. In eo verba, ad quae hoc loco reſpicitur, ita habent: — *Praedictas terras, et dominia fauore, gratia, beneuolentia et affectione proſequatur, et contra quaſcunque aduerſitates, impugnationes quorumcunque hominum, illis praeſtabit Regalem aſſiſten-*

Digitized by Google

tur priuilegia Elbingenſium, nec Poloniae Rex a fide data recedere habeat neceſſe. Dn. Comes Schlippenbach: Elbingenſium priuilegia non oportere infringi: rem ita concordandam eſſe, vt neutri fiat iniuria. Dn. Regni Theſaurarius: Nos concedere non poſſe, vt periclitentur Elbingenſium, et reliquarum ciuitatum Boruſſiae priuilegia. Dnus Mediator: Velle ſe periculum facere, quo primum punctum amicitiae poſſit accordari: et ſurrexit, ſeque ad Dnos Polonicos Commiſſarios recepit.

Poſt reditum Dn. Mediator retulit, quod Dni Poloni velint deliberare, et cras hora VIII. matutina continuandus congreſſus ſit. Non diſplicuit noſtris Dnis Legatis, melius tamen exiſtimantibus, vt fiat congreſſus horis matutinis, vtpote a IX vſque ad IV vel V pomeridianas. Dnus Mediator, experturus mentem alterius Partis, abiit, et redux poſtulauit, vt craſtina matutina VIII vſque ad primam pomeridianam continuatio fieret. Placuit: et Sobothum nos diſceſſimus, illi quisque ad ſua hoſpitia.[*]

Actum Oliuae d. $\frac{14}{24}$ Martii, horis ab VIII matutinis.

Abſente Domino Regni Theſaurario propter valetudinem, Dn. Mediator, habere ſe ait, quod proponat, nomine tam Dnn. Polonorum, quam Confoederatorum, in negotio Danico, quod profert in charta, ſub inſcriptione: *Declaratio ſuper negotio Danico.* Quae videatur apud Acta.[**] Dn. Comes Oxenſtierna ad Collegas, lingua Suecica: Exiſtimare ſe, reſpondendum eſſe, vti antea, nempe, duobus in locis tractari non poſſe. Conformarunt ſe Dn. Comes Schlippenbach, et Dn. Legatus Gyldenklau. Itaque Dn. Comes Oxenſtierna talia reſpondet, et ad litteras Dn. de Terlon ſe refert, qui ſcripſit, tractatum in Selandia ferme ad concluſionem perductum eſſe. Quieſcit interea

aſſiſtentiam, et defenſam, nec illas a corpore et integritate Regni Poloniae alienari, ſequeſtrari, et ſcindi patiatur.

* Praeterea Theotiſco ſermone addita haec: *Sonſt hat man die Pagen, Laquaien und Kutſcher nicht erhalten können, daſs ſie ſich nicht zuſammen geſtohlen, mit einander im Kruge getruncken, Brüderſchafft gemacht, und ſehr freundtlich mit einander umgegangen. — Quod pro bono ſigno habebatur.*

** Edita eſt in DIARIO EVROP. P. VIII. App. p. II. et in LONDORPII Actis Publ. T. VIII. p. 653.

interea Dn. Mediator, et producitur ipſi Copia declarationis Dnn. Legatorum Suecicorum, in Dania, quam perlectam Dnis Polonicis, et Collegatis vult communicare: recapitulatque, duo eſſe, aut, vt tractatus in Dania continuentur, aut abrumpantur, et huc transferantur. Dn. Comes Schlippenbach: Quia ferme ad concluſionem peruentum ibi ſit, incongruum eſſe, huc transferri tractatum illum. Non enim eſſe aliud, quam temporis protractionem. Miſſa hac quaeſtione, Dn. Mediator ad noſtrum negotium progreditur:* et quidem circa primum punctum amicitiae parum eſſe dixit difficultatis, maiorem circa ſecundum, nimirum amneſtiae: praeſertim circa Elbingam interrogat, quid noſtri declarent.

Dn. Comes Oxenſtierna: Dnos Commiſſarios Partis alterius ſe deliberaturos dixiſſe: itaque exſpectari eorum declarationem. Dn. Mediator: Illos heri reſpondiſſe, quod videlicet impoſſibile ſit rumpi tractatum Bidgoſcienſem, propter Elbingam: dicere ſe, quod Dn. Elector in ſe receperit, Elbingenſibus ſua priuilegia, quae hoc bello amiſſa ſint, velle conſeruare. Dolendum eſſe, hunc Articulum in primo limine tractatus reddere difficiles: debuiſſe reiici in finem ad Articulum, vbi de Elbingae traditione agitur.** Dn. Legatus Gyldenklau: Poſſe illuc remitti. Cui voto conformant ſe Dni Comites, et Mediator relaturus eſt alteris. Antequam tamen abiit, ſtando proponebat, vt inter tractatum et concluſionem conueniretur de medio, ſiue expediente, quo ſatisfiat Electori in accordata ſumma CCCCM. thalerorum, quae vel Ciuitas Elbingenſis ipſa ſoluat, vel ſi ea non poſſet, forte Dantiſcum ſub certa conditione faceret. Reſponſum per Dnn. Comites Oxenſtiernam et Schlippenbach, non poſſe Elbingae tale onus imponi, quae, dum vi maiori cedere coacta fuiſſet, nihil deliquiſſet: Dantiſcum, non eſſe e re, vt immiſceatur:**** immo, tractatum Bidgoſcienſem ad hos tractatus non pertinere. Quibus abiit ad Polonos, et Confoederatos. Poſt

* Conf. PASTORII Diarium Polonic. ad h. d. pag. 163 ſq.

** Secundum PASTORIVM loc. comm. haec et talia non Poloni ad Mediatorem, ſed Mediator ad Polonos: qui quidem illi nolebant adnuere.

*** PVFENDORFIVS Rer. Brandeb. Lib. VIII. §. 70. *Adquieſcebat Elector, de Elbinga nihil Inſtrumento pacis inſertum, quod ſibi fraudi foret. — Ipſe enim eam vrbem, ex qua prouinciae ſuae ingentia damna data erant, vel poſſidere,* *vel*

Poſt reditum Dn. Mediator adfert iterum illam declarationem Legatorum Polonorum et Foederatorum, ſuper negotio Danico, de dato Dantiſci XI Mart. A. MDCLX. a Secretario Legationis Polonae ſubſcriptam, et petit declarationem admiſſionis, et procuratoriorum commutationis, reſolutionemque in ſcripto, a Secretario noſtro ſubſcriptam, qualis haec Polonorum eſſe cernitur. Dn. Comes Oxenſtierna nomine Collegii, poſtquam inter ſe conſultaſſent Dni Legati noſtri, reſpondit, duobus in locis tractari non poſſe, non ſemel reſponſum eſſe: vbi tamen tractatus in Selandia abrumpatur, et conſenſu partium tam tractantium, quam mediantium omnium id fiat, tum nos velle hic praeſtitis praeſtandis Legatos Danicos, hac tamen conditione, admittere, ne per illud negotium huic tractatui vel mora, vel impedimentum, vel damnum inferatur. Quae declaratio etiam dabitur in ſcripto. Perrexit Dn. Mediator ad Polonicum negotium, et in Articulo, de renunciatione foederum, proponit, vt inſerantur ſub verbis generalibus: *Pacta et foedera, in quantum huic pacificationi non ſint contraria.* Placuit: ſed foedera omnia non eſſe exprimenda. Quoad ſecundum et tertium Articulum, de amneſtia, et Elbinga, eamdem eſſe adhuc quaeſtionem inter Partes, quam ante. Se non petere impoſſibilia, quoad Ducem Curlandiae, Polonos exiſtimare: modo dignentur Suae Excellentiae ſcribere ad Dn. Duglaſſium, vt Dux Curlandiae interea deducatur Rigam. Deliberarunt inter ſe Dni Plenipotentiarii noſtri: et quaerebatur, an ſcribi poſſit, et an Dn. Duglaſſius parere voluerit. Concluſum, et Dn. Mediatori reſponſum eſt, non aliter poſſe ſcribi, niſi per modum notificationis. Iam autem neſcire Dnos Legatos, an Dux Curlandiae ſit ſub cuſtodia Dni Duglaſſii, vel Dni Grundelii de Helmfeldt: et, ſi tractatus fiat infructuoſus, tamen Ducem ducendum iterum Naruam fore. Tandem promiſſum eſt, inſtante Dno Mediatore, dare litteras et ad Dn. Duglaſſium, et ad Dn. Helm-

vel munimentis nudare cupiebat. Cui eludendo agitabatur, vt Gedanenſes quadringenta vncialium millia Electori ſoluerent, ipſique eam vrbem obtinerent. Sed Elbingenſes negabant, ſe tam acerbos dominos habere velle, qui ſine dubio eam vrbem omnibus commerciis priuaturi erant propriae vrbi amplificandae: praeſertim, quia paullo ante Belga quidam obtuliſſet, ſe pro Elbinga peculiarem portum formaturum, foſſa per Nerungam depreſſa. —

Helmſeldt, immo etiam in Sueciam, vt Rigam ducatur: ſed vice verſa Comes Koenigſmarkius Dantiſcum ducatur. Dn. Mediator, quoad cautionem praefati Ducis, petere illos viciſſim, vt etiam Dn. Comes Koenigſmarkius caueat, ſe non vlturum captiuitatem in Dantiſcanis.* Progreditur Dn. Mediator ad reliqua in Proiecto Polonico: ſed quia omnia fere immutata, et alio in ordine poſita ſunt, rogatur, vt velit ex noſtro, et illo altero, tertium ipſe conficere Dnus Mediator. Quod ille promiſit, vt ordine, et maiori cum fructu, progredi poſſint. Collationandi itaque ſunt Articuli, qui loquuntur de reſtitutione Archiuorum, tormentorumque debitorum ſolutione, et commerciorum reſtabilitione. Noſtra poſita eſſe clarius, remonſtratum eſt, ſequendo pacta priora, vti, ſi aliquando hoc vel illud adlegandum ſit, fieri poſſit per Articulos melius, quam per §§. aut verba: immo alias quoque omnia eſſe confuſe poſita.

Dn. Mediator ad rem: poſtulare Polonos, vt Curlandia ſuis conſtituatur finibus, vti primus Dux Curlandiae acceperit: ergo dicere Polonos, ſe non poſſe cedere Liuoniam, niſi eam, quae ſit trans Dunam, ita vt fluuius diuidat, tanquam naturalis terminus. Reſponſum eſt, non poſſe hoc fieri. Hic non inquiri de finibus Liuoniae, ſed tractari de pace, et ceſſione Liuoniae, quae ſemper nobis ſit promiſſa ea, quam tempore induciarum poſſedimus. Quum itaque ſit res promiſſa, non oportere retractari. Dn. Mediator, ſcire ſe quidem iſtam a nobis poſtulari, ſed illos dicere, ſe cedere nolle. Reſponſum eſt, ſi nolint cedere totam, quam poſſedimus tempore induciarum, idem eſſe, ac ſi nolint cedere Liuoniam. Vocatur Dn. Weidenhain, et rogatur,

* Conf. PASTORII Diarium, p. 165.

** Iſtius Tranſactionis inter Fridericum ac Wilhelmum, Curlandiae Duces, et ciuitatem Rigenſem, d. 21 Octobr. An. 1615 initae ac concluſae, duo ad me exempla ſunt tranſmiſſa, alterum a Perill. NETTELBLADIO, in Iudicio Camerae Imperialis, quod Vuezlariae eſt, Aſſeſſore, alterum a Venerando ESSENIO, Rigenſium Eccleſiaſte Primario. In ea igitur, Art. 1. a Curlandiae Ducibus ciuitati Rigenſi ius ceſſum dominii vtilis et vtriusque ripae, in Duna fluuio; cuius dimidiam partem illi huc vſque ſibi, ex prima inueſtitura, vindicauerant. Sed iuuat verba ipſa, quantumuis vulgaria, ſubiicere: — *Obwohl das Fürſtl. Haus Curland ex Inveſtitura ſich des halben Duna-Stroms, und conſequenter ex vigore conceſſarum commoditatum, der freyen Commercien im Ein-und Ausſchiffen, auch mit Niederlegung der Waaren angemaſſet, und der Stadt das Jus utilis dominii, iurisdictionis, directionis et inſpe-*

gatur, exponat, quomodo illud territorium Dalenſe, Spilven etc. de quibus controuertitur, comparata ſint? Is, non habere Ducem Curlandiae, quod praetendat ius in hanc partem, quum ſex ante bellum annis ipſe Dux ciuitati Rigenſi ceſſerit dominium vtile, et ius ripae vtriusque in Duna fluuio: qua de re ſe refert ad tranſactionem de anno MDCXV.[oo] Dn. Mediator: Si ius poſſit addi poſſeſſioni noſtrae, bene eſſe. Poſtulat interea chartam particularem, ſuper hac quaeſtione. Quod promittitur quidem, ſed inſiſtitur, vt ſtetur promiſſis de tota Liuonia, quam per inducias poſſedimus. Non de iure alio quaeſtionem eſſe, niſi vt, ſicut poſſedimus, (ſcilicet per pacta Stumſdorfii,) ita poſſideamus: ſi hoc nolint, pacem fieri non poſſe. Dn. Mediator recipit ſe ad alterius Partis Commiſſarios.

Poſt reditum Dn. Mediator: Dnos Commiſſarios eſſe diuiſos; non poſſe aliquid ab illis obtineri certi reſponſi. Dn. Comes Schlippenbach: Nos ex poſſeſſorio agere. Dn. Legatus Gyldenklau: Hanc eſſe plane conditionem ſine qua non. Dn. Comes Oxenſtierna ſimiliter inſiſtit iſti declarationi. Diu diſceptabatur inter Dnos Legatos noſtros, et Dn. Mediatorem; et ipſi remonſtratur, vt Dux Curlandiae etiam aliquid patiatur, et det paci perpetuae, praeſertim abſtinendo illis particulis, ſi quid habuiſſet iuris, quae ipſi damnum nullum inferant. Tandem poſtulat Dn. Mediator, vt cras detur promiſſum modo Memoriale ſeorſiuum, ſuper hoc Articulo. Demandatur itaque Dn. Conſiliario Weidenhain, vt extrahat ex Actis ſuis, ſi quid ſolidi demonſtrari iuris poſſit, quod accedat poſſeſſioni noſtrae. Reuertit Dn. Mediator ad Articulum de Elbinga, et petit, vt ceſſet contradictio Tractatus Bid-

inſpectionis im ganzen Duna - Strom nicht geſtändig geweſen; dahero auch das vor dieſem gehaltene Krieges - Schiff de futuro abzuſchaffen, wie auch der Schlieſſung des Ausſchiffens tempore neceſſitatis ſich zu enthalten gefordert; dagegen die Stadt auf ihre Privilegien und gehabten Gebrauch ſich bezogen, und dem Fürſtlichen Hauſe das aus den Inveſtituren allegirte Jus nicht geſtehen, oder daſſelbe gut ſeyn laſſen wollen; als iſt endlich ſolche Diſcrepanz folgender geſtalt zu Grunde verglichen und vertragen: Daſs nehmlich Hochgedachte J. J. F. F. G. G. für ſich und ihre folgende Erbherrſchaft ſich des Juris nauigandi, importandi et exportandi merces, item des angeſtrittenen Krieges - Schiffes, wenn ſolches allein aufm Düna - Strohm gehalten, gänzlich begeben, und nun und zu ewigen Zeiten hierüber die Stadt, in und auſſer Gerichts, nicht belangen, turbiren und beſprechen, oder durch andere in ihren Nahmen belangen, turbiren und beſprechen laſſen ſollen und wollen. —

goſcienſis, et ceſſaturam eſſe contradictionem partium Cis-Dunarum: propoſiturum enim ſe eſſe, vt Poloni ſatisfaciant poſtulatis iſtis noſtris. Oppoſuit Dn. Comes Oxenſtierna, quae potuit. Dn. Comes Schlippenbach: Si velint Poloni ſtare promiſſis Electori, ſtent; ad nos vero illum Tractatum non pertinere, et mirandum eſſe, cur Sereniſſimi Electoris Legati quaſi conſenſum et confirmationem noſtram ſuper illo deſiderent. Si Poloni velint tradere Dno Electori Elbingam, viderint, an ſit de intereſſe ſtatus ipſorum. Interrumpitur iſte diſcurſus: et Dn. Mediator poſtulat, vt detur Proiectum noſtrum pro Foederatis quoque. Dn. Legatus Gyldenklau: Illum cras habiturum, ſi non pro ambobus, tamen pro Caeſarianis. Dn. Mediator contentus redditur hoc reſponſo, et ſe ad alteros Dnos Commiſſarios recipit.

Poſt reditum adfert, quod velint complanare hodie primum punctum amicitiae: ſed adparet, quod altera Pars velit omnes confoederationes ſuas inſeri, praeſertim per Velauienſem et Bidgoſcianum Receſſus initas. Reſpondetur ipſi, nos non poſſe, per inſertionem iſtam, confirmare duos iſtos Receſſus, vtpote per directum S. R. M. Sueciae, Dno noſtro Clementiſſimo, contrarios. Si Poloni, et reliqui, nolint inire foedera pro nobis, non oportere quoque, vt ſanciant ea contra nos. Dn. Mediator: Non inſerenda, quae ſint huic pacificationi contraria. Dn. Comes Oxenſtierna: Placeat Dno Mediatori, ſi conuentum ſuper vno puncto fuerit, conficere illius ſtatim Inſtrumentum. Dnus Legatus Gyldenklau: Quid? ſi hic excludantur omnia foedera, ſicuti Oſnabrugae, vbi nulla fuerit foederum initorum facta mentio, ſed tantum amicitia reſtabilita.* Dn. Comes Schlippenbach: Foedera eſſe et alia, praeter illa duo, poſſe, quae expreſſe ſint inita, contra Sueciam; et non eſſe de dignitate Regis noſtri, vt ea inſeri patiantur Legati Suecici. Poſt acrem diſputationem rogatur Dn. Mediator, velit noſtrum Proiectum adtendere, ac Dnis Polonis aequitatem illius demonſtrare. Ille eos id vidiſſe reſpondit. Dn. Comes Oxenſtierna denuo rogat Dn. Mediatorem, vt velit promouere primum Articulum ad complanationem, et eumdem, vt vtrinque fuerit placitus, in charta proiicere, atque deinde ſubſcribere. Id quod promiſit, et cum paullo

* Vid. INSTR. PACIS OSNABR. Art. I.

Digitized by Google

paullo adhuc exſpectaſſet, vocatur ad Dnos alterius Partis Legatos Commiſſarios.

Poſt reditum Dn. Mediator adſerebat duas ſchedulas, quarum prima concernebat Curlandiae Ducis deliberationem, huiuſce tenoris: "Illuſtriſſimi DD. Commiſſarii Suecici, fide Legatorum, obligant ſe „Illuſtriſſimum Ducem Curlandiae, eiuſque Sereniſſimam Coniugem, „vt et liberos, ac totam familiam eiuſdem, intra ſex ad ſummum ſe-„ptimanarum ſpatium, Rigam ſiſtere. Vnde a ſubſcripto praeſenti „tractatu, intra dies octo, decenti et ſuae dignitati conuenienti modo „ad fines Semigalliae deducatur." Altera reſeruationem, et ſaluationem foederum ſpectabat, et fuit talis: "Saluis integris et in ſuo ro-„bore quoad omnia puncta, articulos et clauſulas remanentibus pactis „et foederibus, hactenus reſpectiue initis, et hoc tractatu non aboli-„tis; ita tamen, vt, quae hoſtilitates concernunt, durante hac pace, „penitus ceſſent." ** Ad videndum haec recipiuntur: ſed nihil reſoluitur, niſi quod promitteretur, ſcribere velle Dnos Legatos, propter praefatum Ducem, modo Dn. Comiti Koenigſmarkio Dantiſcum ire permittatur, et honeſte ibi vſque ad plenariam reſtitutionem, de qua conueniri poſſit ante concluſam pacem, (neque enim prius Ducem Curlandiae penitus reſtitutum iri,) habeatur. Refert Dn. Mediator. Et cras hora II. pomeridiana continuandus, ſi placeat, congreſſus, et, vt habeant ſecum declarationem ſuper negotio Danico, idem poſtulat. Placuit, et diſceſſum eſt. — Ante vero quam abierunt Dnn. Legatorum noſtrorum Excellentiae, mandabatur Secretario, vt cum proxima poſta conficerentur litterae ad Dnos Legatos Suecicos in Selandia, ne res Daniae huc transferrentur.

Actum Oliuae d. $\frac{15}{25}$ Martii, horis a II pomerid.

Habitus primum diſcurſus cum Dn. Mediatore generalis, ſuper his, quae heri ventilata ſunt, et remonſtrata ipſi aequitas poſtulatorum noſtrorum, rogatusque ille, parti alteri vt perſuadeat, ne inutiliter tempus vlterius teratur, ſed ad concluſionem Tractatus perducantur. Dn. Mediator more ſolito diligentiam ſuam promiſit. Tradi-

** Conf. PASTORII Diarium ad h. d. pag. 167 ſq.

tum deinde eſt ipſi reſponſum,[*] ad declarationem Legationum Poloniae et Foederatorum, ſuper negotio Danico, idque aeque in ſcripto per me, Secretarium Legationis, ſubſcripto. Antequam autem ipſi daretur, Illuſtr. Dn. Regni Theſaurarius clara voce praelegit, et Dno Mediatori id omnino placuit, accepitque, vt Dnis alterius partis Commiſſariis adferret. Porro loqui coeptum eſt de puncto primo Proiecti, nempe amicitiae, et quidem Articulo de foederibus: et retradita Dn. Mediatori heſterna ſchedula, a partis alterius Legatis exhibita, facta declaratione, quod nulla fiat foederum mentio, aut, ſi in genere nominentur, addatur clauſula: *Quatenus perpetuae huic paci non detrahant, vel ſint contraria.* De Liuonia autem repetierunt noſtri Dni Legati reſolutionem heſternam, quod ſine qua non conditio ſit, nec ab illa vmquam recedi poſſit. Quibus ad alteros Legatos Dn. Mediator receſſit. Ipſo abſente perlegitur conceptum Proiecti, Caeſarianis et Electoralibus dandi, et corrigitur, vt habet conceptum apud Acta.[**]

Poſt reditum Dn. Mediator: Reſponſum ſuper negotio Danico illos recepiſſe; velle quoque communicare Miniſtro Danico. Quod Articulum de foederibus adtineat, adhuc diſputare inuicem: tandem ſe propoſuiſſe, quod ipſe Mediator velit hunc Articulum proiicere; conſenſiſſe Polonos; Electorales non item, ſed inhaerere ſuis Proiectis. Diſcurrit itaque Dn. Mediator, quid noſtri velint, et ipſe indignari videtur. Dn. Regni Theſaurarius: Adfectatas eſſe difficultates, atque ſi ſuper vnoquoque Articulo tamdiu morae necterentur, non ad finem prouenturas intra quatuor menſes. Dn. Mediator quaſi ſecreto: Exiſtimare ſe, quod ſtudio id fiat Foederatorum. Si ad finem cum Polonis perduci res debeat, neceſſe eſſe, vt fiat, ceu loquuntur, ſub manu: petit itaque declarationem ſuper haec puncta: 1) Elbingae: 2) Expulſorum Liuonia: 3) Limitum Liuoniae: 4) Religionis ibidem: 5) Tituli reſeruationis: 6) Satisfactionis. Quibus ſe recepit ad alteram Partem, et ſchedulam, quam noſtri ſuper foederibus proiecerunt, ipſi traditam ſecum tulit huius tenoris: — "Nec cum alterius hoſtibus „foedera

[*] Quod vid. in DIARIO EVROP. loc. comm. p. 73. et in LONDORPII Actis, T. VIII. p. 669. Conf. PASTORII Diarium ad h. d. p. 171.

„foedera ineat: Quod autem inita a partibus foedera adtinet, maneant „illa in ſuo robore, in quantum huic pacificationi non contrariantur, „nec eorum praetextu pax haec perpetua vllo modo violetur.“ * Rediit, et iſtiuſmodi ſchedulam adtulit ab alterius partis Legatis: “ Quod „inita a partibus foedera adtinet, maneant illa integra, quoad omnia „puncta, articulos et clauſulas in ſuo robore, nec eorum praetextu „pax haec perpetua vllo modo violetur.“ ** Quae dum recipi nequiit, reuerſus eſt ad illos.

Poſt reditum Dn. Mediator refert, Polonos iam reſoluiſſe, quia Foederati ſine cauſſa difficiles ſint, quod velint, quae ſe ſolos concernant, primum complanare: deinde ea, quae omnes tangunt. Itaque cras ſolos Polonos huc venturos. Poſtea petiit Dn. Mediator, nomine Polonorum et Confoederatorum, vt, ſicut heri promiſſum ſit, ſcribatur pro Duce Curlandiae, vt Rigam veniat. Dn. Regni Theſaurarius: Modo detur ſaluus paſſus pro tubicine, velle Dnos Legatos litteras tranſmittere, ſicuti promiſerint. Iterum ſe ad alterius partis Legatos contulit Dn. Mediator: et, quum rediiſſet, nihil amplius actum eſt, niſi vt craſtina die hic iterum conueniretur. Placuit itaque hora II pomeridiana vtrimque: et quiſque ad ſua hoſpitia, nos quidem Sobothum, illi in pagum Strytz et Neo-Schottlandiam, diſceſſimus.

Actum Oliuae d. $\frac{11}{21}$ Martii, hora II pomerid.

Peruenimus in puncto ſecundae Oliuam, et paullo poſt ſequuti ſunt Dni Polonici Legati Plenipotentiarii. Interea Dn. Mediator diſcurrere coepit de negotio, promittens bonam ſpem fructuoſi ſucceſſus, ſi partes vnaequaeque aliquid de ſuis poſtulatis remittere velint. Dn. Regni Theſaurarius optat Parti aduerſae ſalubria conſilia: nos inclinationem noſtram hactenus ſatis demonſtraſſe, et, quidquid fieri potuiſſet, feciſſe, inque ea propenſione ac zelo perſeueraturos eſſe.

Dn. Mediator optat conſtantes animos, et pacificam mentem vtrimque, ac ſuum ſtudium et operam conteſtatur. Dn. Regni Theſaurarius: Propoſuiſſe Dn. Mediatorem heri aliquot puncta, ſuper quibus

** Nos illud ex Codice Zaluſciano protulimus, in Actis Pacific. Oliv. p. 119 ſq.

* Conf. PASTORII Diarium ad h. d. pag. 174. ** Ibidem.

Digitized by Google

bus declaratio noſtra deſideretur. In illis Elbingam primum obtinuiſſe locum. Quid igitur ſit, quod velint Elbingae? Dn. Mediator: Duo eſſe, 1) quod velint omnia eorum priuilegia et iura, ſicut omnibus ciuitatibus Boruſſiae, confirmare: 2) Sed nolle tamen, vt infringatur Receſſus, cum Electore Bidgoſcii initus, ſed in ſuo is vigore maneat. Dn. Regni Theſaurarius: Illum tractatum Dnos Legatos Suecicos ſuo conſenſu et Inſtrumento inferendo confirmare non poſſe. Si ſaluare Elbingam haud queant, nec velle manu ſua eorum priuilegia infringere: Polonos, quum ipſis retradita loca fuerint, ſibi conſulturos. Dn. Mediator proponit expediens, adlegans exemplum Hiſpaniae et Galliae,* ſi iam ſuper finibus conueniri non poſſit, remittendum eſſe ad Commiſſarios, et, ſi illi ſe extricare nequeant, ad arbitros. Multas fuiſſe difficultates, circa materiam limitum; Commiſſarios fuiſſe conſtitutos; arbitros Reges eligere numquam voluiſſe; ergo vnumquemque manere ſemper ſua in poſſeſſione: ideo operoſe praeſumit, perſuadere Dnis Legatis, vt hoc expediens adprehendant. Sed Dnus Regni Theſaurarius, hanc curam non debere eſſe palliatiuam, reſpondit, ſed radicalem. Dicat Dnus Mediator, an Dni Poloni in aliqua re, amore pacis, nobis aliquid gratificauerint? et nos multa tamen feciſſe, tanta remittendo. Adſtipulati ſunt reliqui Dni Legati noſtri, et Dno Mediatori demonſtrarunt, talia neque in commiſſis ſe habere, neque practicabilia eſſe, vtpote quae tantum ſemina et materiem belli alerent, ſi pax facienda ſit, concludi talem oportere, quae omnem belli materiem tollat. Nunciatur Dno Mediatori de aduentu Dni Palatini Poſnanienſis: et abrumpitur diſcurſus, obuiam eunte illi Dno Mediatore. Qui quum rediiſſet, ſed nihil adportaſſet, niſi diſcurſum de Nouellis, quod pax Danica non procederet, mortuus ſit Dn. Regni Admiralis, Comes Wrangelius, occupata a Danis inſula Falſter et Moen, Warnemunda capta a Caeſarianis, et ſimilia: traditum eſt ipſi Proiectum quinque Articulorum vltimatorum noſtrorum pro Caeſarianis et Electoralibus: quod accepit, et ad alteras Partes ſe recepit.

Poſt horam fere rediit: et primum obtulit ſchedulam pro Duce Curlandiae, proiectam his verbis: „Ill^mus Curlandiae et Semigalliae Dux,

* Conf. PASTORII Diarium ad h. d. p. 177. et quae nos in n. **** diximus.

Dux, cum coniuge proleque ſua Ducali, ac tota familia et Aula, abſque vlla protractione intra ſex ſeptimanarum ſpatium a die vigeſima ſeptima menſis Martii, ſt. n. Rigam ſiſtetur. Inde vero (ſi antea concluſus non fuerit,) a ſubſcripto praeſenti tractatu, intra dies octo, decenti et ſuae dignitati adcommodato conuenientique modo ad fines Semigalliae deducetur, omniaque ſua ſuorumque mobilia vel ſecum aſportata, vel Rigae depoſita, litteratoria ſimiliter ſiue publica ſiue priuata documenta, quae pro tunc exiſtunt, bona fide extradentur, et Mitauiam reportabuntur.“ Dn. Regni Theſaurarius: Haud multum in hac ſchedula deſiderari; velle tamen Dnos Legatos illud adhuc reuidere. Interea poſtulari Ducis Reuerſales, de non nocendo, vel moliendo quid in poſterum. Dn. Mediator: Poſtulari itaque Reuerſales quoque a Domino Comite de Koenigſmark, de non vindicanda captiuitate, vel vllo modo Dantiſcanis nocendo. Dn. Regni Theſaurarius: Aliam eſſe rationem illius, qui ſub imperio ſit ſui Regis, et Principis Curlandiae, qui ſui iuris; non denegaturum tamen illum eſſe. Inde reuerſum ad alia, et Dn. Regni Theſaurarius ad Dn. Mediatorem, cur non ordine pergatur, ſed inuerſa methodo, mox hinc, modo illuc tranſiliendo. Et acriter reſentiunt noſtri Dni Legati, quod non monſtret Dn. Mediator alteri Parti noſtrum Proiectum, in quo omnia plenius et clarius poſita, et meliori ordine exprimantur, et multa in Polonico non ſint, quae noſtrum contineat, et ſint valde neceſſaria. Ille: Velle, quae deſint, deinde adimplere: et pergit, qua coepiſſet methodo. Et hic quidem ad Articulum XXIII. Poloni monuerunt, confundi debita Duglaſſii, etc. Poſt aliquam diſceptationem Dn. Regni Theſaurarius deleri verba, *ſi quae extorta ſint*, poſſe dixit. Deinde Dn. Mediator adfert in medium ex Proiecto Polonico, §. de caſſandis decretis, quae inter Rigenſes et Curlandos tempore belli data ſunt.[*] Reſponſum eſt, nos non ſatis informatos, et hoc vlterioris eſſe deliberationis, ſiquidem Rigenſibus praeiudicare nequiremus: rogaturque iterum Dn. Mediator, quo ordine pergat, et ſecundum noſtrum Proiectum procedat. Perſuaderi non potuit, praetexens Polonos et Foederatos ſuper noſtro Proiecto tractare nolle, promittensque ſe ambo collaturum,

* Conf. PASTORII Diarium, ad h. d. pag. 176.

turum, et tertium inde formaturum. Pergit, et ad xxvi. Art. refert, Polonos poſtulare, vt nauigatio Mitauiam libera ſit.* Dn. Regni Theſaurarius: Hoc eſſe inuertere tota priuilegia Rigenſium: a nobis igitur conſentiri nequire. Caueat Miniſter Curlandicus, ne, iſtiuſmodi ſuggerendo, cauſſetur moram tractatibus, et Domino ſuo rem totam perdat: ſcriptas eſſe iam litteras pro Duce illo ad Dn. Duglaſſium, Dn. Baronem Benedictum Horn, et Locum tenentem Generalem de Helmfeldt; ſed iam Dnos Legatos eaſdem ſubſcribere nolle, antequam punctus, de Liuonia illimitate cedenda, expeditus ſit.** Mitauienſium neutiquam habere locum poſtulata haec: ius Depoſitorii, vulgo *Stapelrecht*, oportere Rigenſibus ſeruari. Miſſa hac quaeſtione, ad fines Liuoniae Dn. Mediator deuenit, ſeparationem adferens, quam anterioribus in Conferentiis propoſuerat, nempe, vt partes Cis-Dunanae Duci Curlandiae reſtituantur, et medius fluuius Duna naturalem limitum terminum faciat. Abſurdam eſſe petitionem, reſponſum eſt, non poſſe admitti. Dn. Mediator: Velint Suae Excellentiae, quid earum mens ſit, explicare. Dn. Regni Theſaurarius: Dicere ſe, et Dnos Collegas, quid res ſit, nos non poſſe recedere a finibus, quos poſſidemus ex Receſſu Stumdorfenſi;*** et taliter ceſſionem a Dno Mediatore ſaepius promiſſam; hac ſpe nos tractatum iniiſſe; antequam aliquid de hoc remittamus, potius omnia relicturos infecta. Dn. Gyldenklau: Heri quoque dictum eſſe Dn. Mediatori, hanc conditionem, ſine qua non, eſſe. Idem Dni Comites Oxenſtierna et Schlippenbach expreſſerunt. Dn. Mediator iterum propoſuit medium, heſterno in congreſſu adlatum, de Commiſſariis et arbitris. Reſponſum: Nos talia non habere in mandatis, nec poſſe tranſgredi commiſſionis limites, nec oportere relinquere occaſiones litium; dolere ſe, quod tam longe proceſſerint, ſpe concepta iam falſos: ab aliis perſuaderi ſe pati Polonos. Dn. Mediator: Dolendum, paruam particulam totum negotium morari, et forte, vt abrumpantur tractatus, illam capacem eſſe. Dn. Gyldenklau: Hanc particulam poſſe totam vrbi Rigae ruinam adferre. Dn. Regni Theſaurarius: Sine

* Vid. PASTORIVS loc. comm.

** PASTORIVS loc. comm. p. 181. item ad XXVII Mart. p. 183 ſq.

*** Art. VI. Conf. PASTORIVS ad XXVI Mart. p. 176. et quae adnotauimus ibidem, atque infra Obſ. XV.

Sine dubio Cancellarium Curlandiae haec facere, ſed neſcire illum, quid ſerus veſper ſecum vehat. Poſt longam diſceptationem dictum eſt Dno Mediatori, quod Dni Suecici nulla ratione poſſint duo iſta poſtulata propoſita, vel de nauigatione Mitauiae, vel tali ſeparatione limitum Liuoniae, admittere, nec inutiles rationes adtendere: eſſe nos in poſſeſſione iuris et facti: ſi Dux Curlandiae hoc obtineret, habiturum eſſe omne commercium Lithuaniae, quod non concedendum ſit in praeiudicium Rigae et vicinorum. Vocatus eſt Dn. Conſiliarius Weidenhain, notitiam omnem Rigae et Liuoniae et commerciorum habens, et iuſſus ſuas rationes hac de re proferre: quod fecit, quantum ex tempore occurrit, die craſtina in chartam proiecturus. Abiit ad Dnos Commiſſarios Polonicos Dn. Mediator: et Secretario Legationis Suecicae mandatum eſt, vt perfici Copias curaret et noſtri et Polonici Proiectorum; dictusque Dn. Conſiliarius de Weidenhain extrahat, ac notet, quae concordent, quae diſcrepent, quae deſint.

Poſt reditum Dn. Mediator retulit, ſe nihil perficere potuiſſe, in cauſſa limitum. Polonos declaraſſe, quod poſtulent fortalitium Cobrunnenſe demoliri: nosque ab inſula Dahlen abſtinere oportere. Reſponſum eſt vno verbo, fieri non poſſe. Igitur Dn. Mediator rogauit, vt cras hora ſecunda pomeridiana congreſſus continuetur, et diſceſſum eſt.

Actum Oliuae $\frac{17}{27}$ Martii, hora II pomerid.

Ob continuandum tractatum, noſtri Dni Legati ſe receperunt Oliuam, vt heri rogatum erat. Et Dn. Mediator excuſauit, quod non obuiaſſet Suis Excellentiis, occupatus acceptis ab Aula litteris. Deinde inceptus eſt diſcurſus generalis de progreſſu tractatuum: et Dn. Regni Theſaurarius interrogauit, num quid declaraſſent Dni Poloni ſuper punctis, nudius tertius ab ipſo pro difficillimis ad Protocollum dictatis. Ille, nihil, reſpondit. De Elbinga quidem loquutos, ſed ſuis poſtulatis inſiſtere, vt exprimatur foedus Bidgoſcianum. Reſpondit Dn. Regni Theſaurarius: Hoc fieri non poſſe, nec a nobis peti, vel poſtulari debere. Satis eſſe, quod amplius petito noſtro non inſiſtatur, nec per expreſſum Polonis et Electori contradicatur. Con-

C 2 tinuatus

Digitized by Google

tinuatus paullo diſcurſus, et Dn. Mediator percepto, quod Dnî Poloni adeſſent, captata permiſſione ad illos receſſit.

Poſt horae vnius reditum, ille retulit, Dnos Polonos adhuc deliberare ſuper nauigatione Mitauiae: nolle progredi in puncto ceſſionis Liuoniae, ſine huius Articuli obligatione. Reſpondit Dn. Regni Theſaurarius, hanc eſſe rem, quae conſentiri nullo modo poſſit; ſi maturare tractatum Poloni nolint, dicere ſe oportere, quod ipſe accepit Auocatorium, et Dn. Comes Oxenſtierna etiam abiturus ſimul ſit in Sueciam. Remonſtrare nos integram et ſinceram intentionem noſtram, quod velit S. R. M. et Regnum Sueciae omnes remouere anſas: hoc autem poſtulatum expreſſe contrariari priuilegiis vrbis Rigenſis.* Miſſo hoc Articulo, reuerſus ad Elbingam eſt, et ad inſtantiam priorum prius reſponſum ipſi datum. Deinde quaſi obiter monuit, quod forte adprehendant Dni Poloni, nos Praetorianos milites, ſiue *Heydaucas*, (vt illi ſecundum morem eorum vocant ſtipatarios,) adduxiſſe. Dn. Regni Theſaurarius reſpondit, duos tantum eſſe ſatellites, qui haſtarum loco bombardas breuiores, vulgo *Carabiner*, portant; poſitos eſſe ad introitum veſtibuli huius conclauis; ne multitudo, vt ſolet, ſine diſcrimine hinc inde currant; poſſe poſthac illos relinqui Sobothi. Reuerſus ad negotium pacis Dn. Mediator, profeſſus eſt, ſe inſimulari ab altera parte, ac ſi nimis auſterus ſit, aduerſum illam; itaque ſe poſtea nihil facturum, praeterea, quod dicta et reſponſa vtrarumque hinc inde referat. Intelligere ſe bene, quid intendatur; credere non eluctari ex iſtis difficultatibus poſſe, et ad finem tractatus perduci, niſi Rex et Regina Proiecta percurrant, cum ſuis Plenipotentiariis, et quid tandem vtrimque fieri poſſit, diſquirant. Dn. Regni Theſaurarius: Nos nihil habere in votis amplius, quam vt cito ad concluſionem perueniamus; feciſſe, et facturos, quidquid ſit poſſibile, et dignitati et aequitati conſentaneum. Iterum abiit Dn. Mediator, ſed mox rediens adtulit litteras ad Dnos Plenipotentiarios a Dn. Reſidente Müller, ſibi incluſas: quas cum Dn. Regni Theſaurarius aperuiſſet, inter alia nunciabant, pacem in Dania concluſam: quod hilari animo acceptum eſt, atque, vt veritate nitatur, omnes vouerunt. Dn. Mediator

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 183 ſq.

Digitized by Google

diator auocatur ad alteros Dnos Commiſſarios: et interea diſcurrunt noſtri Dni Legati, quid tandem agendum ſit, tractatu in dies difficiliore. Dn. Gyldenklau: Inter primas de praeſenti maximam curam eſſe, quomodo miles in Boruſſia conſeruetur. Dn. Comes Schlippenbach: Conducere, vt Dn. Regni Theſaurarius ſimulet abitum quantocyus. Dn. Comes Oxenſtierna adſtipulatur. Dn. Regni Theſaurarius: Se facturum, ideoque modo interroganti Dno Mediatori iam reſpondiſſe, quod intra decendium abire ſe poſſe ſperet. Ceterum, ſi pax neutiquam obtineri iuſta et aequa poſſit, ſumendus miles ex ciuitatibus, et per Curlandiam irrumpendum, inque Liuoniam ille ducendus. Nihil concluditur; ſed anxie reditus Dn. Mediatoris exſpectatur. Qui quum rediiſſet, retulit, Dnos Polonos inſulas *Dahlen* et *Spilven*, cum fortalitiis cis Dunam, ad quartam partem milliaris ceſſuros, ita vt ab inſula *Dahlen* initium fiat, ad extenſionem iſtam; quod deinde reliquum ſit, Duci Curlandiae cedat, iure proprietariorum particularium ſaluo, quoad vſumfructum, dominio directo eidem Duci cedente. Auditus eſt Dn. Mediator, ſumma cum modeſtia; ſed contrario remonſtrato, ſumtaque ad manus mappa, et inuentum eſt territorium cis Dunam, quoad particulas iſtas, *Dahlen*, *Spilven* etc. nonnullibi vix quartam partem vnius milliaris adtingere, quae Dux Curlandiae velit cedere. Igitur metuebant aliquid ſubeſſe, et ſi non aliud, magnam tamen confuſionem inde orituram, ac lites perpetuas proprietariorum, vt fieri ſolet ex communione: non videre noſtros, cur hoc velit Princeps Curlandiae, nec potius quieſcat poſſeſſione noſtra, et contentus ſit ſua reſtitutione. Nos, proteſtantur Dni Plenipotentiarii, non ex praeconcepta quadam opinione mordicus haec diſputare, ſed ſincera mente, quo omnis in poſterum contentio et diſſidium euitetur. Dn. Mediator: Vereri ſe cauſſam hinc rumpendorum tractatuum oriri poſſe. Acriter diſceptatur, et ex mappa fit remonſtratio, repetiturque metus futurae confuſionis, rogato Dno Mediatore, ne propter Ducis Curlandiae amorem res peſſumdetur. Dn. Mediator recepit ſe ad Dnos Polonos.

Abſente ipſo diſcurrunt Dni Legati, quid faciendum. Dn. Comes Oxenſtierna, et Schlippenbach: Propter hoc tractatum abrumpi non oportere; inſiſtendum tantum eſſe, vt ſemileuca cedatur, incipiendo

Digitized by Google

piendo ab inſula *Dahlen*, recta linea. Dn. Legatus Gyldenklau: Confuſionem metuendam; tandem ſi obtineri aliud non poſſit, propter iſtam difficultatem tractatus non eſſe abrumpendos. Concluſum: quod ſi non aliud ferat, rediturus ſit primum amice Dn. Mediator; ſi denique obtineri nil, niſi hoc, queat, acceptandum eſſe, ſed cum clauſula, quod certi Commiſſarii, pro conſtituendis perpetuo duraturis limitibus, determinando tempore ordinentur. Rediit Dn. Mediator, et adfert ad adſecurationem, quod Dni Legati velint eſſe faciles in reliquis Articulis, Polonos ſe declarare, quod velint cedere Liuoniam, ſicut tempore induciarum et pactis Stumſdorfenſibus poſſedit Suecia. Sed habere iam alia poſtulata, eſſeque tritum illud: *Facio, vt facias.* Concernere autem Elbingam, religionem, titulum, ſatisfactionem iſta poſtulata.* Et primo quidem Elbingam quod adtinet, petere Polonos, ſi nolint publice, inſerere patiantur ſeorſiuo Inſtrumento, eoque ſecreto, Dni Suecici illum Articulum. Reſpondit Dn. Regni Theſaurarius, perinde eſſe, publice vel ſeparatim fiat: nos illum tractatum confirmare Bidgoſcianum non poſſe. Deinde, vt ſit liberum religionis Catholicae exercitium, non eſſe vel practicabile, vel in noſtra poteſtate: libertatem conſcientiarum manere, et relinqui: liberum exercitium concedi nullo modo poſſe: et adſeruit Dn. Regni Theſaurarius, ſe credere, non eſſe duodecim homines Romanae Catholicae religionis in tota Liuonia. Paullo reniſus eſt Dn. Mediator, et reſtringendo ad exercitium in aedibus priuatis, (quod etiam negatur,) ad punctum de titulo et ſatisfactione progreſſus eſt. Hic Dn. Regni Theſaurarius, maximopere cum Dnis Collegis commendauerunt Mediatoris curae et dexteritati negotium. Ille diligentiam promiſit ſuam, ſed ſperare Polonos, quod Dni Suecici faciles futuri ſint. Rogatur, vt mittatur in chartam, quod conuentum ſit, in puncto ceſſionis Liuoniae. Dn. Mediator recuſauit fieri poſſe ante complanationem conditionum, ſcilicet, vt faciles ſimus in modo propoſitis, cuius rei petit maturationem. Et abiit. Rediit Dn. Mediator longum poſt interuallum, et refert, ſi placeat Dnis Plenipotentiariis noſtris, velle Dnos Polonos iterum conuenire hic Lunae die, primum tamen cras certiorem reddere Dn. Mediatorem, ſi quidem

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 183 ſqq.

Digitized by Google

dem Ablegatus Moſcouiticus audientiam, et forte expeditionem quoque, ſit habiturus. Dn. Regni Theſaurarius: Se ét Dnos Collegas ſuos eſſe promtos paratosque, ne horam quidém remorari coeptum negotium. Diſcurſum adhuc paullulum de ſubiecta materia: et abiuimus circa dimidiam ſeptimam veſpertinam Oliua, (quia Vigilia erat reſurrectionis Domini, ſecundum Gregorianum Calendarium,) paullo maturius, quam diebus praeteritis.

Actum Oliuae d. 14/24 Martii, hora II pomerid.

Dn. Mediator more ſolito Dnos Legatos noſtros excepit, et in conclaue deduxit. Diſcurſus incepit a nuncio, quod pax Daniae ſit concluſa: quod etiam Dn. Mediator adſeruit per famam increbuiſſe. Abſoluto hoc diſcurſu, Dn. Mediator interrogat, quid Dni Legati noſtri declarent ſuper punctis, nudius tertius propoſitis, videlicet Elbingae; liberi Religionis Exercitii in Liuonia; reſtitutionis exulum ſiue expulſorum, e dicta prouincia; reſeruationis tituli; ſatisfactionis. Dn. Regni Theſaurarius: Velle nos experiri a Dn. Mediatore, quid illi reſoluerint. Sed quum Dn. Mediator inſiſteret, vt a parte noſtra daretur declaratio, Dn. Regni Theſaurarius reſpondit, Elbingam quod adtineat, Dnos Suecicos declarare, quod ideo non abrumpentur tractatus: tradituros ſe eam eſſe Regi Poloniae, ſi ille deinde intereſſe et ſtatus ſui obſeruans eſſe nolit, nos non impedituros; conſentire autem neutiquam poſſe per Inſtrumentum; ſeparatam tamen chartam, et velut Articulum ſecretum daturos, quod impedire conſilium Regis Poloniae nolimus.

Peruenit Dn. Mediator ad Articulum et poſtulatum de religione libera in Liuonia. Religionem Catholicam quod adtineat, Dn. Regni Theſaurarius, in Articulo XVII. Proiecti noſtri expreſſum eſſe, *quod propter religionem nemini vis inferetur,* reſpondit. Dn. Mediator refert ſe ad Receſſum Stumſdorfienſem,* et poſtulat illius formalia, quoad hoc punctum, inſeri. Remonſtratur ipſi denuo, quod idem in praememorato Articulo Proiecti noſtri ſatis ſit expreſſum. Ille nihilominus Acta illa aperit, ſed tandem ex noſtro Proiecto quieſcit. Deuentum eſt ad poſtu-

* Conf. PASTORII Diarium, p. 187. et quae nos ad h. l. notauimus.

Digitized by Google

poſtulatum, vel conditionem de reſtituendis expulſis, et remonſtratur per Suas Excellentias Dno Mediatori, Regem Guſtauum M. trium tunc annorum ſpatium redeundi, vel bona ſua diuendendi, proprietariis dediſſe: quum nemo redierit, donata eſſe illa Miniſtris Regis bene meritis. Et iam plane eſſe alium ſtatum in Liuonia, adeo vt haec res fieri nulla ratione poſſit; confuſum chaos emerſurum, nec vllo modo reſtabiliendum.* Dn. Mediator allegat exemplum Hiſpaniae Regis, et Hollandorum.** Dn. Comes Oxenſtierna: Praecipuos Regni Sueciae Proceres habere bona ſua in Liuonia, quae reſtitui non poſſint. Iam ad titulum, Dn. Mediator: Super ceſſionem, ſeu renunciationem iuris in Sueciam, denegare etiam Regi Poloniae reſeruationem tituli, ad vitam tam breuem, neſcire ſe, quomodo iuſtificari poſſit, coram mundo: allegatque tot exempla Europae. Dn. Regni Theſaurarius: Cur Sereniſſimus Rex Poloniae reſeruaret titulum, niſi praeſumat ſibi aliquid iuris competere? Rogari Dn. Mediatorem, diſponat Dnos Commiſſarios Polonicos, quo Rex Poloniae ad ceſſionem ſimplicem ſe perſuaderi patiatur. Dn. Mediator autem non deſtitit. Poſt ſufficientem demonſtrationem Dno Mediatori Dn. Regni Theſaurarius: Si in reliquis vt aequi et faciles ſint Dnn. Poloni, Dn. Mediator ordinare ac diſponere queat, de hoc Articulo deinde nos agere velle. Dn. Mediator: Ita comparata eſſe poſtulata iſta, vt ſimul oporteat pertractare; vt ſemper dictum ſit, faciendum eſſe, vt quis faciat. Videre ſe Sueciam nihil cedere velle. Dn. Regni Theſaurarius, et Dn. Comes Schlippenbach: Nec Polonos ceſſiſſe, niſi quae non habeant, nec habere poſſint. Dn. Regni Theſaurarius: Nobis ſemper fuiſſe promiſſum, quod vel ad renunciationem tituli, vel ceſſionem Liuoniae, nulla futura ſit difficultas. Dn. Mediator: Se ſemper dixiſſe, ſi Dni Suecici faciles ſe monſtrent in reliquis, tum ſperare nos poſſe, Polonos quoque in noſtris poſtulatis faciles ſe praebituros.

Dn.

* Conf. PASTORII Diarium, loc. comm. p. 188.

** Quippe Monaſterienſi Pace, An. 1648. inter Hiſpaniae Regem et Belgii Foederati Ordines inita, conuentum eſt Art. XXIV. in hanc legem: *Quorum bona belli cauſa detenta aut publicata fuerint, ii ipſi eorumue heredes, vel quibus id ius competit, iiſdem bonis, opibuſque fruentur, eorumque omnium poſſeſſionem pro-*

Dn. Regni Theſaurarius: Mediatorem nihil retuliſſe de ſatisfactione; quid declarent ſuper hoc puncto Dni Poloni. Dn. Mediator: Dnos Polonos pure et abſolute dixiſſe, certiores nos faciat, impoſſibilitatem eſſe ſatisfactionis dandae. Dn. Comes Schlippenbach: Non petere nos ſatisfactionem, ſed ſummam aliquam moderatam, pro deducendo milite. Inſtitit Dn. Mediator, plane impoſſibile eſſe; et petiiſſe Polonos, vt hoc pro vltimato Dnis Legatis Suecicis diceret. Dn. Regni Theſaurarius: Ergo etiam impoſſibile eſſe, vt praeſidiorum fiat euacuatio. Inter alia Dn. Mediator obiecit, quod praeſidia intra tres quatuorue ſeptimanas inedia et fame compellerentur ad deditionem. Sed reſpondit Dn. Regni Theſaurarius, iam menſe Septembri idem clamatum eſſe: certos nos eſſe, quod adhuc trium, vel etiam quatuor menſium victus ſuppeditet: interea aliquid fieri poſſe. Dn. Comes Oxenſtierna: Sine pecunia militem educi non poſſe, nec oportere, vt ille perdatur. Dn. Comes Schlippenbach idem demonſtrauit: item, intereſſe ipſius Poloniae, vt miles in Boruſſia conſeruetur. Deuentum eſt ad acerrimam diſputationem: et cum Dn. Mediator repoſuiſſet, intra tres dies, ſi nobiſcum inire pacem non poſſent, cum Moſco concluſuros Polonos eſſe; Dn. Regni Theſaurarius reſpondit, ſi rumpere Poloni velint, viderint, quid agant: occupandas armis eſſe vrbes et fortalitia; quod plus conſtiturum ſit, quam moderata, quae poſtuletur, pecunia. Nos agere candide et ſincere: neceſſitatem nos ad hoc poſtulandum impellere. Si non nemo Dnn. Legatorum in Sueciam proficiſci, et media illa pecuniae neceſſaria procurare velit, tres ad minimum menſes requiri: interea pacem non concludi. Tandem expreſſe dictum eſt Dno Mediatori, nos a pecuniae certa ſumma recedere non poſſe: quo tamen videant aequitatem noſtram, nos illa quadringenta millia thalerorum, quae propter Rakocium, ne ab illo exigantur, poſtulata ſunt, miſſa facere velle.* Dn. Mediator ad Dnn. Polonos

propria ſua auctoritate ac vi praeſentis Tractatus capient, neque iudicum opem implorare neceſſe habebunt, non obſtantibus quibuſcumque iudicis Prouincialis poſſeſſionibus, oppignorationibus, donis, contractibus, conuentibus et tranſactionibus etc. Vid. LEONIS ab AITZEMA Hiſt. Pacis p. 693.

* Conf. PASTORIVS ad h. d. et n. ** pag. 188 ſq.

lonos ſe contulit. Ipſo abſente deliberant Suae Excellentiae; et concluditur, antequam tractatus abrumpi patiamur, aliquid illis quoad religionem dandum eſſe, ſiquidem praeiudicium ſit in tractatu Stumſdorfienſi.

Poſt reditum, Dn. Mediator explicuit reſolutionem Dnn. Polonorum ſuper religione, et ſuper titulo. Super religione ſe declarare, quod velint remittere ea, quae in Articulis ſuis poſtularent, nempe reſtitutionem redituum; tantum petere religionis liberum exercitium. Dn. Regni Theſaurarius: Legibus ac ſtatutis fundamentalibus Regni Succiae hoc repugnare. Dn. Mediator: Non eſſe partem Sueciae, ſed prouinciam plane ſeparatam Liuoniam: conceſſum eſſe liberum religionis exercitium Bremenſibus. In Pomerania ſimiliter quemlibet ſuis frui priuilegiis: allegant alia quoque exempla, quod, ſi per pacem cedantur prouinciae, libertati et priuilegiis non derogetur.* Petere ſe vnicum tantum templum vel ſacellum, vel domum, vbi ſine turbatione aut inquiſitione, deuotione ſua vti illis concedatur. Dn. Regni Theſaurarius: Inquiri non ſolitum eſſe ob religionem in Suecia, ſi quis priuatim, abſque ſcandalo aliorum, alicui ſit addictus; exercitium autem nullatenus concedi; igitur ſe et Dnos Collegas ſuos huic poſtulato ſatisfacere neutiquam poſſe. Quoad titulum vtrimque inſiſtitur prioribus. Ad ſatisfactionem reditum eſt: et Dn. Mediator, nec velle nec poſſe Polonos aliquid conſentire, quoad hoc punctum. Dn. Regni Theſaurarius: Ideoque nec poſſe nos deducere militem, vtpote cuius rei cauſſa iam poſtuletur non ſatisfactio, ſed ſubſidium. Dn. Mediator: Paucis diebus peritura fame praeſidia dicere Polonos. Dn. Regni Theſaurarius: Nos certiores redditos hiſce diebus, vt ante dictum ſit, quod aliquot adhuc menſium victus ſuperſit. Trium menſium tantum ſuſtentationem praeterito auctumno clamaſſe, et tamen hiemem iam peractam, atque adhuc ad quatuor ad minimum menſes ſufficere ſiliginem. Dn. Mediator: Libenter ſe cooperari velle, ſi aliquid ſperandum eſſet: Polonos in poſtulatis reliquis ſtare promiſſis velle, ſi congreſſus non ſolueretur: ea enim conditione illum eſſe continua-

* Nec talia e longinquo arceſſenda. Hac enim lege Galliarum Regi ceſſa, in Monaſterienſi Pace, Alſatia; in Pyrenaea tot ab Rege Hiſpano prouinciae ac ciuitates: hac eadem lege Regi Suecorum tot prouinciae a Dano ceſſae, in Rotſchildenſi Pace. Atque in hac difertis verbis cautum, Art. IX. *Similiter retinebunt conſueta*

nuatum. Dn. Regni Theſaurarius: Nos etiam ſtare velle iis, quae promiſſa ſint, ſed praeſtitis praeſtandis, ceu ſemper reſeruauerimus. Dn. Mediator ad religionem reuertitur, et Liuoniam ſeparatam prouinciam eſſe, quae in religione gaudeat libertate. Dn. Gyldenklau: Cedere Polonos cum iure territoriali Liuoniam; etiam ius territoriale eſſe, vt Dominus poſſit reformare, allegans autonomiam ex Inſtrumento Pacis Oſnabrugienſi.** Dn. Mediator vrget reſolutionem acceptabilem. Et Dn. Regni Theſaurarius, ad reliqua duo puncta reſpondiſſe nos, regeſſit, difficultatem ſubſidii in cauſſa eſſe, quod iam haereamus: igitur adhortari et rogare nos, vt conſideret Dnus Mediator, ſiquidem, ſi impoſſibile ſit pecuniam numerare, et nobis eſſet impoſſibile, vt deducantur praeſidia, vt saepius demonſtratum ſit. Dn. Mediator prius obtinet; nempe promiſiſſe Legationem Suecicam ſe facilem ad renunciationem praetenſam in Sueciam, et ceſſionem Liuoniae; faciat idem etiam in hoc puncto. Dn. Comes Schlippenbach: Nos ſtare promiſſis; ſed militem non eſſe perdendum. Dn. Regni Theſaurarius: Vt hae copiae ne peſſumdarentur, ipſius Regis Chriſtianiſſimi intereſſe. Dn. Comes Oxenſtierna: Viſuros eſſe Dnos Polonos, quid profuturum illis ſit, ſi hic miles pereat. Dn. Regni Theſaurarius: Nos generoſa mente dixiſſe et feciſſe, quae potuimus: non per totum tractatum nos reſpondiſſe, *non velle*, ſed vel omnia, quae poſſibilia ſint, facturos eſſe: Polonos e contra tantum dicere, *ſe nolle*. Atqui hic mandata excedere non poſſe, et ſi Poloni nolint dare pecuniam, curandum eſſe, vt aliunde ad conſeruationem militis media inueniantur; ſed ad hoc, tempus requiri; interea tractatum abſolui poſſe, et ad concluſionem perduci. Dn. Mediator: Impoſſibilitatem dandi apud Polonos, et impoſſibilitatem remittendi apud Legationem Suecicam, duo eſſe extrema, de quibus conueniri nequeat. Dnn. Legati noſtri paullo recedunt. Poſt reditum Dn. Regni Theſaurarius: Se deliberare ſuper hiſce Articulis, et iam ſuper puncto religionis reſponſum eſſe Dno Mediatori, et ratione. Dediſſe enim nos libertatem conſcientiis, et quod

 inquiri

ſueta ſua iura, leges, antiqua priuilegia et immunitates ſine omni impeditione et turbatione etc.

** De qua re vid. quae ad PASTORII Diarium p. 192. diximus. Plura habet Anonymus (*Phil. Euerh. Zechius*) Medit. de origine, indole, effectibus iuris Reformandi Regum, Principum et Statuum Imp. Rom. Germ. P. II. c. 3. pag. 162 ſqq.

inquiri in illos, qui Catholicae religionis ſint, non debeat; hiſce igitur Dnos Polonos contentos reddi poſſe. Quoad ſatisfactionem, quia deductio militiae non ſine pecuniae ſumma fieri queat, ſe remiſiſſe ſummam Racocii; iam in honorem Mediationis Regis Chriſtianiſſimi adhuc remittere velle dimidietatem paratae pecuniae, nempe cc millia Imperialium; et poſcere tantum cc millia Imperialium, ſalua Ducis Croyani ſumma, Marienburgumque euacuare nos velle praeſtitis praeſtandis. Dn. Mediator rogat, vt ſcribatur, quod Dux Curlandiae Rigam deueniat, ceu nuper fuerit promiſſum. Dn. Regni Theſaurarius: Pro Duce Curlandiae nos velle mittere litteras et tubicinem, modo nobis datum ſit reſponſum abſolutum de Liuonia, et vt Dn. Comes Koenigſmarkius deueniat quoque in vrbem Dantiſcum: ſed ſi pax non claudatur, Articulum de Curlandiae Duce vim habere nullam: etiam Dnos Legatos non poſſe ſcribere, niſi punctus de Liuonia ſit concluſus et ſubſcriptus. Id quod omnes Dni Legati vnanimiter loquuntur, et Dn. Mediatorem rogant, vt referat Dnis Polonis. Inſtitit poſtulato de religione Dn. Mediator, atque vt euacuatio Marienburgi fiat, et pro Duce Curlandiae ſcribatur, deſiderat, veluti ſit promiſſum. Dn. Regni Theſaurarius: Nos neque euacuationem Marienburgi promiſiſſe, neque pro Duce Curlandiae ſcribere voluiſſe, niſi praeſtitis praeſtandis, nempe, vt punctus Liuoniae cum omnibus ſuis Articulis prius ſit expeditus: et, de exſulibus quid declarent, interrogat. Super hoc Articulo ſe nondum accepiſſe reſponſum, Dn. Mediator dixit. Poſt multam hinc inde diſceptationem, manentibus noſtris in ſua ſententia firmis, ad alterius Partis Legationes abiit Dn. Mediator.

Poſt reditum ille retulit, quod deliberaturi ſint Dni Poloni et Confoederati; ſed valde eos eſſe commotos: ſuaſiſſe tamen ſe, vt craſtino pomeridiano huc rediretur. Dn. Regni Theſaurarius: Aequa nos reſpondiſſe, ſuper quibus commoueri non ſit opus. Qua hora placeat Dn. Mediatori, vt congrediamur, deinde ſciſcitatus eſt. Secundam placuiſſe alteris Legationibus. Ergo redibimus: et iam diſceſſimus.

Actum Oliuae d. $\frac{20}{30}$ Martii, hora II pomerid.

Dn. Mediator, dum obuiaſſet, et in conclaue deduxiſſet Dnos Plenipotentiarios noſtros, ſe hodie fuiſſe Dantiſci, obiter retulit. Rege-

Digitized by Google

Regerente Dn. Theſaurario: An hodie fuiſſet in vrbe? hodie, reſpondit, et motam fuiſſe terram (ob heſterni congreſſus difficultates innuens) adiecit. Non vlterius inſtitum eſt huic materiae, hac vice; ſed, num veniſſet Dn. Morſtynius, interrogatus ille, adfirmauit adueniſſe. Quid de pace Danica adferat? Concluſam eſſe ferri; ſe autem, Dn. Mediatorem, nondum cum Dn. Morſtynio loquutum. Et coeptum eſt loqui de noſtro negotio: recapitulatque Dn. Mediator, quod Dnn. Poloni ceſſerint Liuoniam, ſed certis cum conditionibus, quibus vt ſatisfiat, peti. Dn. Regni Theſaurarius: Quae ceduntur, non debere reſtringi ad conditiones, quae rem ceſſam reddunt difficiliorem, quam alias per ſe ſit: interea ceſſionem iſtam a Legatione Suecica in optima forma acceptari. Dn. Mediator antequam progreditur ad conditiones, mouit quaeſtionem de ſecuritate, quam inter alia quoque vrgeant Poloni et Foederati. Dn. Regni Theſaurarius: Securitatem nos merito deſiderare, praeſertim ab Imperatore et Electore, vtpote qui ſine vlla cauſſa data S. R. M. glorioſiſſimae memoriae armis infeſtis non tantum in Boruſſia et prouinciis Danicis, ſed etiam in Holſatia atque Pomerania, adeoque in ipſo Romano Imperio, contra Pacem Oſnabrugenſem, adorti fuerint: quid autem hac in re putet Dn. Mediator? Dn. Mediator: In puncto ſecuritatis ſe non videre, quid agendum ſit, niſi vt declaretur de guarantia. Dn. Regni Theſaurarius: De guarantia ſuo tempore et loco Legationem Suecicam ſe declaraturam eſſe, modo iam Dnn. Poloni ea, quae procedunt, complanare velint, in quibus etiam occurrat ſatisfactionis Articulus, vel potius ſubſidii pro deducenda militia noſtra.* Dn. Mediator: Praeterea quod Poloni iam ſaepe ſe excuſaſſent defectu pecuniae, cuius incredibilis apud illos hoc tempore ſit inopia et caritas, Regem Poloniae exiſtimare, quod ſatisfecerit Ser^mo Regi Regnoque Sueciae, ſi loca ablata Confoederati reſtituant. Dn. Regni Theſaurarius: Igitur ſi reſtitutionem locorum ablatorum, in Pomerania, ſibi tribuat Rex Poloniae, et cauſſam Polonicam cum Germaniae rebus ſibi faciat communem, ipſi etiam damna, quae a Foederatis facta ſunt, imputari debere. Ideoque nos iuſte poſcere potuiſſe ſatisfactionem, quam etiam

 Wiſma-

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 196.

Wiſmariae Dn. Mediator promiſerit;* et quia ab illa Legatio Suecica deſiſteret, aequum eſſe, vt pro deductione militis per ſummam pecuniae ſubſidietur. Dnus Mediator toties quoties allegat impoſſibilitatem. Dn. Regni Theſaurarius: Impoſſibile etiam nobis educere militem ſine ſubſidio pecuniario, veluti praeteritis diebus ſatis ſuperque ſit demonſtratum. Dn. Mediator: Dicere etiam, quae modo dixerit, Polonos: impoſſibilitatem igitur eſſe vtrimque, quam quis ſit conciliaturus, permanentibus inter extrema omnibus partibus? Dn. Regni Theſaurarius: Poſtulatum noſtrum niti ratione et neceſſitate; Dnos Polonos tantum per impoſſibile, aut quod nolint, reſpondere. Si pax cordi ſit, facile media haec ſuppetitura eſſe; nos videre, hic neque fieri conſtantis propoſiti documentum, neque aliquid eorum, quae hactenus pertractata ſint, effectui dari. Rogantque Dnn. Legati, conſideret haec Dn. Mediator, atque ſubſidium petitum vrgeat, praeprimis vero Articulum ceſſionis Liuoniae ipſe componat, atque ad ſubſcriptionem promoueat. Dn. Mediator: Decipere ſe Dnos Legatos, ſi de pecuniaria ſatisfactione vel ſubſidio ſpem daret. Proponit itaque Dn. Mediator, ſi obtineri hoc poſſit: nempe, loco conditionum ceſſionis Liuoniae quinque ſupereſſe, religionem, reſtitutionem exulum, Elbingae, reſeruationis tituli, ſatisfactionis pecuniariae. Igitur ſi tria haec dentur Dnis Suecicis, vt religio maneat in ſtatu Stumſdorfenſis tractatus; exulum reſtitutio ceſſet; de Elbinga declaretur in Articulo ſeparato, quod nolint Dnn. Suecici contrariari diſpoſitioni Regis Poloniae: reliqua duo dentur Dnis Polonis, vt Rex ad vitam retineat titulum, atque pecunia nulla, ſub quocumque id fiat nomine, praetendatur, vel petatur. Reſponſum: Duo priora nobis non dari, quia eius naturae ſint, vt admitti non poſſint: de Elbinga ſe Dnos Legatos antea declaraſſe, nempe contrariari Regis intentioni nolle; confirmare autem foedus Bidgoſcianum non poſſe, vtpote quod, ſicut ante dictum eſſet, S. R. M. Regnoque Sueciae e diametro ſit contrarium. Quod adtineat reſer-

* Et ſane erat Lumbranus, Legatus Gallus, iam tum de componenda pace ſollicitus, properoque itinere ſeſe Varſauia contulerat Viſmariam, ad Sueciae Regem. *Gallicorum Miniſtrorum*, inquit KOCHOVIVS Hiſt. Pol. Climact. II. p. 276. *ſubinde in lucem prodibant ſtudia curaeque, quibus compoſitioni belli Suecico-Polonici enixe allaborare monſtrabant. Quippe Lumbreſius, omni mora*

reſeruationem tituli, ſicut fuit in Stumſdorfienſi Tractatu, ſe conniuere velle, ita vt tolerando vtatur ad vitam Poloniae modernus Rex in ipſa Polonia, minime vero ad Regem Regnumque Sueciae, eorumque ſubditos et incolas, neque etiam ad exteras Poteſtates, Status et Principes. Sed haec tantum per conniuentiam concedi; Inſtrumento autem publico inſeri neutiquam debere. Subſidii poſtulatum etiam moderare velle, et tantum CCCC millia Fl. et CL laſtas ſiliginis petere, vtpote ſperantes, hoc deducendis militibus ſufficere poſſe. Dn. Mediator hoc fieri non poſſe repoſuit: toties ſe operam ſuam hac in re fruſtra contuliſſe. Dn. Regni Theſaurarius: Igitur nos proteſtari, quod omnia, quae hactenus acta ſunt, vim habitura ſint nullam. Dn. Mediator: Si reſtituant Foederati omnia ablata in Pomerania et Holſatia, et ita pacem ineant generalem, num Dni Plenipotentiarii velint remittere pecuniam, ſeu poſtulatum iſtud pro deductione militiae? Repetit Dn. Regni Theſaurarius: Si neceſſitas non cogeret, nos remiſſuros, nec aliquando cupituros fuiſſe. Suſpendat iſtum Articulum, et expediant reliqua puncta. Poſt longas diſputationes proteſtantur noſtri Dno Mediatori, tamquam Legato Regis Chriſtianiſſimi, quodſi aliquid mali oriatur ex abruptis hiſce tractatibus, ſe velle eſſe excuſatos: forte maius bellum oriri per Auſtriacos in Germania poſſe, quam in praeſens credatur, vel metuatur. Dn. Mediator feciſſe ſe, quidquid potuiſſet, conteſtatur; et proponit nouum poſtulatum, nempe, ſi liberum religionis exercitium in Liuonia concederetur, Regem Poloniae titulo abſolute renunciaturum. Dn. Regni Theſaurarius: Videri minutias ſcrupulari. Dn. Comes Oxenſtierna: Si religionis tale exercitium ibi concedatur, idem eſſe, ac ſi Liuonia non cedatur. Dn. Legatus Gyldenklau: Eſſe hoc Conſtitutionibus Regni Sueciae contrarium. Inſtitit Dn. Mediator ſuo diſcurſui, et Dn. Regni Theſaurarius: Si velint ad hoc rumpere Poloni, fiat; nos proteſtari coram toto mundo, iuſta et aequa petiiſſe. Quoties dictum per Dn. Terlonium ſit,

ra praeciſa, ad Regem Carolum Viſmariam eo in negotio acturus iuerat. — Acta ipſa inter Sueciae Regem et Lumbranum, atque item Isbrantium, Legatum Belgam, late perſequitur praeter AITZEMAM praecipue PVFENDORFIVS Comment. de rebus Caroli Guſtaui Lib. V. §. 88. cuius verba iam deſcripſimus ad PASTORII Diarium pag. 67. n. ***

ſit, et ante per Dn. d'Avaugour,* quod Rex Galliae velit ipſe hanc pacem emere? Dn. Mediator: Si Rex ſuus eſſet in propinquo, credere ſe, quod mille millia thalerorum non curaret. Immo ad Reginam Poloniae Dnum Leskinski hodie dixiſſe, ſi ipſe haberet in loculo, ipſum velle ſummam pecuniae ſoluere. Interea nunciatur Dno Mediatori, Dnn. Commiſſarios Electorales aduenisse: receſſit igitur ad illos. Ipſo abſente, aduenit Akakia,** et retulit Aulam et Commiſſarios Polonicos valde eſſe conſternatione ſuffuſos ſuper heſternis difficultatibus, praeſertim quod perſiſtant Dni Suecici in poſtulato ſummae pecuniariae. Et Dn. Regni Theſaurarius ipſi rem ſolide remonſtrauit. Deinde Dn. Colonellus Stegman Elbinga venit, referens vix ad quatuor ſeptimanas victum ſuppeditare ibi, officiales et gregarium militem expreſſe loquutos, ſe per Paſchatis feſtum et adhuc per octo dies exſpectaturos, deinde vnumquemque, quo poſſit, ituros. Locum tenentem Campi Mareſchalli, Dn. Baronem *von der Linde,* inquiſitionem inſtituiſſe; neminem inquiri potuiſſe. Acceſſerunt etiam quidam noſtri Aulici Dantiſco, qui retulerunt, pacem Danicam per totam vrbem ferri; a multis tamen dubitari, claſſem noſtram appuliſſe in Oreſundico freto. *Hac nocte tres orbes Lunares Iride circumdatos, ſuper vrbe Gedano apparuiſſe: quod omen pacis inter tria Regna interpretentur.*

Dimiſſi ſunt iſti omnes, et Dn. Mediator ad Dnos Comites Oxenſtierna et Schlippenbach, et Legatum Gyldenklau: Si negent Poloni ſummam pecuniae, quid agendum? Dn. Comes Oxenſtierna: Primum exſpectandum ipſorum adhuc reſponſum. Sed ſi tunc negent, interrogat Dn. Regni Theſaurarius: concludendum exiſtimat Dn. Legatus Gyldenklau. Dn. Comes Schlippenbach Sobbotho accedit, et refert, quod Dn. Rautenſtein nunciaſſet, ſe certum eſſe, ſi hac ſeptimana pax non

* Carolus Avaugurius, Comes, Regis Galliae ad Carolum Guſtauum, Sueciae Regem, Legatus. De quo PVFENDORFIVS loc. comm. Lib. I. §. 10. ſic ait; *Ab ipſo Galliarum Rege in Sueciam Legatus mittebatur Carolus Avaugurius, quondam in Germania apud exercitum Suecicum Reſidentis ſimul ac tribuni militaris munere functus, eoque Regi Carolo Guſtauo notus acceptuſque.* Hic primus pacis inter Suecum et Polonum ineundae conſilia tentauerat; quae, poſt eius mortem, magna cura ſe proſequutum ipſe TERLONVS teſtatur, Comment. de Legatione ſua T. I. p. 131. *Comme la negociation de Pologne eſtoit commencé du vivant du feu Comte d'Avaugour, et que c'eſtoit luy, qui en avoit fait les premieres ouvertures au Roy de*

Digitized by Google

non concludatur, irritos fore tractatus, quia Auſtriaci exſpectent renouationem mandatorum rumpendi foedus cum Polonis, ſi cum Suecia illi paciſci velint: ergo maturandum negotium eſſe. Poſt reditum Dn. Mediator: Deliberare adhuc Dnos alterius Partis Commiſſarios, et eſſe contra Polonos Brandeburgicam Legationem, valde exaggerando ſummam poſtulatam a nobis. Dn. Regni Theſaurarius: Infra ducenta millia thalerorum nos remiſiſſe: nec in ſatisfactionem peti illa vel recompenſationem, ſed in ſubſidium militis deducendi, vt ſaepe declaratum eſt. Quum enim Dnn. Legatorum noſtrorum Excellentiae, praeſciſſa ſpe omni, tantum a poſtulata ſumma ſatisfactionis remittere cogerentur, petitum potius in aliud nomen conuertere voluerunt, quam ſordidam ſummam ſub ſatisfactione retinere. Atque ex ea occaſione Dn. Regni Theſaurarius Dno Mediatori iterum monſtrauit, quod ruina militis noſtri etiam Galliam adficiat, vtpote qui omnis Auſtriae acceſſurus ſit, ſi illi ſatisfactio nulla daretur: quod Galliae et Poloniae nociturum eſſet. Dn. Mediator: Vtinam perſuaderi ſibi patiantur Poloni. Et conuerſus eſt ad diſcurſus de aliis rebus, puta de nouellis Anglicanis, et quod Monkius partes Regis Scotiae foueret: et dimidiam horam fere diſcurſibus inſumſerant, nulla mentione facta negotii praeſentis; ſtudio forte, licet ſine dubio Dn. Mediator, praeterea quod honoris cauſſa veniret, lubens aliquid exploraſſet. Vocatur ad Dnos alterius Partis Commiſſarios Dn. Mediator. Poſt reditum retulit, quod Foederati velint reſtituere loca occupata gratuito: igitur Poloniae quoque loca in Boruſſia reſtitui poſſe ſine ſatisfactione. Dn. Regni Theſaurarius: Sed quibus conditionibus? Ille, dixiſſe quod reſtituturi ſint. Dn. Regni Theſaurarius: Sed quid de aliis Articulis? Dn. Mediator: Illos adhuc deliberare. Sed de hoc Articulo reſtitutionis

de Suede, et que j'avois vû par les Depeſches et par ce qui s'eſtoit paſſé avec ce Prince, que V. M. ſouhaitoit cette paix avec paſſion, cela m'obliga de porter le Roy de Suede à conſentir, que je fiſſe ſçavoir à Monſieur de Lombres, Ambaſſadeur de V. M. en Pologne, que le Roy de Suede vouloit cette paix de bonne foy; car je ſuis perſuadé, qu'il la vouloit en ce temps-la, et qu'il ne ſongeoit alors qu'à attaquer le Dannemarc. Je donnay des Lettres au Sieur Akakia, pour aller en Pologne, parce qu'il en connoiſſoit la Cour par les negociations, qu'il y avoit faites. Obierat Auaugurius Lubecae, d. 6. Sept. An. 1657. vid. TERLONVS p. 121.

** Legationi Gallicae ab epiſtolis. Vid. PVFENDORFIVS l. c. Lib. IV. §. 33.

nis locorum ſperat Dn. Mediator, quod iam amplius nulla ſit difficultas metuenda. Dn. Comes Oxenſtierna: Diuerſam eſſe rationem inter euacuationem locorum in Pomerania et Holſatia, et eorum in Boruſſia et Liuonia. Confoederatos poſſe in terra continua ſtatim deducere militem; nos, interiecto mari et tot prouinciis, non item. Non negare potuit Dn. Mediator, ſed impoſſibilitatem allegari ab alteris dixit, vti ad nauſeam toties retuliſſet. Dn. Comes Oxenſtierna: Dn. Mediatorem bene vidiſſe, quantum remiſerimus; paruulam rem eſſe, quam poſtulemus; amplius de ſumma iſta nos remittere nequire. Dn. Regni Theſaurarius ad Dn. Mediatorem: Num ſuadere nobis velit inire pacem cum diſpendio et ruina tam egregiarum adhuc copiarum. Tacuit Dn. Mediator, et iterum ad alteram partem abiit. Deliberant, dum abeſſet, atque Dn. Gyldenklau exiſtimat, quod inſiſtendum ſit adhuc poſtulationi ſubſidii. Dn. Comes Schlippenbach: Se non credere, quod abrumpant tractatum, ob paruam iſtam pecuniam. Dn. Comes Oxenſtierna idem dixit. Dn. Regni Theſaurarius: Tentanda itaque extrema; metum autem ſubeſſe, ne praetextum tantum hunc quaerant Legati Poloniae ſuper puncto ſatisfactionis rumpendi, vtpote plauſibile pro Polonica gente, quum ſuper tituli et Liuoniae renunciatione ac ceſſione non concludi velle pacem, neque Rex, neque Dnn. Legati Polonici auderent. Reuerſus Dn. Mediator nihil retulit, ſed aliis adhuc diſcurſibus tranſactum non nihil eſt temporis, donec iterum longum poſt ſpatium rediens intimaret, vt cras hora octaua matutina, ſi ita placeret noſtris quoque Dnis Plenipotentiariis, continuatio fiat congreſſus et tractatuum. Quos optat felicem ad finem perduci poſſe, maturantibus abitum iam et Aula et Legatione Polonica: quem ſi adhuc impedire nequiret, atque vt in gratiam Regis Chriſtianiſſimi aliquid

* Matthias Mylonius Bioernclonius, humili loco ortus, litterarum et inprimis ciuilis prudentiae ſtudio ad ſummam fortunae altitudinem peruenit. Nam publicae rei primum in Pacificatione Vueſtphalica admotus, deinde grauiſſimas legationes in Germania et Gallia obiuit, reuerſusque in patriam, inter Regni Senatores eſt cooptatus. De eo lubet verba ARKENHOLZII Comm. de Rebus Chriſtinae Reginae, T. I. p. 332. huc transferre: *Matthias Mylonius Biörnklou, né de parens d'une condition mediocre,* (Ampliſſ. STIERNMANVS natum patre molendinum exercente, refert,) *ſe pouſſa par dégrès juſqu'à la prémière dignité du Royaume, qui eſt celle de Senateur. Il fut employé des Commiſſions fort impor-*

quid faciant, a Polonis impetrare, verendam eſſe rupturam tractatuum, optato exitu cariturorum: quod autem dolendum foret, tam longi laboris fructum nullum ſequi, et omnes tam egregia et firmiſſime concepta ſpe pacis generalis ob rem tam paruam deſtitui. Dni Legati noſtri, noſtra ex parte vel moram promouendae pacis vel cauſſam abrumpendi operis ſalutaris non eſſe proteſtantur, et abierunt.

Actum Oliuae d. $\frac{21}{31}$ Martii, horis ab VIII matutinis.

Abſente propter valetudinem Dno Comite Schlippenbachio, Dn. Regni Theſaurarius interrogat, num Dn. Mediator loquutus ſit cum Dnis Polonis hodie? Ille: illos exſpectare declarationem noſtram. Dn. Regni Theſaurarius: Nos aliam, quam heſternam declarationem dare non poſſe. Remiſiſſe, vt amplius remittere nequeamus. Dn. Mediator impoſſibilitatem Polonorum repetit. Dn. Comes Oxenſtierna: Non eſſe impoſſibilitatem, ſed quaeſitum praetextum. Deuentum ad acrem iterum diſceptationem, et Dn. Mediator opponit noſtro poſtulato, quod Confoederati reſtituturi ſint loca occupata in Pomerania et Holſatia. Dn. Regni Theſaurarius: Quae nobis ſit ſecuritas de reſtitutione iſta a Confoederatis. Dn. Mediator: Si illi non ſtent promiſſis, nec Dnn. Plenipotentiarios teneri, quae ipſi promiſerint. Dn. Regni Theſaurarius: Nolle nos ludibrio eorum exponi; multa hactenus promiſſa, nihil dari effectui: ſolum iam allegatur exemplum tamdiu dilati noui Salui Paſſus pro duabus galeotis Elbingenſibus. Quum multa adhuc reniteretur Dn. Mediator, dictum eſt ipſi per Dn. Regni Theſaurarium, nos nolle progredi in tractatu, niſi ſtaretur promiſſis. Gentem Suecos eſſe, qui tales indignitates diutius ferre nolint. Item, nos velle Dn. Legato Biörnklau [o] de omnibus, quae

importantes, pendant là guerre de trente ans, et après ce tems-là. Le Roi Charle Guſtave lui rendit le témoignage, dans ſa Lettres du 2 Nov. 1657. qu'il ne connoiſſoit perſonne à ſon ſervice, qui fut meilleur Théologien et plus homme de bien que lui. Il avoit été précepteur du Comte Magnus de la Gardie. Les Mémoires et Traités en fait de Politique, que Biörnklou dreſſa, marquent bien la netteté de ſon ſtile et la capacité, dont il étoit doué. — Conf. Dni a STIERNMAN Biblioth. Sueco-Gothica, P. II. p. 719 ſq. Memorialia illius ad Electores et Status Imperii, exſtant in LONDORPII Actis Publ. T. VIII. et in IO. AVG. PASTORII Laur. Actor. Publ. ad An. 1658.

hactenus acta ſint, notificare, qui Dno Cardinali ſit relaturus. Vbi redierunt ad Articulum de ſatisfactione, et hinc inde ſatis verborum ac rationum erat mixtum, datur reſolutio Dno Mediatori, quod militem ſaluari oporteat: igitur de poſtulato ſubſidii recedi non integrum eſſe. Dn. Mediator ad alterius Partis Dnos Commiſſarios ſe contulit, et ipſo abſente deliberarunt Dni Plenipotentiarii, ſi tandem ad ſummam pecuniariam perſuaderi ſe non paterentur Poloni, num abrumpendi ex illa cauſſa tractatus ſint? Et concluſum, quod non. Igitur Dn. Regni Theſaurarius proponit, in caſum non numerandae pecuniae primum expediri oportere ſequentia,* nimirum: 1) Vt fiat poſſibilitas deducendi militis, Dnos Polonos diſponere oportere vrbem Dantiſcum, vt mutuo det ſummam certam, quam Legatio Suecica ſe obliget, in Suecia inter tres quatuorue menſes cum intereſſe ſolui debere. 2) Vrgendam Foederatorum declarationem de pace concludenda. 3) Eorumdem obligationem reſtituendorum locorum poſcendam. 4) Dandas naues et commeatum pro maritimo; currus, commeatum et tranſitum, ſi terreſtri itinere deducendus ſit. 5) Ne fiat aliqua ratione, per conſenſum noſtrum, traditio Elbingae Electori. 6) Principiſſae Radziuiliae et Comitis Koenigſmarkii deſideriis ſatisfaciendum. 7) Praeſidium Strasburgicum totaliter reſtituendum. 8) Pro galeotis Elbingenſibus Saluum Paſſum, ſine vlteriori mora, dandum. 9) A religione diſſentientes in Polonia in ſuas dignitates et priuilegia, quibus ante bellum hoc gauiſi ſunt, reſtituendos.

Deliberatum vbi eſt, an iſta debeant proponi Dno Mediatori in caſum non obtinendae et accipiendae pecuniae, vel ſubſidii ſupra dicti, conſentitur a tribus praeſentibus Dnis Legatis. Poſt reditum Dn. Mediator refert, quod adhuc diſputent ſuper illa materia; interea dicere ſe, quod in tractatu Stumſdorfenſi data ſint Sueciae vectigalia, non pro deducendo milite, ſed propter ſex reſtantes annos priores.** 2) Dnos Legatos Suecicos promiſiſſe in hoc tractatu, quodſi in duobus punctis principalibus renunciationis et ceſſionis conuentum fuerit, ſatisfactionem non poſtulaturos. Id ſecundum quod negatur: neque enim in

* Conf. PASTORII Diarium p. 198. et n. *

** Qua ſuper re quae Stumſdorfii olim diſceptata ac conuenta fuerant, CAR. OGE-

in Protocollis aliud habetur, quam ſi priora expediantur ſine conditione et reſeruatis, Dnos Plenipotentiarios in reliquis velle faciles ſe gerere. Propoſita itaque ſunt nouem puncta iſta ſuperiora. Dnus Mediator grandes difficultates et rupturam metuit. Reſponſum per Dn. Comitem Oxenſtierna: Non oportere rem reddi difficilorem, quam ſit; nihil hic poſtulari, quod neceſſarium non ſit; et de pluribus ante conuentum; nec nos aliter hoc vel illud conceſſiſſe, quam ſi tractatus bene et aequis conditionibus, in quibus ſatisfactio non vltimum locum ferat, concludatur. Poſt reditum adfert, quod adhuc deliberent; ſcandalizatos (vt erant eius verba,) Dnos Electorales, et Imperiales, et Polonos; dicereque, bellum continuandum. Interrogatur, ſuper quibus offenſi ſint? Super Elbinga, ſuper titulo, reſpondit: item nos poſtulare de Principiſſa Radziuilia, de Comite Koenigſmarkio, de diſſentientibus a religione, quae leges dent ipſis. Reſponſum, non dari leges; poſtulata haec omnia in noſtris propoſitionibus et poſtulatis contineri. Dn. Mediator de ruptura loquitur. Dn. Regni Theſaurarius: A principalibus punctis renunciationis et ceſſionis recedere nos abſolute non poſſe: ſi velint ſuper his abrumpere tractatum, ferendum eſſe, vt fiat: iuſtitiam cauſſae noſtrae et aequitatem poſtulatorum, toti mundo vt innoteſcat, fore. Quibus iterum abiit. Poſt reditum Dn. Mediator retulit illos deliberare, et valde conſternatos eſſe ſuper poſtulatis hiſce. Dn. Regni Theſaurarius: Nos videre non poſſe, quid offendere poſſit, niſi offendat, quod Legatio Suecica aequa petens, in ipſorum poſtulata condeſcendere nequeat. Percurrunt paullo Proiectum Polonicum: et poſt diuerſos eoſque acres diſcurſus Dn. Mediator iterum ad alterius Partis Legatos ſe recepit. Qui quum rediiſſet, et, quod referre Regi iſta omnia velint Dni Poloni, nunciaſſet, diſceſſum eſt, nobis Sobothum, illis in vrbem Dantiſcum reuertentibus.

Actum Sobothi $\frac{22\ \text{Martii}}{1\ \text{April.}}$ hora III pomeridiana.

Dn. Mediator ſeorſim viſitauit Dnos Legatos noſtros ſingulos: deinde in aedibus Dn. Regni Theſaurarii habita eſt parua Conferentia:

OGERIVS Ephem. p. 336-39 ſq. expoſuit. Conf. IO. FOVLERI Hiſt. Pacificationis Stumſdorfenſis, (*A Brief Relation of the Paſſages at the Treaty of Pacification concludet at Stumbſdorf,*) pag. 176 ſq.

tia: et poſt aliquot diſcurſus, Dn. Mediator propius ad negotium pacis acceſſit, deditque ſpem continuandorum tractatuum, vſque ad optatum exitum eorum, ſperans idem adhuc pacis ſtudium in Legatione Suecica, quod hactenus oſtenderint. Dn. Regni Theſaurarius, mirandum eſſe, loquutus eſt Dno Mediatori, quod heri tanta animi commotione voluerint accipere, quae dictante aequitatis ratione poſtulauerimus, Dni Poloni, Confoederatique eorum. Dn. Mediator: Si nos aliquid demus paci, remittendo quantum fieri poſſit, et aliquid etiam eidem altera Pars tribuat, ſuperari tandem facile poſſe, quae difficillima videantur. Dn. Regni Theſaurarius: Non debuiſſe nos, vt eſſent conditiones, ſine quibus non, ſed quia ante propoſita voluimus pertractare, atque ad exitum perducere tandem. Poſtquam autem viderimus, Dnos Polonos nimis indulgere Foederatis ſuis, in omnibus rebus indies fore difficiliores, hodie aliquid acceptari, cras retractari, adeoque fere Articulum nullum complanari et firmiter concludi, interea Aulam et Legationem ipſam abitum parare, omnes nihil niſi rupturam tractatuum et bellum minari: aut ex voto noſtro concluſionem pacis impetremus, aut vt iuſtitiam cauſſae noſtrae Orbi demonſtrare poſſimus, laborandum nobis eſſe. Dn. Mediator: Donec Partes extremis inhaereant, difficilem ſemper eſſe laborem adipiſcendae pacis; remittendum eſſe vtrique, et dandum amori quietis publicae, quod alias non facturi eſſent. Dn. Regni Theſaurarius: Velit declarare Dn. Mediator, quid in poſterum ſperare Legati Suecici poſſint, quoad exitum tractatuum praeſentium, conteſtantes, quod remiſerimus et remiſſuri ſimus, quidquid licuerit, ac potuerimus. Dn. Mediator: Difficultates in quatuor punctis ſibi adhuc maximas videri; in titulo, in Elbinga, in Religione et expulſis Liuoniae, in Principiſſa Radziuilia: modo in his ſatisfiat Polonis et Electoralibus, ſe non dubitare, quin reliqua deinde quoque procedant. Dn. Regni Theſaurarius: 1) Quoad titulum ad dies vitae, vt Rex Poloniae retineat, remonſtratum eſſe, titulum aliquid praeſupponere, et ideo Legationem Suecicam hoc poſtula-

* Vid. OGERIVS loc. comm. p. 335. et 347. item, quae nos ipſi commemorauimus ad PASTORII Diarium Obſ. XII. pag. 323.

** Non ſigillatim Elbingae, ſed ciuitatibus Pruſſiae vniuerſis. Priuilegium enim Incorporationis, quod vocant, intelligitur: cuius verba, quae huc pertinent,

ſtulatum admittere noluiſſe; nihilominus (facta inuicem deliberatione,) ſe adhuc ad nuperam declarationem referunt, ſcilicet, quia cauendum eſſet, ne infringatur renunciationis Articulus per reſeruationem illam, dum per expreſſum Regi Poloniae ſaepe memoratus titulus reſeruaretur; demum declarari, quod conniuendo per tacitum conſenſum, eum S. R. M. Poloniae relinquimus, vt Eadem illo gaudeat, ſicut Stumſdorfii conuentum ſit,° in Regno Poloniae et ad ſuos, vt et ad Reges, Status et Principes exteros, ſed nulla ratione aduerſus S. R. M. Sueciae, Regnique Sueciae Status, miniſtros ac ſubditos intra vel extra Sueciam, vtpote retentis, vt hactenus, alteri ad alterum tribus Etcaeterationibus, ſub expreſſa tamen cautela, vt id fiat ſine renunciationis praeiudicio. 2) De Elbinga: Omnibus in confeſſo eſſe, quod non poſſimus manifeſto conſentire in traditionem Electori faciendam a Polonia, ſiquidem nobis non quidem infamiae foret, ſed contrauentionis eſſet Articuli de amneſtia, et quod ciuitatibus Boruſſiae integra manere debeant priuilegia, ſicuti fuerunt ante hoc bellum; priuilegium autem Regis Caſimiri Elbingae datum eſſe,°° ne ciuitas alienetur, ſequeſtretur, aut a corpore ciuitatum reliquarum abſcindatur. 3) Quoad punctum Religionis et Expulſorum in Liuonia, eſſe, quod non poſſimus recedere ab iis, quae hiſce diebus declarauimus. 4) Quod Principem Radziuiliam adtineat, nos tractaturos. Atque haec eſſe, quae vltimo loco declarare potuerimus ſuper his quatuor: quoad reliqua, ſe velle Dnn. Legatos noſtros explicare, vbi ſumma illa pecuniaria et ſiliginis poſtulata a Dnis Polonis complacita fuerit. Hic de nouo a noſtris neceſſitas, a Dn. Mediatore Polonorum impoſſibilitas, coepit ventilari. Tandem vbi nihil poſſet profici, tacuerunt ad hoc, continuatum tot diſceptationibus diuerſis in congreſſibus, impoſſibilitatis reſponſum noſtri: et factis hinc inde ſolitis curialibus, Oliuam Legatus Gallicus Mediator reuertebatur, exſpectantes vtrique, quid reſoluerit Rex Poloniae ad relationem Legatorum Plenipotentiariorum ſuorum, promiſitque Dn. Mediator ſuam operam et diligentiam, et quod velit certos nos reddere

nent, ita habent: *Item terras praedictas, ſub noſtro regimine et in Regni noſtri Poloniae corpore conſiſtentes, in ſuis antiquis gadibus, limitibus et terminis conſeruabimus, tuebimur et defendemus, nec terminos et gades terrarum ipſarum in aliquo diminui, vel periclitari vel diuidi a limitibus Regni, vti partes indiuiduas, nullatenus patiemur.*

dere de congreſſu futuro, quem cras ſperaret. Non ceſſauerunt ſuis relationibus Dni Akakia et Baurdoiſius, qui etiam hac vice, dum vix abierat Sobotho Dn. Lumbreſius, aderant, et quas ille dixerat difficultates, ſuperatu difficiliores, et impoſſibilia, impoſſibiliora adfirmarunt, ita vt vix aliud, quam rumpendi tractatus [neceſſitas] adpareret, niſi Legatio noſtra tempori cedere, et, quantum per mandata Regia liceret, facilem ſe praebere vellet.

Actum Oliuae d. $\frac{23\ \text{Martii}}{2\ \text{April.}}$ *hora III pomerid.*

Hac vice, in eodem momento et noſtri et Dni Polonici Plenipotentiarii Oliuam aduenerunt, ita vt ſimul vnaquaeque Pars per ſuam portam intraret. In conclaue noſtrum vbi peruentum eſt, Dn. Mediator quaedam recenſuit nouorum, cum hodierna Poſta adlatorum. Deinde ad negotium pacis quod adtinet, retulit, Polonos iam iterum pacatiores eſſe; ſe quoque rogaſſe, vt Aula ſe non moueret Dantiſco, antequam omnia eſſent concluſa: id quod Rex et Regina quoque promiſiſſent. Dn. Regni Theſaurarius: Ante ratificationem Regem non proficiſci inde poſſe. Dn. Mediator: Regem non ratificaturum, ſed Rempublicam in Comitiis. Dn. Regni Theſaurarius. Nos inſiſtere eidem viae, qua hactenus egimus; ſperare itaque, alteram Partem ſimili vſuram aequitate. Sequi debere Acta Stumſdorfenſia, vbi Rex quoque ratificauit pacta, et per ſe quoque pacta rem eius eſſe naturae, vt requirat Regis ratificationem. Dn. Mediator: Se velle inſpicere Receſſum Stumſdorfenſem:* et abiit.

Poſt reditum Dn. Mediator, quum horam et amplius abſfuiſſet, redux adtulit, ſe expoſuiſſe Dnis Polonis ea, quae Legatio Suecica heri declaraſſet Sobothi, nempe, reſeruationem tituli, et ſilentium ſatisfactionis pecuniariae. Dnos Polonos id grato animo accepiſſe. Quantum ad

* Poſt acerrimas contentiones, de quibus OGERIVS memorat, p. 349. 351 ſq. res tandem compoſita in Stumdorfiana pactione, Art. XXIV. *Vt hiſce pactis firmius inſiſtatur, certoque conſtet, bona fide ea ſeruatum iri, hoc modo conuenit, vt, redditis vtrimque procuratoriis Dominorum Commiſſariorum, pacta haec manu et ſigillo eorumdem corroborentur, et inuicem tradantur. Tum vt Sacra R. Maieſtas Poloniae ſecundum praeſcriptam formulam eadem quantocius confirmet,*

Digitized by Google

ad alia puncta, non facere illos magnam difficultatem ſuper reſtitutione Praeſidii Strasburgici; galeotas etiam poſſe iam tranſire per Pillauiam. Sed quando reſtitueretur, interrogat Dn. Regni Theſaurarius. De tempore non loquutos, reſpondit Dn. Mediator: galiotis tranſitum conceſſum eſſe, acceptatur. Superſunt, inquit Dn. Mediator, tria alia puncta, de quibus iam ſaepius egimus, exercitium liberum religionis, reſtitutio bonorum exulibus, et de Elbinga. Quoad religionem ſe non multum petere dixit, tantum ſecretum exercitium: dent hoc Dni Legati Regum Poloniae et Chriſtianiſſimi fauori. Quod exules concernat, valde durum eſſe, carere eos cogi poſſeſſionibus maiorum; nec nos multum poſtulare: ſi non omnia reſtituantur, particula detur. Quantum ad punctum Elbinganum, maiorem difficultatem eſſe, quia Electorales valde vrgent, vt reſeruetur tractatus integer inter Dn. Electorem et Sereniſſimum Poloniae Regem; didiciſſe ex inſtructione intercepta glorioſae memoriae Regis Sueciae,** caſſationis foederum non fieri mentionem. Se illis dixiſſe, quaeſtionem iſtam iam eſſe inutilem: nam aut caſſari foedera, aut non caſſari: ſi caſſentur, et iſtam clauſulam foederis Bidgoſciani caſſari; ſi non caſſentur, in vigore et hanc quaeſtionem manere: illos nihilominus perſiſtere in ſua ſententia. Quoad Principiſſam Radziuiliam, et Dn. Comitem Koenigſmarkium, ſuo loco acturos ſe eſſe, reſpondiſſe. Loquuntur inter ſe Dni Legati noſtri; et Dn. Comes Oxenſtierna: Quod propoſita iſta ſint magni momenti; rogandum Dn. Mediatorem, vt paullum concedat ſpacii deliberandi. Quum reliqui omnes adſtipulati eſſent, ſeceſſerunt in conclaue annexum. Poſt reditum Dn. Regni Theſaurarius: Sperasse ſe, et Dnos Collegas ſuos, fore, vt Dnn. Poloni reducerentur ad aequiorem mentem; et quum dederit Legatio Suecica paci tantum, vt etiam mandata quaſi exceſſerint, ſperari et in Dn. Mediatore confidi, quod Dni Poloni ſint acquieturi declarationi noſtrae. Pergit, et quod primum

met, et antequam vllius loci fiat reſtitutio, ſuam confirmationem tradat. Formula ipſa Regiae Ratificationis exſtat apud OGERIVM p. 397. aliosque.

** Inſtructio, *oder Unterricht, welchen Se. Königl. Majeſt. in Schweden Dero in Pohlen anweſenden Geſandſchaft aus Dännemark überſchicket, unterwegs aber von dem Feinde aufgefangen worden:* legi poteſt in DIARIO EVROP. P. VIII. App. p. 3—16.

mum adtineat religionem, ſe non poſſe excedere vlterius, inhaerere induciis Stumſdorfienſibus, ſpondereque, quod non futura ſit inquiſitio vel turbatio, ſed omnia manſura in eo ſtatu, quo tempore induciarum fuerant. Ad ſecundum*, ſperare Legationem Suecicam', quod Dni Legati Polonici non remoraturi ſint tantum negotium propter hanc rationem: non dubitare igitur, quod aequius ſe ſint declaraturi, et a poſtulato hoc reſtitutionis bonorum exulibus deſtituri, quippe quod plane, vt ſuperioribus diebus demonſtratum eſſet, impracticabile ſit. Dn. Mediator inſiſtit, placidiſſimis tamen impetitionibus, huic poſtulato. Sed remonſtratur, quod in mandatis noſtris non ſit. Igitur Dn. Mediator deſtitit hac vice. Pergit Dn. Regni Theſaurarius nomine, vt ſolitum, Collegii: Quod Elbingam adtinet, dixiſſe ſe ſaepius rationes ſuas; valde fore dedecori nobis, conſentire in illud foedus Bidgoſcianum, quod e diametro nobis contrarium; ſufficere, quod declarauerimus, nos nolle impedire traditionem: ſi Polonis vtile videretur et ſtatui eorum, tradant; ſed confirmare nos non poſſe. Inſiſtit Dn. Mediator, et addit, Elbingenſes iam accepiſſe ſaluum conductum; poſſe ſuas ipſas res iam curare.** Placide remonſtratur adhuc ipſi, quod iam dictum et ſaepe remonſtratum eſt, et rogatur Dn. Mediator, diſponat alteram Partem, vt amplius non inhaereant fruſtraneo huic petito.

* Conf. PASTORIVS ad h. d. p. 207.

** Ita ſane. Nam Pomerani non Vandalorum, gentis Germanicae, propago, ſed Venedorum ſiue Slauorum, qui Vandalorum quondam ſedes ad Balthicum mare occuparunt. Vid. HENR. BANGERTVS ad HELMOLDI Chronica Slauorum, p. 6 ſq. Vnde et priſci Pomeranorum Principes ſuis ſe in litteris, quales in DREGERI Codice Dipl. Pomeraniae, et RANGONIS Pomerania Diplomatica, legi poſſunt, *Duces Slauorum* adpellitauerunt. Sicuti Sueciae Reges, atque item Principes Electores Brandeburgi, hodieque in Germanicis diplomatibus vocantur *Hertzoge zu Stettin, Pommern, der Caſſuben und* WENDEN: hoc eſt, Duces Stetini, Caſſubiae et *Venedorum*. Similiter Reges Daniae, ex quo Venedorum ſeu Obotritarum regnum ab Imperatoribus Germanicis acceperunt, *Slauorum Reges*, poſtea *Vandalorum* dicti ſunt. Quam tituli huius mutationem, CHRIST. LVDOV. SCHEIDIVS, vir longe eruditiſſimus, in Schediaſm. de Regii Vandalorum tituli, Auguſtiſſimis Daniae Regibus iam pridem familiaris, origine et cauſſa, §. XIV. p. 88. coniectat exinde fuiſſe factam, *quod ſicuti poſt renatas litteras nominibus vel nouis, vel ex aliis linguis adſcitis mirum in modum delectati ſunt viri eruditi, ita ii ipſi, quoties Principum et Regum elogia recitarent, verba recentiora et minus vſitata, quantum fieri licuit, ſiue ſtudio ex nouitate rei Principum gratiam aucupandi,* *ſiue*

tito. Dn. Mediator ad reſtitutionem exulum regreditur, et aequum eſſe, remonſtrare ſatagit. Contra remonſtratur ipſi, impoſſibile eſſe vel propter confuſionem inde orituram: item quis reſtituat, an primus, an modernus poſſeſſor? quia aliqua ſint donata, aliqua emta, alia permutata. Ille recepit ſe ad Dnos Polonos et Confoederatos. Ipſo abſente Dn. Legatus Gyldenklau monet nonnulla ſuo loco, quoad titulaturam S. R. M. obſeruanda: videlicet, 1) an tituli Regis vtriuſque, facta a Rege Poloniae renunciatione, iam cum abbreuiaturis ponendi, an vero adhuc integri retinendi? in conficiendis ſcilicet Articulis Inſtrumenti pacis. 2) An S. R. M. Dominus noſter Clementiſſimus, ſimpliciter ſit Rex nominandus, an deſignatus Rex, ſicuti tempore Regum Caroli IX. Guſtaui Adolphi, et Reginae Chriſtinae, vſi titulis ſimus, ante coronationes? 3) Num noui Regis noſtri moderni titulo iam nunc inſerenda ſit, poſt Eſthoniam, et ante Careliam, Liuonia, poſtquam ceſſa ſit nobis a Polonis illa prouincia. 4) Si quidem ſcribatur perperam in titulo S. R. M. Pomeranico, *Vandalorum Princeps*, quum ſit *Vendorum*;[**] an non liceat Dnis Legatis ponere verbum genuinum, ita vt Vandalorum maneat inter titulos Regios. 5) Dn. Saluium neque in Germanica, neque Latina titulatura voluiſſe ſcribere *Ferdam*; ſed *Verdam* in noui tituli introductione tenaciter placitaſſe:[***]

quod

ſiue adſectatione eruditionis adhibuerint. Quod quum poſtea cernerent, qui in Principum Cancellariis vel Directorum vel Scribarum munere funguntur, primum imitatione aliorum, poſtea gliſcente ſenſim conſuetudine, auctoritate ſua effecerunt, vt huiuſcemodi ſcribendi formulae fierent curiales. Et ſane talibus adprime Philippum Melanthonem, Petrum Moſellanum, alios, qui eorum ſtudia aemulabantur, conſtat fuiſſe delectatos. Sed Vandalorum, ac Venedorum, et Slauorum vocabula iam olim commutata ſunt, etiam ab HELMOLDO, qui Lib. I. Chron. c. 2. diſertis verbis ait: *Qui antiquitus Wandali, nunc autem Winithi ſiue Winuli appellantur. Horum primi ſunt Pomerani.* — Hunc quidem errorem latius diuulgauit ALBERTVS KRANZIVS, in Vandalia.

*** In antiquis chartis vocatur, teſte SCHEIDIO, Adnot. ad IO. IAC. MOSERI Ius Publ. Brunſuic. p. 376. n. ** modo *Phardum*, modo *Fardium*: in ipſis tabulis fundationis, ſed ſpuriis illis, apud NICOL. SCHATENIVM, Hiſt. Vueſtph. p. 505. et LINDENBROGIVM Script. Rer. Septentr. p. 177. *Ferdium*: quocum conuenit nomen *Ferdi* in EGINHARDI Annalibus, ad An. 782. In aliis vetuſtis monimentis, inter VOIGTII Monim. Bremenſia, dicitur *Vorda*. Ego Verdam recte dici haud ambigam, ex vocabulo Germanico *Werd*, *Werder*, h. e. inſula in flumine nata: prouti *Kaiſerswerd*, Caeſa-

quod queat eſſe perinde, ſi Germanice ſcribatur per *V*. et Latine ac Suecice per *F*. Poſt reditum Dn. Mediator, Articulo de religione inſiſtere Dnos Polonos, refert. Dn. Regni Theſaurarius: Hoc non eſſe aliud, niſi tempus perdere. Rogari Dn. Mediatorem, diſponat Dnos alterius Partis Commiſſarios ad deſiſtendum ab hoc puncto. Dn. Mediator: Maiorem fore circa Elbingam difficultatem, quod velint Dni Electorales Inſtrumento inſeri, *ſaluis Pactis Bidgoſcienſibus*. Dn. Regni Theſaurarius hoc fieri poſſe negat: ſufficere, ſi ponamus ſecreto Articulo, nos impedire, quid facerent hac in re Poloni, nolle.

Poſtea Articulus XXIV. quantum vectigalia et telonea in flumine Duna et Bulderauia concernit, hiſce verbis conceptus producitur: „Et telonea atque vectigalia in flumine Duna atque Bulderaa, et maritima terreſtriaque in Liuonia, eadem et in iiſdem locis tantum ſint, quae a Suecia tempore induciarum, et antehac poſſidebantur, et adhuc poſſidentur ac ſumuntur, nec vllis teloniis ac vectigalibus aliis mercimonia per Liuoniam dehinc grauentur aut onerentur.„ Et iuſſit Dn. Regni Theſaurarius, ita vt ingroſſetur. Paucis adhuc de aliis diſcurſum: et quidem de galeotis Elbingenſibus Dn. Mediator repetiit, quod Dni Electorales in tranſitum et ſecuritatem illarum conſentiant; et ſiquidem Princeps Radziuilius futuro craſtino Dantiſci ſit, rogaturos, vt tubicinem mittat ad Pillauiae Praefectum, tamdiu ibi manſurum, donec naues iſtae tranſiiſſent. De methodo quoque componendi Inſtrumentum pacis loquuti ſunt: et Dno Mediatori denuo demonſtratum eſt, nunc Proiectum multo clarius et diſtinctius poſitum, illud ſequi omnes Partes poſſe. Non dicere potuit aliquid contra Dn. Mediator. Mandauit igitur Dnus Regni Theſaurarius Secretario, vt fieret Copia vtriuſque, in vna charta ſibi inuicem oppoſiti, quo eo melius differentiae cerni, et faciliori labore progredi poſſint ſequenti ſeptimana. Placuit cras, poſt meridiem, continuare congreſſum: et diſceſſimus.

Actum

Caeſaris Verda ſ. inſula, *Donauwerd*, inſula Danubiana, et id genus alia.

* Conf. PASTORIVS ad d. II April. pag. 211.

Digitized by Google

Actum Oliuae d. $\frac{24\ \text{Martii}}{3\ \text{April.}}$ *horis a III pomerid.*

Dn. Mediator adfert ſchedulam ſuper Articulo, de religionis exercitio in Liuonia, ita ſonantem: *Homines Catholicae religionis omni libertate religionis deuotioniſque Catholicae gaudebunt, et ſi qui cultu ac ritu Catholico vſi fuerint, non inquiretur in illos a quopiam.** Poſt aliquam diſceptationem ac deliberationem tradita eſt proiecta alia noſtra huius tenoris: *Quod religionem Catholicam, eiuſque exercitium in Liuonia Suecicae poſſeſſionis adtinet, maneat in illo ſtatu, quo fuit viguitque tempore induciarum, nec libertati conſcientiarum vis aliqua inferatur, vel inquiſitio fiat ob eamdem religionem in aliquem, ſi pacate et ſine publico ſcandalo vixerit.* Quam Dn. Mediator accipit, monſtraturus Dnis Polonis.** Interea quum nondum adueniſſent Partis alterius Legati, Dn. Regni Theſaurarius interrogat, num aliquid aliud tractari poſſit, dum illos exſpectando tempus laberetur. Dn. Mediator: Se ad heſterna tria puncta Religionis, Exulum et Elbingae ſatis reſponſi nondum accepiſſe; itaque illud prius exſpectare. Diſcurſum eſt obiter 1) de renunciationis foederum Articulo: 2) Duce Croyano: 3) Principiſſa Radziuilia: 4) Comite Koenigſmarkio: 5) Comitibus de Dona. Ad primum exiſtimauit Dn. Mediator, poſſe illum Articulum, donec eo vſque ventum fuerit, differri: ſecundum, tertium, quartum et quintum ſuo quoque loco reliquit pertractanda. Nunciatus eſt aduentus Dnn. Brandenburgicorum: itaque ad illos ſe Dn. Mediator recepit. Poſt reditum ille adtulit ſchedulam religionis reformatam; ſed verbis priori magis praeiudicioſis, ac nociuis conceptam. Deliberant noſtri: et Dn. Regni Theſaurarius ad Dnos Collegas: Quid hic ſtatuendum? Articulum hunc periculoſum; aliquid tamen dandum, ne mora iniiceretur tractatui, et quia in noſtri Proiecti Articulo XVII. iam huius rei mentio facta ſit. Dn. Comes Oxenſtierna, et Dn. Legatus Gyldenklau: Nullum ipſius exercitium concedendum. Dn. Comes Schlippenbach: Credere ſe, ſi omittantur verba: *Pacate — vixerit:* reliqua non nocitura. Dn. Regni Theſaurarius iterum interrogat, quid agendum? Dn. Comes Schlippenbach: Quia ſemel Art. XVII. mentio facta ſit, ne-

** Conf. PASTORIVS ad d. III April. pag. 212.

ceſſe eſſe, vt ſuper illo conueniatur; alias rupturam metuendam. Conuerſi ſunt ad Dn. Mediatorem: qui, vbi inſiſteretur a Dn. Regni Theſaurario proiectae noſtrae ſchedulae, et, quod turbae poſſint oriri, quum nos omnia ſemina diſſidiorum futurorum euitare velimus, remonſtraretur, reſpondit: Etiamſi exercitium plane liberum concedatur, illos tamen ſemper ſub poteſtate magiſtratus futuros. Aliquid mouere in talibus ſubditos non poſſe. Dn. Regni Theſaurarius: Neceſſe eſſe, vt ponantur ea verba: *Maneat in eo ſtatu, quo fuit per inducias Stumſdorfienſes.* Dn. Legatus Gyldenklau: Si poſſent obtinere Catholici, quod iam dedimus in ſchedula ſupra inſerta, ſatis eſſe. Dn. Comes Oxenſtierna, vt deleatur *Exercitium*, exiſtimat. Dn. Comes Schlippenbach, addatur *priuatum*, cenſet. Dn. Mediator: Electorales commendaſſe ſummo cum zelo hanc quaeſtionem. Mirum hoc viſum noſtris,* et Dn. Mediator ad alteram Partem ſe recepit, relaturus, nos inſiſtere ſchedulae proiectae a nobis, nec velle vllo modo exercitium admittere.

Poſt reditum Dn. Mediator refert, quod velint Dnn. Poloni, vt adponatur, *exercitium priuatum*, et omittatur, *ſicut fuit in Tractatu Stumſdorfienſi:* adtulitque ſchedulam, in illum ſenſum conceptam. Dn. Regni Theſaurarius: Nos amplius concedere non poſſe; reſpondendum alias fore coram Rege et Statibus Regni. Conqueri et dolere nos, quod concedere, quod cupiant, non poſſimus: etiamſi concederemus, ratificata tamen non fore, et Dnos Legatos odium duntaxat in ſe deriuaturos. Dn. Mediator allegat Protocollum Stumſdorfienſe, typis impreſſum.** Dn. Regni Theſaurarius: Nos habere Manuſcriptum, quod contineat contrarium. Diu diſceptatur. Dn. Mediator: Se dare vltimam reſolutionem Suis Excellentiis, rogareque, conſiderent, an propter hunc Articulum abrumpi velint tractatum? Dn. Regni Theſaurarius: Se et Dnos Legatos Collegas non poſſe a ſua ſententia recedere, nec ſibi integrum eſſe. Dn. Mediator: Non eſſe religionis, cogere

* Conf. PASTORII Diarium, p. 189. et n.****

** Quo nomine indigitari CAROLI OGERII Ephemeridas coniectaui, ad PASTORII Diarium p. 212 ſq. n.** Nec nunc muto ſententiam. Nam in ANONYMI Diario MS. Polonico, de quo alibi dixi, adpellatur Mediatoris Galli, qui tum fuerit, Protocollum. Id quod ab

cogere religionem. Dn. Regni Theſaurarius: Non cogi, ſi conſcientiarum libertas concedatur. Quibus abiit Dn. Mediator quaſi indignabundus, et animo perturbato. Poſt reditum nihil retulit, niſi quod craſtina pomeridiana ſecunda continuare velint congreſſum, ſi vtrimque ita placeat. Dnus Regni Theſaurarius: Nos venturos, ſi alteris ita viſum ſit. Dn. Mediator: Se credere, et illos venturos. Placuit itaque nos velle adeſſe; ſed ſi alteri Parti non placeat, Dn. Mediator in tempore nos certiores reddat. Id quod promiſit. Diſcurſum deinde ſtando paullulum de aliis punctis, et vt illi quoque expediri poſſint, deſideratur. Dn. Mediator: Antequam Articulus religionis complanatus ſit, amplius progredi poſſe, ſpem non eſſe. Diſceſſum eſt ad ſtationes noſtras, Sobothum. Ante vero, quam abirent Oliua Dnn. Legati, ſe inuicem adhortati ſunt, rem quilibet domi bene conſideret, et votum ſuum ad Protocollum daret. Mandaturque Secretario, vt ex his, quae huc vſque ſuper hoc puncto diſcurſa vel acta ſint, Articulum concipiat, et cras in Conferentia paratum habeat ad videndum.

Actum Oliuae, d. $\frac{25\ \text{Martii}}{4\ \text{April.}}$ horis a IV pomerid.

Abſente propter valetudinem aduerſam Dn. Legato Gyldenklau, quia paullo ſerius nuncium eſſet miſſum, hodiernus congreſſus hora demum quarta pomeridiana reaſſumitur. Dn. Mediator incipit non a puncto vel Articulo religionis, vbi heri ſubſtitimus, ſed a Praeſidio Strasburgenſi, dicens, Officiales iam adeſſe, ſi Dnn. Legati velint eos recipere, reſtitutos fore. Reſponſum per Dn. Regni Theſaurarium: Officiales non conſtituere Praeſidium; militem gregarium ſimul oportere ſiſti; intelligi, tantum illuſionem Electoralium eſſe: Officiales ſine gregariis recipi non poſſe. Dn. Mediator referet Dnis Electoralibus.

Acceſſit

ab OGERIO perſcriptum ſatis conſtat. Praeterea FOVLERI Narrationem, de Pacificatione Stumſdorfenſi, nondum ita cognitam extra Britanniae fines putauerim. In ea autem variae iſtiuſmodi formulae exſtant p. 190. 197 ſqq. PASTORIVS ad d. IV Mart. p. 214. meminit *Extracti*, ex Hiſtoria LEONIS ab AITZEMA: quod forte aliis videbitur hoc loco intelligendum.

Acceſſit ad punctum religionis, et adtulit Atteſtatum Legationis tunc mediatoriae Tractatus Stumſdorfienſis, legitque §ph. hanc rem tangentem. Sed indicatum ipſi eſt, Legationem Suecicam iam proiectaſſe hunc Articulum ita, vt contentos ſe reddituros Dnos alterius Partis Commiſſarios non dubitetur; praelectuſque eſt ex charta huius tenoris: "Quoad Religionem Catholicam placuit, vt ſubditi vel in-„colae, illi in Liuonia addicti, tolerentur, et conſcientia libera domi „deuotioni ſuae ſine inquiſitione vel animaduerſione priuatim va-„cent.„* Et quidem hanc ſchedulam Dn. Legatus Gyldenklau conceperat; mutatis tantum iam, quae ſequuntur, manu Dn. Regni Theſaurarii: nempe 1) deleta eſt ante verbum *tolerentur*, vox *patienter:* 2) addita ſunt verba: vel *animaduerſione*, poſt vocem *inquiſitione*. Contra loquutus eſt Dn. Mediator nonnihil, et tandem rupturos Polonos iniecit. Indignabunde reſponſum eſt per Dn. Regni Theſaurarium, quod ſemper vtatur hac voce Dn. Mediator, atque etiam aequiſſima vel poſtulantibus, vel offerentibus et concedentibus Suecicis Legatis nil niſi rupturam opponat. Ex alio, praeterquam Mediatoris, ore nos haud perlaturos fore; conſideret aequitatem; nec enim eſſe de dignitate Legatorum Suecicorum talibus fatigari; quando propoſitum fuerit de ſatisfactione, rumpere voluiſſe; quando de aliis, ſimiliter; iam etiam quum de hoc religionis Articulo ageretur: ita futurum in reliquis; neſcire Legationem Suecicam, quid tandem ſperandum vel iudicandum? Leniuit verba Dn. Mediator, et quoad religionis Articulum, datam ipſi omnium trium Dnn. Legatorum praeſentium vnanimi conſenſu chartam modo memoratam accepit, ſeque ad alteram Partem contulit. Ipſo abſente deliberatum; et concluſum eſt, ſi hoc nolint acquieſcere, conſentiendum eſſe in id, quod Legati Mediatores ad Tractatum Stumſdorfii atteſtati eſſent:** amplius conſentiri nil poſſe. Dederunt autem, antequam huius Articuli, de religione, proiecta charta vel ſchedula modo dicta Dn. Mediatori extradita eſſet, Dni Legati noſtri, voti loco quilibet ad acta, quae ſequuntur. Dn. Regni Theſaura-

* Conf. PASTORIVS ad h. d. p. 214. et n. **

** In ea Pacificatione Oratores Angli atque Belgae teſtati ſunt, in ſe recepiſſe Suecos futurum, vt religionis Romanae Catholicae exercitium in Liuonia ſartum

ſaurarius ita concipiendum exiſtimauit: "Quoad religionem Catholicam eiuſque exercitium in Liuonia nunc ceſſa, et ita Suecicae poſſeſſionis, ſi qui incolae et ſubditi ibidem iam ſunt huic religioni addicti, eis libertas religionis deuotioniſque tantum in priuato indulgetur, ita vt conſcientiis nulla vis inferatur, nec in eos ob hanc cauſſam vlla inquiſitio fiat, prout tempore induciarum Stumſdorfienſium obſeruatum fuit." Dn. Comes Oxenſtierna taliter cenſuit: "Quoad religionem Tractatui Stumſdorfienſi non derogetur, ſed, ſi qui in Liuonia per pacem hanc praeſentem Regi Regnoque Sueciae ceſſa incolae vel ſubditi Catholicae addicti ſunt, ii priuatim vtendo tolerentur, (modo id magiſtratui ordinario indicatum fuerit,) nec alicui illa ſit noxae aut fraudi, neue ad libertatem conſcientiae ab aliquo inquiſitio inſtituatur." Vel hoc modo: "Quoad religionem Catholicam in Liuonia, ſi qui incolae et ſubditi ibidem iam ſunt ei addicti, libertas conſcientiarum deuotioniſque eis indulgeatur, prout tempore induciarum Stumſdorfienſium obſeruatum fuit." Vel ita: "Homines religionis Catholicae in Liuonia libertate conſcientiarum deuotioniſque gaudebunt, prout tempore induciarum Stumſdorfienſium obſeruatum fuit." Vel etiam ſic: "Homines religionis Catholicae in Liuonia, libertate conſcientiarum deuotioniſque gaudebunt, nec eam ob rem inquiratur in illos a quopiam, ſed in eo ſtatu remanebunt, prout tempore induciarum Stumſdorfienſium obſeruatum fuit." Dn. Comitis Schlippenbachii ſententia talis erat: "Homines ſubditi religionis Catholicae in Liuonia ceſſa exiſtentes, libertate religionis et deuotionis gaudebunt, nec vlla ob eamdem inquiſitio in quempiam fiet, nec cuiquam illud ſit noxae aut fraudi." Aut ſic concipiendum hunc Articulum putabat: "Quoad religionem Catholicam eiuſque exercitium, in Liuonia Suecicae poſſeſſionis nulla propter illam in ſubditos inſtituetur inquiſitio; ſed quiſquis ſuae deuotionis libertate gaudebit." Aut etiam tali modo: "Quoad incolas et ſubditos in Liuonia Suecicae poſſeſſionis, Catholicae religioni addictos, nulla in quempiam fiat inquiſitio, nec cuiquam ob ſuae deuotionis priuatum exercitium vis inferatur." Dn.

tum tectum ſeruetur. Teſtimonii iſtius Germanicum exemplum exſtat, in LONDORPII Actis Publ. T. IV. p. 482. atque inde deſcriptum in DVMONTII Corp. Dipl. T. VI. P. I. —

Digitized by Google

Dn. Legatus Gyldenklau, quum ob valetudinem Oliuam ire nequiret, Secretario Legationis mentem ſuam in charta aperuit, vt ſequitur, quo Suis Excellentiis referret. "Quoad religionem Catholicam placuit, vt ſubditi vel incolae, illi in Liuonia addicti, patienter tolerentur, et conſcientia libera domi deuotioni ſuae ſine inquiſitione priuatim vacent." Iuſſus etiam erat Dn. Conſiliarius Weidenhayn aliquid ſuper hoc religionis negotio proiicere, quod fecit his verbis: "Quoad religionem in Liuonia iuriſdictionis iam facta Suecicae, ipſa in eodem ſtatu, quo fuit hactenus, permaneat, inprimis vero Catholici, citra inquiſitionem, ea religionis ſuae libertate, qua hactenus gauiſi, tuto poſthac perfruantur." Secretarii ex Protocollis praecedentibus Conceptum fuit tale: "Quoad religionem Tractatui Stumſdorfienſi non derogetur; ſed ſi qui in Liuonia, per pacem hanc praeſentem Regi Regnoque Sueciae ceſſa, incolae vel ſubditi Catholicae addicti ſunt, ii priuatim vtendo tolerentur, nec alicui illa ſit noxae aut fraudi, neue ob libertatem conſcientiae ab aliquo inquiſitio inſtituatur." Ex diuerſis his Proiectis electum eſt Dni Legati Gyldenklauii Conceptum, extraditumque mutatis tantum, quae dicta ſunt hic ſupra. Dn. Mediator: Se loquutum cum Dnis Commiſſariis Electoralibus, quod nolit Legatio Suecica accipere officiales ſine gregario milite; reſpondiſſe illos, quod reliqui ſequi poſſint. Replicaſſe ſe, quod nos poſcamus totum: igitur ad Dn. Electorem ſcripturos Legatos promiſiſſe. Ad punctum de religione adtulit ſchedulam, Articuli loco, ab altera Parte * his verbis conceptam: "Quod religionem Catholicam, eiusque exercitium, in Liuonia Suecicae poſſeſſionis adtinet, omnes incolae Liuoniae ſubditique, illi religioni addicti, omni ſecuritate gaudeant, ac conſcientia libera, religione deuotioneque ſua domi ſine inquiſitione vel animaduerſione priuatim vtantur." Quae ad deliberandum accipitur.

Poſt reditum, 1) adfert Salui Paſſus litteras ab Electoralibus pro tubicine noſtro, propter Curlandiae Ducem, in Liuoniam mittendo. 2) Strasburgicorum Officiariorum iterum mentionem facit. Reſponſum autem per Dn. Regni Theſaurarium: Non Officiales ſolos, ſed etiam

* Vid. PASTORIVS ad h. d. p. 215 ſq.

etiam gregarium conſtituere praeſidium. Nobis totum promiſſum, nos iure totum poſtulare. Dn. Mediator: Electorales dicere, quod Colonellus *Pleutner* tranſgreſſus ſit pacta accordata, tranſeundo ſine permiſſione, vel praemiſſo nuncio ditiones Electoris. Reſponſum: Poloniam ad reſtitutionem teneri; adſuiſſe etiam ex Polonis, qui memoratos praeſidiarios ducerent; illis curam omnem incubuiſſe: 3) Articulus de religione tandem complanatus eſt hoc modo, vt habet inſerta ſchedulae, per Mediatorem iamiam traditae, Copia. Neque enim poſſibile erat Dnis Plenipotentiariis noſtris, ſine ruptura metuenda, aliud hac in re obtinere amplius: 4) De exulum reſtitutione, tacendo, quod abſtineant, dicente Mediatore, rogatus eſt, expreſſam declarationem ille vt adferat. Reſpondit, qui taceat, conſentire videri illum; et tandem quum inhaereret tacito conſenſui, etiam noſtri Dnn. Plenipotentiarii acquieuerunt, atque remiſſionem hanc omni meliori modo pro complanato acceptauerunt, ita tamen, vt de hoc Articulus quoque concipiatur. Cras hora pomeridiana ſecunda congreſſus continuabitur, et de reliquis agetur.

Actum Oliuae d. $\frac{26 \text{ Martii}}{5 \text{ April.}}$ *horis a II pomerid.*

Dn. Mediator hodie pertractanda proponit ad punctum Liuoniae adhuc pertinentia. 1) De Comitum a Dona ſatisfactione, quae pertineat ad punctum de exulibus: 2) Pharo Piltenſi: 3) Commerciis: 4) Depoſitis: 5) Debitis: 6) Subditis fugitiuis.

Noſtri poſtulant, vt procedatur ſecundum noſtrum Proiectum, aut mittantur in formam, de quibus iam tranſactum eſt. Exempli cauſſa, punctum Renunciationis eſſe complanatum: ergo illum poſſe in formam redigi. Ille: Super materia primum eſſe conueniendum hoc pacto: quamlibet Partem conficere poſſe Inſtrumentum ſuper vnoquoque puncto vel Articulo; ſi tum differant, arbitrio Mediatoris ſubiiciendum, et ad hoc ſex aut quinque ad minimum ſeptimanas requiri. Dn. Regni Theſaurarius: Si velimus ſequi noſtram methodum, pertractando Articulum poſt Articulum, quinque diebus poſſe nos expediri. Ille: Si hoc velimus, ſtatim in primo puncto Amicitiae fore offenſionis lapidem, ſimiliter in ſecundo, quod eſt Amneſtiae; deinde

 Polo-

Polonos primum velle ea complanare, quae ſe concernant, vt deinde eo fortius agere poſſint contra Confoederatos; ſibi alias perinde eſſe, in materia haereatur, an in forma. Si placeat Dnis Legatis Suecicis, ordine a principio incipiendo ſe progreſſurum; metuere autem difficultates et remoram. Dn. Regni Theſaurarius allegat exempla, in aliis tractatibus conſueta:* ſed tandem complacuit, vt ſuper iſtis hic ſupra memoratis Articulis Dn. Mediator declarationem Dnn. Polonorum expediret. Miſſis igitur in ſchedulam nudis rubricis, ad Partis alterius Commiſſarios et Legatos Dn. Mediator ſe contulit. Ipſo abſente, Dnn. Electoralium Secretarius Legationis per Ephebolum noſtrorum quempiam audientiam deſiderat. Intromiſſus, ſalutationem Legationis Electoralis cum paucis curialibus praemittit, et quum Legatio Suecica ſaluum conductum particularem pro duabus galeotis Elbingenſibus deſideraſſet, Principem Radziuilium refert dediſſe noua mandata ad Commendantem Pillauiae, et Colonellum Hille; offerre praeterea Dnos Legatos Legationi Suecicae ſua officia. Dn. Regni Theſaurarius iterum officia ſua ſuorumque Dnn. Collegarum Legationi Electorali, actis pro iſto honore gratiis, defert, promittendo, ſi aliqua in re ipſis gratificandi offerretur occaſio, ſe paratos fore. De pace, aut eius promouendo negotio vtrimque nulla fiebat mentio, et videbatur haec ſalutatio magis priuata particularium, quam publica Legationis, captandae tamen beneuolentiae vel explorationis cauſſa facta. Poſt duabus horis amplius reditum, Dn. Mediator nihil retulit, niſi ſchedulas ſeparatas a No. 1. vſque 8 Articulorum. 1) De reſtitutione Ducis Curlandiae: 2) Eliberationis Comitis a Koenigſmark: 3) Religionis in Liuonia: 4) Euacuationis Marienburgi etc. excepta Elbinga: 5) Satisfactionis: 6) Ceſſionis Liuoniae: 7) Renunciationis tituli et iuris in Sueciam: 8) De exulibus et expulſis Liuoniae. Quae ad videndum accipiuntur: et mandatum eſt Secretario Legationis per Dn. Regni Theſaurarium, vt deſcribi faciat, cum Protocollo conferat, et quid conuentum ſit, ſiue non ſit, vel quid diſcrepet, annotet, vt craſtino matutino haberi poſſit. Placuit, vt cras hora octaua matutina congreſſus

* Tale exemplum praeſto erat in Tractatu Oſnabrugenſi: in quo placuerat, teſte ADAMO ADAMI Relat. Hiſt. de Pacificat. Oſnabrugo-Monaſterienſi, c. 10 p. 186.

ſus ſiat continuatio: et hac vice diſceſſum eſt. Sunt autem Concepta Articulorum in chartis ſeu ſchedulis ſeparatis, vt modo hic ſupra memoratum eſt, per Dn. Mediatorem adlatorum, tenoris huiuſmodi: No. 1. "Illuſtriſſimus Curlandiae et Semigalliae Dux, cum Coniuge Proleque ſua Ducali, ac tota Familia et Aula, abſque vlla protractione intra ſex ſeptimanarum ſpatium, a die quinta Aprilis ſt. n. Rigam ſiſtetur. Inde vero intra dies quatuordecim decenti, et ſuae dignitati accommodato conuenientique modo, ad fines Semigalliae deducetur, omniaque ſua ſuorumque mobilia, vbicumque intercepta, vel Rigae depoſita, litteratoria ſimiliter ſiue publica ſiue priuata Documenta bona fide extradentur. 2) Dn. Comes Koenigſmarkius, Campi Mareſchallus Sueciae, in libertatem intra quatuordecim dies, a die conducti Rigam Illuſtriſſ. Ducis Curlandiae, adſeretur et dimittetur. 3) Quod religionem Catholicam, eiusque exercitium in Liuonia Suecicae poſſeſſionis adtinet, omnes incolae Liuoniae ſubditique, illi religioni addicti, omni ſecuritate gaudeant, ac conſcientia libera, religione, deuotioneque ſua, ſine inquiſitione vel animaduerſione, priuatim vtantur. 4) Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Plenipotentiarii Suecici promittunt, ſeſeque obligant ab ipſa ſubſcriptione moderni tractatus intra biduum exceſſurum Praeſidium Suecicum Mariaeburgo, reliquiſque locis Pruſſiae, excepta Elbinga, eaque omnia loca in manus Sereniſſimi Poloniae Regis eſſe reſtituenda. Bauſcum vero, ab eadem ſubſcriptione, intra octiduum, vti et reliqua, ſi quae ſint in Suecorum poteſtate, loca in Curlandia. Elbinga vero circa ipſam ratificationem euacuabitur. 5) Nulla ſatisfactio et recompenſatio damnorum bello illatorum, vel alia pecuniaria, quocumque nomine praetextuque ab vtrimque praeſtabitur. 6) Sereniſſimus Rex et Ordines Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae cedunt Sereniſſimo Regi Sueciae eam partem Liuoniae, quam Sueci per tempus induciarum poſſidebant, ita tamen, vt a parte Dunae ſiniſtra poſſeſſio Suecica non vltra quadrantem milliaris extendatur ab oſtio Dunae, ad inſulam vſque Dalenſem. 7) Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Poloniae renunciat omni ſuo iuri here-

G 3 ditario

p. 186. *eamdem, quam in exponendis Replicis Sueci ſeruarant, in Conſultationibus quoque inſtituendis obſeruare ſeriem ac methodum.* Conf. Dni a MEIERN Acta Pacific. Vueſtph. T. II. Lib. XII. §§. 1-7.

Digitized by Google

ditario in Regnum Sueciae, et Magnum Ducatum Finlandiae, vt et bonis patrimonialibus in Suecia ſitis; reſeruat tamen ſibi idem Sereniſſimus Poloniae Rex, quoad in viuis aget, plenum et integrum Regis Sueciae titulum, inſigniaque ac ſtemmata tam Regni Sueciae, quam ſua auita, quibus omnibus omnimode vtetur ac fruetur. 8) Exulibus ac expulſis per haec bella e Liuonia Sereniſſimus Rex Regnumque Sueciae, ad nullam bonorum occupatorum reſtitutionem aut ſatisfactionem tenebuntur."

Actum Sobothi d. $\frac{27\ \text{Martii}}{6\ \text{April.}}$ hora VII matutin.

Conuentum eſt in aedibus Dn. Regni Theſaurarii, antequam Legatio noſtra ad congreſſum Oliuam ſe conferret, vt examinarentur Concepta heſternorum Articulorum, et facta relatione, ex Actis et Protocollis praecedaneis, adparuit: 1) d. $\frac{14}{24}$ Martii, a Polonis quidem et Foederatis eorum petitum eſſe, vt Ill. Dnn. Commiſſarii Suecici fide Legatorum ſe obligent, ſe Illuſtriſſimum Ducem Curlandiae eiuſque Sereniſſimam Coniugem, vt et liberos ac totam familiam eiuſdem, intra ſex ad ſummum ſeptimanarum ſpatium Rigam ſiſtere velle, vnde a ſubſcripto praeſente tractatu, intra dies octo, decenti et ſuae dignitati conueniente modo ad fines Semigalliae deducatur: nihil autem Legationem noſtram promiſiſſe, niſi notificationem ad Dn. Campi Mareſchallum, Comitem Duglaſſium, Helmfeldium praeterea, vt et Dn. Baronem Benedictum Horn; vice verſa vero eamdem quoque poſtulaſſe, vt Dn. Comes Koenigſmarkius Dantiſcum Viſtulomunda dimittatur: deinde, vt Dux per Reuerſales caueat de non aliquid moliendo inpoſterum. Immo poſtea S. Excellentiae ſaepius proteſtatae ſunt, ſe nullas in Liuoniam pro Duce dicto litteras daturos, antequam omnia, quae ad Liuoniam eiuſque ceſſionem pertinent, ſint complanata et ſubſcripta. Quod et reciprocatione Ducis Curlandiae Dn. Comitem Koenigſmarkium concernit, hac de re, vt habent praecipue Protocolla de die $\frac{14}{24}$ Martii, et $\frac{16}{26}$ eiuſdem, nondum determinatum fuit certum tempus, ſed poſtulatum tantum, vt ſi ad Dn. Comitem Duglaſſium et iam ſcribi Pars altera cupiat, Dn. Comiti Koenigſmarkio extunc Dantiſci viuere, vſque ad plenariam eius reſtitutionem, de qua ante concluſam pacem conueniendum ſit, permittatur: Deinde quum cautio et reuerſales

les ab ipſo quoque poſtularentur, reſponſum ac remonſtratum eſt, diuerſam eſſe rationem Ducis, qui ſui iuris, et Dn. Comitis, qui ſub Rege ſit, et mandato illius parere teneatur. 3) Articulus de religione in Liuonia nudius tertius complanatus iam fuit, ſecundum formam, qua fuit ab altera Parte conceptus, ab ipſo Dn. Mediatore adlatus, et a noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiis complacitus: in charta autem heſterna omiſſa deprehenditur particula *Domi*, ante voces *ſine inquiſitione*, inſerta. 4) Super hoc proiecto Articulo, hucuſque plane nihil eſt conuentum. 5) Quoad ſatisfactionem Protocolla docent, tandem ſilentio illud poſtulatum inuolutum eſſe; e contra vero Dnn. Legatos noſtros diu ſubſidium educendi militiam ex Boruſſia vrſiſſe, ac licet tandem Sobothi d. $\frac{22 \text{ Martii}}{1 \text{ April.}}$ quum noſtra neceſſitas, et Dnn. Polonorum ipſiuſque Dn. Mediatoris impoſſibilitas conciliari neutiquam poſſent, ad extrema iſta, poſt innumeras diſceptationes infructuoſas, tacere cogerentur, et ſequenti die Dni Poloni, ad Relationem Dni Mediatoris grato animo ſilentium iſtud acciperent, non tamen remiſiſſe a petito dandi mutui ab vrbe Gedanenſi. 6) Ceſſio Liuoniae non niſi incircumſcripta, ſicut tempore induciarum Sueci poſſedimus, acceptata eſt: igitur iſte Articulus, veluti nunc conceptus, menti Legationis Suecicae eſt contrarius. 7) In puncto renunciationis, Dnos Legatos Suecicos Regi Poloniae nullum ius in Sueciam vel nominetenus tantum concedere poſſe, ſemper proteſtati ſunt, et in reſeruationem tituli quoque, non niſi limitate, conniuendo conſenſerunt: ideoque et hic Articulus reformandus deprehenſus eſt. 8) Articulus de exulibus Liuoniae heri complanatus eſt, per tacitam remiſſionem Polonorum, et expreſſam acceptationem noſtrorum Dnn. Legatorum, qui in charta, quo ſubſcribatur etiam, poſtularunt. Hiſce ita examinatis et compertis, concluſum eſt, Dno Mediatori omnia remonſtranda, corrigenda et conuentione firma complananda eſſe: atque vnanimiter denuo S. Excellentiae decreuerunt, ſerio iterum rogare hortarique Dn. Mediatorem, vt ſimul atque Articulus aliquis fuiſſet complacitus, ille ſtatim ingroſſetur, et a Secretariis Legationum ſubſcribatur. Iuimus Oliuam.

Actum Oliuae d. $\frac{27 \text{ Martii}}{6 \text{ April.}}$ *horis ab VIII antemerid.*

Praemiſſis curialibus ſolitis, Dn. Mediator ſciſcitatur, num ſchedulas, in heſterno congreſſu productas, Dni Plenipotentiarii perlegerint?

rint? Dn. Regni Theſaurarius perlectas reſpondit, et compertum, pauciſſima ſecundum id, vt ante conuentum ſit, compoſita; velle autem nos proiicere, prouti actis conuentis fuerit conſentaneum: rogatque, placeat Suae Excellentiae, vt poſthac Articulus quilibet, ſicut erit conuentus, perficiatur ac ſubſcribatur. Dn. Mediator: Non eſſe animum, vt pro firmis ingroſſentur heri adlata Proiecta, ſed velle Dnos Polonos quoque videre noſtram mentem: conqueritur de aduerſa valetudine. Condoletur. Itaque ſe paullo recepturum eſſe in cubiculum, propter iſtam infirmitatem, quae ſit pleuritidis, qua, praeterita nocte, valde adſectus ſit. Diſceſſit, et ſpatium corrigendi dedit Legationi noſtrae.

TABVLA REMONSTRATIONIS

REMONSTRATIO

Suecica Poſtulata.	*Suecica Remiſſa.*	*Suecica Conceſſa.*	*Data vel Conceſſa Polonica.*
1. Renunciatio foederum omnium initorum et ineundorum.	1. Reſtrictio, in quantum huic pacificationi non ſunt contraria.	1. Ducis Curlandiae et Domus eius etc. reſtitutio.	1. Renunciatio praetenſionis et tituli, cum referuato tamen ad vitam titulo, quod ſaepius declararunt Dnn. Suecici locum habere non poſſe.
2. Liuonia tota in finibus ſuis antiquis.	2. Reſtricta ad poſſeſſam tantum.	2. Euacuatio Marienburgi, Stumae, Elbingae, Bautzkae etc.	2. Ceſſio Liuoniae, cum conditionibus nulla ratione conſenſibilibus, vtpote liberi religionis in Liuonia Catholicae exercitii; reſtitutionis exulum per totum bellum Liuonicum, a ſexaginta et amplius annis expulſorum; ſatisfactionis, nunc ſubſidii pro deducendo milite pecuniarii.
3. Curlandia et Semigallia.	3. Reſtituenda tota.	3. Religio in Liuonia, vt maneat in iſto ſtatu, qui Stumſdorfenſi receſſu continetur. Vt taceatur, quam faciles in Praeliminaribus ſeſe praebuerint, atque ad mentem fere Partis alterius in omnia conſenſerint Dni Legati Suecici.	
4. Parua ſiue Auſtralis Liuonia.	4. Remiſſa.		
5. Satisfactio 1000 m. Imperialium.	5. Remiſſa 1) Rakocii ſumma: 2) Imperialium.		
6. De Elbinga, ne tradatur Dno Electori.	6. Iam maxime moderatum hunc Articulum.		

Dni

Dni Plenipotentiarii corrigunt, vt habent hic ſequentia: 1) Artic. de Ducis Curlandiae reſtitutione. "Illuſtriſſimus Curlandiae et Semigalliae Dux, cum Coniuge Proleque ſua Ducali ac tota familia et Aula, abſque vlla protractione, intra ſex ſeptimanarum ſpatium, a die quinta Aprilis ſt. n. Rigam ſiſtetur. Inde vero intra dies quatuordecim decenti et ſuae dignitati accommodato conuenientique modo, vbi pax concludetur, ad fines Semigalliae deducetur, omniaque ſua ſuorumque mobilia, quae non diſtracta ſunt, vbicumque intercepta vel Rigae depoſita, litteratoria ſimiliter ſiue publica ſiue priuata documenta, bona fide extradentur, et Mitauiam reportabuntur. Ante eliberationem autem ſuam ac reſtitutionem plenariam peculiari Reuerſalium diplomate caueat de non moliendo aliquid contra S. R. M. Regnumque Sueciae in futurum." 2) Art. de Dn. Comite Koenigſmarkio: "Dn. Comes Koenigſmarkius, Campi Mareſchallus Sueciae in libertatem, ſtatim a die ſubſcriptionis Inſtrumenti Pacis, plenariam reducatur; exnunc vero Dantiſcum deducatur, ibique tamdiu commoretur ac honeſte habeatur. Bona autem eius mox a ſubſcripta pace in Marchia et Halberſtadienſi Ducatu, cum iuribus in Hetensleben, Weſerling, Waining et Wilsleben, plene reſtituantur, nec, ſi qui proceſſus iuris ſub lite pendent, via facti procedatur, ſed curſus iuſtitiae impeditus ſit; ac denique filius eius liber dimittatur." 3) In Articulo de religione nihil deſiderarunt noſtri, niſi quod omiſſum erat, vt ſupra mentio facta eſt, vox *Domi*, quam inſeri inſſerunt. 4) Articulus de euacuatione locorum in Boruſſia et Curlandia: "Legatio Suecica promittit, ſeſeque obligat, ab ipſa ſubſcriptione moderni tractatus in manus Dn. Mediatoris tradita ratificatione Regis, et Senatorum a latere aſſecuratione de ſubſequutura, in proximis Comitiis ſine mora indicendis, Reipublicae ratificatione, mox exceſſurum Praeſidium Suecicum Mariaeburgo reliquiſque locis Pruſſiae, cum ſuis fortalitiis, excepta Elbinga, eaque omnia loca in manus Sereniſſimi Poloniae Regis eſſe reſtituenda, Bauſcum vero ab eadem ſubſcriptione intra tres ſeptimanas, vti et reliqua, ſi quae ſint in Suecorum poteſtate, loca in Curlandia. Elbinga vero circa ipſam ſollemnem ratificationum commutationem euacuabitur." 5) Artic. ſatisfactionis, modo mutui: "Nulla ſatisfactio et recompenſatio damnorum bello illatorum, vel alia pecuniaria, quocumque no-

mine praetextuque ab vtrimque praeſtabitur. Id tamen Illuſtriſſimi et Excellentiſſimi Dnn. Plenipotentiarii Polonici tribuunt concludendae paci eiuſque faciliori executioni ac deductioni militiae ac praeſidiorum hinc Suecicorum, et in ſe recipiunt, vt auctoritatem et fidem, quam poſſint, apud Ciuitatem Gedanenſem interponant, pro quadraginta millibus Imperialium thalerorum, ſoluendis intra ſex menſes, a dato acceptilationis numerando, a Sereniſſimo Rege Regnoque Sueciae." 6) Ceſſio Liuoniae: "Sereniſſimus Rex et Ordines Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae, pleno iure et in perpetuum cedunt Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae omnem illam Liuoniam trans Dunam, quam Suecia per tempus induciarum vna cum partibus Cisdunanis tenuit ac poſſedit, prout de hac re iampridem hic conuentum eſt." 7) Renunciationis Articulus: "Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Poloniae Dominus Ioannes Caſimirus pro ſe et heredibus ac poſteris ſuis renunciat* omni iuri praetenſo in Regnum Sueciae, Magnumque Principatum Finlandiae, et caeteras annexas prouincias, nec non bona auita in Regno Sueciae dictiſue prouinciis ſita. Et abſtineat poſthac titulis et inſignibus Regis Regnique Sueciae in litteris ad Regem Sueciae ſcribendis, aliiſue diplomatibus ac ſcriptis, quae Regnum Sueciae eiuſque miniſtros ac ſubditos concernunt: ad alias vero Poteſtates, quoad vixerit, ſine vllo plenariae renunciationis praeiudicio." De ſtemmatibus auitis ſiue gentilitiis, nulla vmquam, quod Legatio Suecica meminit, Regiae eius Maieſtati mota eſt controuerſia. 8) Articulus de exulibus hac vice manſit, ſicut heri conceptum Dn. Mediator produxerat. Quae dum in mundam chartam in altero conclaui mittuntur, Dn. Mediator interuenit, diſcurrendoque comperire tentat, 1) num in Articulo de religione, poſt verba, *Incolae ſubditique*, et alii, inſeri poſſit. 2) Regem Poloniae iam reſeruare ſibi titulum velle, vt etiam ad Sueciam illo vti ad vitam poſſet integro. Reſponſum per Dn. Regni Theſaurarium: Ad 1) contenti ſint Dni Poloni conuentis: ad 2) praeterea quod abſurdum et impoſſibile, nec antea petitum ſit, hoc poſtulatum repugnare reſolutioni, quae ſemel placuit. Quibus iterum abiit.

Poſt-

* Ea tabella Actis hiſce Legationis Suecicae autographis inſerta: ad nos vero vna cum iis non peruenit.

Poſtquam mundatae eſſent omnes octo ſchedulae, nunciatur Dno Mediatori, et redeunti traduntur, illeque ad alterius Partis Legatos ſeſe contulit. Aberat duabus amplius horis; et poſtquam rediiſſet, primum monſtrauit Tabellam ſuper limitibus Liuoniae,* vbi Curlandiae Dux poſtulat limites, ſicut per Contractum fuit conuentum ſex annorum induciis, Anno MDCXXX. Dn. Regni Theſaurarius: Nos contentos eſſe limitibus, per pacta Stumſdorfienſia, et illarum induciarum tempore poſſeſſis; propter iniectas a Cancellario Curlandiae tricas iſtas, tractatum non eſſe retardandum. Eſſe ſpecioſum nihil, quod poſtuletur; nihil vtilitatis ipſi Duci acceſſurum, innumeras vero lites inde orituras in futurum, quod nolimus: et monſtretur primum Contractus;** qui ſi vllus ſit, poſſeſſioni Sueciae nihil detracturum, praeſertim quum iam ceſſio conuenta ſit, nec retractari poſſit. Tubicinem pro Duce Curlandiae non miſſum iri, antequam omnia Liuoniam concernentia ſint complanata et ſubſcripta; veluti ſaepius Legatio Suecica ſit proteſtata.

Maximae erat curae Dno Mediatori religio, et propterea vrſit, vt illi Articulo inſeratur ad verbum *ſecuritate*, vocula *omni*, ita vt ſonaret, *omni ſecuritate gaudeant.* Mos et in hoc geritur, ſed illi reponere debent vocem *Domi;* noſque non admittimus poſt *Incolas ſubditoſque*, et alios. Inſeritur itaque hic Articulus iam taliter: "Quod religionem Catholicam eiuſque exercitium in Liuonia Suecicae poſſeſſionis adtinet, omnes incolae Liuoniae ſubditique, illi religioni addicti, omni ſecuritate gaudeant, ac conſcientia libera, religione deuotioneque ſua domi, ſine inquiſitione vel animaduerſione priuatim vtantur." Hoc denuo complanato, reſultatum eſt ad modum ratificandi, vbi multa occurrit diſputatio, nobis inſiſtentibus prioribus, illis contrarium obtinere praeſumentibus. Dn. Mediator: Regem nolle ratificare, neque neceſſarium, vt in Comitiis ratificatio fiat, ſed iam deputatos eſſe, qui ſubſcribant nomine Reipublicae ratificationem, ante Comitia. Dn. Regni Theſaurarius inſtat, non poſſe hoc accipi, nec recedendum a modo Stumſdorfii recepto, vbi omnia Protocolla et Partium et Mediatorum loquantur Regis ratificationem, reſpondit.

 Dn.

** Conf. PASTORII Diarium ad h. d. p. 219.

Dn. Mediator poſtulat, monſtrari Protocolla illa. Dn. Regni Theſaurarius, monſtrare velle, ſed vidiſſe his diebus, quod Dn. Mediator habeat typis impreſſa; placeat modo Suae Excellentiae, vt Dn. Secretarius adferat. Dn. Mediator adloquutus quidem eſt Secretarium, ſed nihil adlatum fuit, et interea Dn. Mediator iterum abiit. Qui quum rediret, Articulus mutui, qui antea ſatisfactionis fuit, reaſſumtus eſt, et poſt aliquos diſcurſus ita iam mutatus eſt: "Nulla ſatisfactio et recompenſatio damnorum bello illatorum, vel alia pecuniaria, quocumque nomine praetextuque ab vtrimque praeſtabitur. Id tamen Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Dni Plenipotentiarii Polonici tribuunt concludendae paci eiuſque faciliori executioni, ac deductioni militiae et Praeſidiorum hinc Suecicorum, et in ſe recipiunt, vt apud Ciuitatem Gedanenſem interpoſitione ſua omnem dent operam pro quadraginta millibus imperialium thalerorum, ſoluendis intra ſex menſes, a dato acceptationis numerando, a Sereniſſimo Rege Regnoque Sueciae." Tranſmiſit per Secretarium ſuum Dn. Mediator ad Dnos Legatos Polonicos, qui quum rediiſſet, illos retinuiſſe dixit, loquutus de aliis cum Dnis Confoederatis. Dn. Mediator: Poſtulari, vt deleatur *iuri praetenſo,* in Articulo renunciationis. Dn. Regni Theſaurarius: Si *praetenſo* omittatur, *iuri* non poſſe admitti. Dn. Mediator: Titulo etiam, quoad Sueciam, Regem Poloniae vti velle. Dn. Regni Theſaurarius: Haec non ante poſtulaſſe toto tractatus tempore Regem, nec concedi poſſe. Dn. Mediator: Non ita inhaeſituros iſti ſententiae Dnn. Polonos ſe credere, modo in reliquis noſtrorum Dn. Legatorum Excellentiae aliquid remittant. Dn. Regni Theſaurarius Dn. Mediatori per tabulam remonſtrat hic ſubiectam,* licet iam ante aliquot dies proiectam, quid Legatio Suecica hactenus ad ſua poſtulata vel remiſerit vel conceſſerit, et e contra quid Dni Polonici dederint. Inſtitit Dn. Mediator, vt deleatur adiectiuum *praetenſo:* noſtri, quod manere neceſſum ſit: adpoſuitque adhuc Dn. Regni Theſaurarius manu ſua in eodem Articulo poſt verba, *plenariae renunciationis*, vocem *praetenſionis,* ſuppletumque iuſſu eius eſt: *in Sueciam.* Quae mundata charta Dno Mediatori extraditur. Deinde ſuper euacuationis Articuli verbis: *in*

manus

* Vid. ſupra pag. 56.

Digitized by Google

manus Dn. Mediatoris tradita ratificatione Regis et Senatorum a latere aſſecuratione de ſubſequutura, in proximis Comitiis ſine mora indicendis, Reip. ratificatione etc. diſceptatum poſitumque in Concepto, manu Dni Regni Theſaurarii, pro particula *mox:* poſt *octiduum* ante verba: *exceſſurum Praeſidium Suecicum* etc. Qui Articulus quum denuo eſſet in munda charta ingroſſatus, etiam ſecunda vice extraditur Dno Mediatori. Tandem Articuli de Ducis Curlandiae et Dn. Comitis Koenigſmarkii reſtitutione, vt ſubiectus hic eorum tenor habet, mutantur. "Illuſtriſſimus Curlandiae et Semigalliae Dux cum Coniuge Proleque ſua Ducali ac tota familia et Aula, abſque vlla protractione intra ſex ſeptimanarum ſpatium, a die quinta Aprilis ſt. n. Rigam ſiſtetur. Inde vero intra dies quatuordecim decenti et ſuae dignitati accommodato conuenientique modo, vbi modernus Tractatus ſubſcriptus fuerit, ad fines Semigalliae deducetur, omniaque ſua ſuorumque mobilia non diſtracta, vbicumque intercepta vel Rigae depoſita, litteratoria ſimiliter ſiue publica ſiue priuata documenta, bona fide extradentur, et Mitauiam reportabuntur: ante eliberationem autem ſuam ac reſtitutionem plenariam peculiari Reuerſalium diplomate caueat de non offendendo aut vindicando aliquid contra S. R. M. Regnumque Sueciae in futurum. Dn. Comes Koenigſmarkius, Campi Mareſchallus Sueciae, in libertatem ſtatim a die ſubſcriptionis Inſtrumenti pacis plenariam reducatur: exnunc vero Dantiſcum deducatur, ibique tamdiu commoretur ac honeſte habeatur." Nihilque amplius hodie peragitur, congreſſu cras continuando.

Actum Sobothi hora dimid. VII matutina, ante congreſſum Oliuae, d. $\frac{28\ \text{Martii}}{7\ \text{April.}}$

Peruenerat hiſce diebus ad aures Suarum Excellentiarum, rumorem eſſe Dantiſci, ac ſi illae Polonis $\frac{21}{31}$ Martii nouos aliquot Articulos propoſuiſſent; vnde haud parua non tantum conſternatio animorum, verum etiam anſa calumniandi maleuolis orta fuit. Ad quam tollendam, manifeſtationis vel proteſtationis loco, inter amicos quod diſtribuerentur, pauca in chartam mitti neceſſarium duxerunt, nimirum:

Quum Legatio Suecica hactenus viderit Dn. Mediatorem hanc methodum obſeruaſſe, vt, quoties propter Polonicam et Foederatorum Legationem aliquid vel poſceret vel concederet, ſemper cum annexis quibuſdam conditionibus aut poſtulatis reciprocis id proponeret, ideo quum iam ex parte Suecica, licet ſumma cum moleſtia, et contra pugnante neceſſitate, almae paci et quieti publicae tot vicinorum populorum tandem et hoc datum ſit, vt a poſtulato ſatisfactionis pecuniariae deſiſteret, ante omnia (nam reliqua adhuc percurrenda atque expedienda eſſe,) poſtulaſſe, quo complanarentur: 1) Vt fiat poſſibilitas deducendi militis, diſponenda ciuitas Gedanenſis a Rege Poloniae, vt mutuo illa det ſummam pecuniae, certa obligatione a Rege et Regno Sueciae reſtituendam. 2) Vt duo illa puncta principalia renunciationis et ceſſionis concludantur abſolute, ſine reſeruatione et conditione. 3) Vt Dni Confoederati ſe certo declarent ſuper pace, et obligent ad reſtitutionem locorum, in Pomerania et Holſatia occupatorum. 4) Naues dentur nobis gratuito, et commeatus ſufficiens, ſi maritimo; currus, commeatus et tranſitus per ditiones Dni Electoris, ſi terreſtri itinere deducendus miles ſit. 5) Ne fiat aliqua ratione, per conſenſum noſtrum, traditio Elbingae Dno Electori. 6) Principiſſae Radziuiliae et Dni Comitis Koenigſmarkii deſideriis ſatisfiat. 7) Praeſidium Strasburgicum totaliter reſtituatur. 8) Pro galeotis Elbingenſibus Saluus Paſſus ſine mora vlteriori detur. 9) Recommendatio, vt a religione diſſentientes in Polonia in ſuas dignitates, bona et priuilegia, quibus ante bellum hoc gauiſi ſunt, reſtituantur. Quae omnia non leges ſint, ſed conditiones, ſuper quibus et ante tractatum fuerit, et vlterius poſſit tractari, immo quae omnia propoſitioni noſtrae conſentanea, in Proiecto Inſtrumenti concludendae pacis, a nobis Dno Mediatori extradito, contineantur. Poſtquam igitur continuari adhuc illum rumorem et calumniam referretur, iuſſit Dn. Regni Theſaurarius Secretarium, vt nonnulla exemplaria conficiantur ac diſtribuantur. Id quod factum eſt, atque in duplici quidem lingua, Latina videlicet et Germanica, communicata ſunt per noſtros Legationis homines amicis, ac Dno Akakiae quoque Apographum datum eſt, qui Reginae Poloniae ſe monſtraturum dixit.

Actum

Digitized by Google

Actum Oliuae, d. $\frac{28\ Martii}{7\ April.}$ horis ab VIII matut.

Abſente Dn. Mediatore propter aegritudinem. Quia Dn. Mediator propter aduerſam valetudinem non aderat, inter Partes obambulauit Dn. Akakia, vt et Dn. Mediatoris Secretarius: atque reaſſumta ſunt, quae heri relicta erant nondum complanata vel perfecta. Et primum quidem Articulus de euacuatione locorum in Pruſſia et Curlandia, ſic mutatur. "Legatio Suecica promittit, ſeſeque obligat ab ipſa ſubſcriptione moderni Tractatus tradita in manus Dni Mediatoris ſtatim poſt concluſam pacem, antequam Aula Dantiſco ſe mouebit, fienda ratificatione Regis, poſt octiduum exceſſurum Praeſidium Suecicum Mariaeburgo, reliquiſque Pruſſiae locis, excepta cum ſuis fortalitiis Elbinga, eaque omnia loca in manus Sereniſſimi Poloniae Regis eſſe reſtituenda: Bauſcum autem ab eadem ſubſcriptione intra tres ſeptimanas, vti et reliqua, ſi quae ſint in Suecorum poteſtate loca in Curlandia. Praefata Elbinga vero, vbi per Comitialem auctoritatem Deputatorum de ſubſequutura in Comitiis proximis Reipublicae ratificatione, aſſecuratio extradita fuerit, ſine contradictione euacuabitur." Deinde placuit ex Articulo ſatisfactionis et mutui, duos conſtituere, ita vt hic, quem Dn. Mediator atteſtabitur, iam ita: "Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Dni Plenipotentiarii Polonici id tribuunt concludendae paci, eiuſque faciliori executioni ac deductioni militiae et Praeſidiorum hinc Suecicorum, et in ſe recipiunt, apud ciuitatem Gedanenſem omnem dare operam, pro mutuo dandis quadraginta millibus imperialium thalerorum, ſoluendis intra ſex menſes, a dato acceptilationis numerando, a Sereniſſimo Rege Regnoque Sueciae:" Ille modo ſic ſonet: "Nulla ſatisfactio et recompenſatio damnorum bello illatorum vel alia pecuniaria quocumque nomine praetextuque ab vtrimque praeſtabitur." Poſtea longa fuit diſputatio ſuper voce *Domi*, in Articulo de religione Catholica in Liuonia: item ſuper verbis *iuri in Sueciam*, in Articulo renunciationis. Tandem per Dn. Akakiam Dni Plenipotentiarii ſe declarant, ſi Dni Poloni deleri patiantur *iuri*, et poni *praetenſioni*, in hoc ſe demturos in altero Articulo particulam *Domi:* hac tamen cautela, ne aliter particula *priuatim* intelligatur, ac ſi *Domi* ſimul adpoſitum exſtaret. Reuertit Dn. Akakia et refert,

Digitized by Google

refert, placita mente accipere Dnos Polonos omiſſionem particulae *Domi*, et per eamdem complacentiam ſe retinere velle vocem *praetenſioni;* ſperare tamen non diſplicere Dnis Plenipotentiariis, vt iſti Articulo de renunciatione inſeratur: *Iuri*, *quod praetendere potuit*, vel etiam: *quod competere potuit*, *vel poteſt.*[*] *Domi* ipſos Dnos Polonos in ſuo Conceptu d. $\frac{25 \text{ Martii}}{4 \text{ April.}}$ retinuiſſe: maneat itaque, reſponſum eſt, praeſertim quum iam ſecunda vice ipſe Articulus fuiſſet complanatus; non eſſe ſemper retractandum, ſed ſtandum conuentis. Adhuc tentauit Dn. Akakia, an poſſit immutari, atque propterea, quaſi miſſo hoc, Regem velle dare ratificationem ſtatim, ſimul atque Articuli principales Poloniam concernentes concluſi eſſent, narrare incipit. Dn. Regni Theſaurarius reponit, Regis ratificationem omnino eſſe neceſſariam, ſuper toto autem pacis Inſtrumento, ideoque omnia prius eſſe concludenda.

Reuerſum eſt ad perficiendos Articulos; et licet heri ad puncti ceſſionis Conceptum nihil eſſet monitum, hodie tamen ita mutatur: "Sereniſſimus Rex et Ordines Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae pleno iure et in perpetuum cedunt Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae omnem illam Liuoniam trans Dunam, quam Suecia per tempus induciarum tenuit et poſſedit, ita tamen, vt non vlterius quam hactenus, fines ſuae poſſeſſioni, in Curlandia et Semigallia, promoueant, aut ex Praefectura Baldonenſi aliquid praetendant, aut ſeruitutes a ſubditis Illuſtriſſimi Curlandiae Ducis exigant, aut vllum ius lignandi aliudue quoduis extra fines conceſſos in Curlandia praetendant, quod tempore induciarum non habuerunt." In puncto renunciationis, loco *iuri praetenſo*, noſtri Dnn. Legati, id quod Dni Regni Theſaurarii Excellentia ſua manu inſeruit, ponunt, *iuri*, *quod ſibi competere hactenus praetendit.* Dn. Akakia ſe ad alteram Partem recepit, et inde reuerſus poſtulat, vt ponatur: *Iuri*, *quod competit vel competere poteſt:* aut, *Iuri et praetenſioni:* aut, *Iuri*, *quod habet aut praetendit.* Reſponſum eſt ipſi, antea in Praeterito poſtulatum eſſe, iam adhuc in Praeſenti. 2) Si *iuri et praetenſioni* per particulam coniunctiuam combinentur, verbum *praetenſioni* naturam iuris inducere, atque idem fore, ac ſi abſolute ponatur:

[*] Conf. PASTORII Diarium ad h. d. pag. 220.

natur: *iuri*. 3) Regem Poloniae aliquod ius habere in Succiam, numquam conceſſum eſſe, neque concedi a nobis. Reſumitur Articulus de exulibus, de quo etiam ante conuentum erat, et iam ponitur taliter: "Exulibus ac expulſis per haec bella e Liuonia, nullo excepto, S. R. M. Regnumque Sueciae ad nullam bonorum occupatorum reſtitutionem aut ſatisfactionem tenebuntur." Poſtmodum ex Articulo XIV. XV et XVI. noſtri proiecti Inſtrumenti pacis conficitur Conceptum continens: 1) Quod Liuonia Auſtralis remanſura ſit Polonis. 2) Quod recuperata (dum a Moſcho et Polonica tota et Suecica pars armis occupata nunc tenetur) Poloniae ſit reſtituenda, et contra Sueciae Suecica. 3) Quod titulis et inſigniis Liuoniae vterque Regum Sueciae et Poloniae vtentur; Dux Curlandiae vero gaudere tantum debeat titulo Curlandiae et Semigalliae.* "Pars Liuoniae, quae ante haec bella, et temporibus induciarum, ſub ditione fuit Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae, nempe Duneburgum, Roſiten, Lutzen et Marienhuſen, cum omnibus ſuis pertinentiis, territoriis, vrbibus, pagis, fructibus ac prouentibus, priſtinis teloneis, iuribus directoque et vtili dominio, remaneat in poſſeſſione Regum et Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae: nec Reges Regnumque Sueciae in eam aliquid praetendant. Quum vero Magnus Dux Moſchouiae non modo dictam Liuoniam Polonicam omnem, ſed etiam nonnulla loca Liuoniae Suecicae armis occupata nunc teneat, ideo conuentum eſt, vt, ſi tractatibus vel armis a Moſcho recuperari poſſint, reſpectiue a Suecia poſt decurſum induciarum triennalium, et niſi interea temporis inter Sueciam ac Moſchouiam pax coaluerit, loca Auſtralis ſiue Polonicae Liuoniae, et a Polonia loca Septentrionalis ſiue Suecicae Liuoniae, teneatur vtraque Pars et caueat, ſe eadem loca, Suecia quidem Regi Regnoque Poloniae Polonicae, Polonia vero Regi Regnoque Sueciae Suecicae Liuoniae, vltro et non computatis belli expenſis reſtituere. Titulis et inſigniis Liuoniae tum S. R. M. Sueciae eiuſque Succeſſores ac poſteri Reges Sueciae, ratione Septentrionalis, tum S. R. Maieſtas Poloniae eiuſque Succeſſores ac poſteri Reges Poloniae, Magnique Duces Lithuaniae, ratione Curlandiae, Semigalliae et

* Conf. PASTORIVS loc. comm. pag. 221. et n. *

et Auſtralis Liuoniae, promiſcue vtantur. Dux Curlandiae autem gaudeat titulo Curlandiae et Semigalliae, nulla facta Liuoniae mentione." Extraditur hoc noſtrum, ſed a Secretario Dni Mediatoris adſertur aliud Dnn. Polonorum huius tenoris: "Pars Liuoniae, quae, vt antea, ita et per tempus induciarum et haec bella, ſub ditione fuit Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, nempe Duneburgum, Roſiten, Lutzen, Marienhuſen etc. itemque reliqua omnia loca, quae per Commiſſarios, ad id deputandos, fuiſſe ante hoc bellum Polonicae poſſeſſionis inuenientur, cum omnibus territoriis, vrbibus, pagis, fructibus et prouentibus, teloneiſque publicis, omnibuſque pertinentiis, ea tota et quanta eſt, cum omnibus iuribus, directoque et vtili dominio ſuo, remanet in poſſeſſione Regum et Regni Poloniae ac Magni Ducatus Lithuaniae. Atque titulo Ducis Liuoniae Sereniſſimus Rex Poloniae, eiuſque Succeſſores Reges Poloniae vtentur et fruentur. Ceterum in hanc Liuoniae partem, vt de toto ab altera per hos Tractatus ſeparatam, nullum vmquam ius Reges Regnumque Sueciae praetendent. Et ſi Rex Regnumque Sueciae loca aliqua in hac parte Liuoniae ſita, vel totam hanc partem a Moſcho, qui eam hoc tempore occupauit, armis vel tractatibus vel aliter recuperauerint, tenentur ac cauent, ſe eamdem de integro Regi Regnoque Poloniae vltro et gratuito, non imputatis expenſis belli, reſtituturos." Quod dum perlectum eſſet, differre non adeo multum quoad eſſentiam, deprehenditur, niſi quod Commiſſarios finium illi voluerunt, nos omiſeramus; nos titulorum et inſignium deciſionem expreſſeramus, illi eorum promiſcuorum nullam facerent mentionem. Quum hinc inde, vt de reliquis omnibus, diſceptatum fuiſſet, noſtri Commiſſarios admittunt, et de cetero quoque, quantum poterat fieri, ſe accommodant, mutantque noſtrum Conceptum hoc modo: "Pars Liuoniae, eaque Auſtralis, quae ante haec et per haec bella, et temporibus induciarum, ſub ditione fuit Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae, nempe Duneburgum, Roſiten, Lutzen et Marienhuſen, atque reliqua omnia loca, quae per Commiſſarios, ad id vtrimque deputandos, fuiſſe per tempus induciarum Polonicae poſſeſſionis inuenientur, cum omnibus ſuis pertinentiis, territoriis, vrbibus, pagis, fructibus et prouentibus, teloneique iuribus, directoque et vtili dominio, remaneant in

Digitized by Google

in poſſeſſione Sereniſſimorum Regum et Regni Poloniae Magnique D. Lithuaniae, nec Sereniſſimi Reges Regnumque Sueciae in iſtam partem Liuoniae, vt ab altera diuerſam, vllum vmquam ius praetendere poterunt. Quum vero Magnus Dux Moſchouiae non modo dictam Liuoniam Polonicam, ſed etiam partem Suecicae occupatas armis nunc teneat, ideo conuentum eſt, vt, ſi Regnum Sueciae aliquid ex Liuonia Polonica, quocumque tempore a Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum illud Poloniae et Magno Ducatui Lithuaniae vltro et gratuito, non imputatis expenſis belli, reſtituere. Eodem modo et viciſſim, ſi Reſpublica Polona aliquid ex Liuonia Suecica, quocumque tempore a Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum id Sueciae vltro et gratuito, non imputatis expenſis belli, reſtituere. Titulis et inſigniis Liuoniae, tum S. R. M. Sueciae, eiuſque Succeſſores Reges Sueciae, ratione Septentrionalis, tum S. R. M. Poloniae, eiuſque Succeſſores Reges Poloniae Magnique Duces Lithuaniae, ratione Auſtralis Liuoniae, promiſcue vtantur. Dux Curlandiae autem gaudeat titulo Curlandiae et Semigalliae, nulla facta Liuoniae mentione.“ Tempus erat diſcedendi ad ſuas ſtationes, et cras continuandus congreſſus.

Actum Sobothi d. $\frac{29 \text{ Martii}}{8 \text{ April.}}$ *ante merid.*

Quamuis heri complacuiſſet, quo hodie hora octaua matutina congreſſus Oliuae continuaretur, noſtrique Dnn. Legati parati adeſſe in tempore vellent: conferentia tamen hac vice dilata eſt, mittente paullo ante ſonum dictae horae Dno Mediatore ad Secretarium noſtrum e pediſſequis ſuis, qui ipſi adtulit litteras a Dno Palatino Poſnanienſi, ad eumdem heſterno veſpere ſcriptas, indicantes cauſſam impedientem, atque conferentiam poſt prandium permittentem. Quarum Apographum hoc eſt: “Illuſtriſſime et Excellentiſſime Do„mine. Mandare S. R. Maieſtati, Dno noſtro Clementiſſimo, li„buit, vt nona cras matutina Conſilio Gedani ſe coram habendo ad„eſſemus. Excludit itaque nos id ipſum voto noſtro, quo ad con„ferentiam decurſuri eramus mane: qua de re vt mature Excellen„tia Veſtra Dnos Plenipotentiarios Suecicos informaret, deferen-

Digitized by Google

„dum ſuſcepi: et meridie enitemur adeſſe, ſolitoque conferre, vbi
„prae publicis priuato etiam adſectu Excellentiae Veſtrae teſtabor,
„quam ſim

Excellentiae Veſtrae

In Strytz d. 7 Aprilis
Veſpere 1660.

ad officia paratiſſimus
Palatinus Poſnan.

Quum pediſſequus reditum Oliuam ciens, Originale Secretario relinquere, donec referret, nollet, Copia ille confecta ſe extemplo ad Illuſtriſſimi Dn. Regni Theſaurarii Excellentiam contulit; quem cum reliquis Dnis Comitibus et Legatis, quod currus iamiam conſcendere vellent, promtos inuenit. Nunciato igitur currus redierunt ad hoſpitia; S. Excellentiae vero ad littus, cui Sobothum imminet, ſe contulerunt ambulantes, et horam diſcurſibus inſumentes.

Actum Oliuae d. $\frac{29 \text{ Martii}}{8 \text{ April.}}$ horis a 11 pomerid.

Circa primam Dnus Mediator nunciauit, congreſſum et conferentias poſt prandium reaſſumi poſſe. Igitur S. Excellentiis, Dnis Legatis noſtris, placuit quoque: et itur Oliuam. Dum nos aduenniremus, nondum aderant Dni Poloni: quare aliis diſcurſibus, non tangente praeſens negotium Dno Mediatore, quadrans ferme horae inſumta eſt. Vbi aduenniſſe nunciaretur, is ad illos ſe contulit. Quo abſente Duciſſae Croyanae Ablegatus audientiam habuit. Condolebat nomine Duciſſae de morte glorioſiſſimi Regis noſtri; commendabat Ducis Croyani poſtulatum; explicuit interuentionem apud Polonos Curlandiae Ducis; rogabat Dnos Plenipotentiarios, ope iuuarent res Dni Ducis Croyani, idque, dum S. R. M. hoc negotium in ſe ſuſcepiſſet, ac, ſi hic Princeps praefatus nihil obtineret, S. R. M. Sueciae ipſi ſatisfaciat, oportere.

Poſt reditum Dn. Mediator adfert diuerſas propoſitiones tam alterius Partis, quam noſtras in ſchedula conſignatas, quae ſunt: Quod in renunciatione Regni Sueciae Dni Commiſſarii Legati Polonici his verbis

Digitized by Google

verbis vti volunt: 1) *Omni iuri, quod competit, vel competere poteſt.* 2) *Iuri et praetenſioni.* 3) *Iuri, quod habet aut praetendit.* 4) *Omni iuri et praetenſioni.* 5) *Iuri hactenus diſceptato.* Dni Sueci vero, ita vt ponatur, inſtant: *Sereniſſimus — renunciat iuri praetenſo in Sueciam:* aut, *renunciat iuri, quod praetendere poteſt.* Quum autem poſt longas diſceptationes nihil conueniretur, dixit Dn. Mediator, inueniri oportere medium, quia Articulus hic non ſubſcribatur a Parte vtraque, ſiquidem in extremis verſentur. Quid ſi igitur inciperemus a cauſſa belli, et deinde concludamus, quod Rex omnibus illis renunciaret cauſſis et praetenſionibus. Primo plane negatum eſt a Dnis Plenipotentiariis noſtris, hoc medium admitti poſſe, quia quaeſtionem vel de Regno, vel de cauſſa belli, numquam in hoc Tractatu ventilare voluiſſemus, immo nec primum admittere vllo modo poſſe. Tandem per Dn. Regni Theſaurarium propoſitum, ſi Dn. Mediator per ſchedulam, reuerſalium vim habentem, atteſtari velit, quod diſceptatum et praetenſum tantum de parte Regis Poloniae, non vero noſtra intelligendum eſſet, tum poni poſſe iſta verba, nempe: *Renunciat omni* iuri hactenus *praetenſo et armis diſceptato.* Dn. Mediator, inſciis Polonis ſe non poſſe, interrogatos non conceſſuros reſpondit, et ad illos receſſit. Poſt reditum adtulit, quod Dni Poloni iam declarent, vt oſtendant facilitatem toti mundo ſuam, ne in verbis haereant, concedere velle, vt verba, *omnibus praetenſionibus*, ponantur, nullius facta mentione iuris: et producit ſchedulam: "Sereniſſimus Poloniae Rex pro ſe et Succeſſoribus ſuis ſollemniter, ſponte et vltro renunciat omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae, Magnum Principatum Finlandiae et alias ſubiectas ditiones ac prouincias, vt et in bona ſua patrimonialia in Suecia ſita: reſeruato ſibi titulo integro Regis Sueciae, vt et inſignibus Regni Sueciae, vtendis et fruendis quoad vitam. Quibus tamen ad Sereniſſimos Reges Regnumque Sueciae non vtetur." Quae quum multis in verbis manca eſſet, praecipue ea omiſſa, *et heredibus,* item, *miniſtros et ſubditos concernentibus diplomatis:* diu et acriter ſuper ea diſceptatum eſt, nec hoc tantum, ſed et Dnus Comes Oxenſtierna monuit, ne admitteretur verbum praetenſionis ſolum, ſed addatur *iuri;* ſiquidem heri dictum eſſe a non nemine, (Akakiam aut Rautenſteinium intelligens,) illos bene cedere poſſe praetenſionem, et in mente reſeruare ius. In-

ceperunt igitur haerere Dni Legati: et Dn. Regni Theſaurarius, ante non monitum fuiſſe, dixit. Ad quod Dn. Comes Oxenſtierna reſpondit, praeſente Dno Mediatore cum Dno Akakia et Secretario Dn. Mediatoris, libera vota dicere vix licere. Complacuit itaque, vt poſthac Dn. Mediator rogaretur dare ſpatium deliberandi ſolis, ſicut apud alteram Partem fieret, dictumque hoc eſt deinde, vbi ſe recepiſſet ad alteros Dnus Mediator, Dno Akakiae. Et iam progreſſum ad vota. Ante tamen quam abiret, Dn. Mediator praetenſionem in ſua natura et genuino ſenſu ſignificare, aut ius legitimum, aut illegitimum: ſi legitimum, ſufficere: ſi illegitimum, ponatur: *iuribus et praetenſionibus*. Dn. Comes Oxenſtierna: Reſeruationem mentalem heri a Neoburgico Ablegato adlatam in medium, ſi recte meminerit, vel etiam Dno Akakia, (qui autem negauerat praeſens,) nempe hanc, quae modo expreſſa eſt. Etiam inter alia modo dixerat Dn. Mediator: Quid iuris poſſit ſibi reſeruare, qui omni praetenſioni renunciet, ſub qua ius comprehendatur? Dn. Regni Theſaurarius: Neceſſe eſſe, vt reſoluatur; periculum enim, ſi diutius inhaereatur verborum diſceptationibus, ne rem totam perdamus. Dn. Legatus Gyldenklau: Ad iſtam explicationem Dni Mediatoris recipi poſſe particulas: *omni praetenſioni*. Neque enim conducere, vt re infecta hodie iterum diſcedamus. Dn. Comes Schlippenbach ſeſe conformat, addens, non eſſe adtendendum, ſi Rautenſteinius, tamquam Extra-Commiſſarius, aliquid obiter dixiſſet. Dn. Comes Oxenſtierna: Siquidem heri per illam loquelam moniti ſimus, cauendum eſſe: quare etiam ſe in hoc diſſentire. Dn. Regni Theſaurarius: Quum periculum ſit in mora; Dn. Mediator per hanc explicationem declaraſſet, nullum ſubeſſe dolum; Akakia, quod dixiſſet, negaſſet; Rautenſteinii velut extra Commiſſionem nullius ſint verba valoris: ſe non videre, cur protrahamus rem. Ergo data eſt Dno Mediatori talis ſchedula: "Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Poloniae Dnus Ioannes Caſimirus pro ſe et heredibus et poſteris ſuis renunciat omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae, Magnum Principatum Finlandiae et ceteras annexas prouincias, nec non bona auita in Regno Sueciae dictiſue prouinciis ſita; et abſtinet poſthac titulis et inſignibus Regis Regnique Sueciae in litteris ad Regem Sueciae ſcribendis aliiſue diplomatibus ac ſcriptis, quae Regnum Sueciae eiuſque miniſtros

niſtros ac ſubditos concernent. Ad alias vero Poteſtates, quoad vixerit, vtatur, ſine vllo plenariae renunciationis in Sueciam praeiudicio. De ſtemmatibus auitis ſiue gentilitiis nulla vmquam, quod Legatio Suecica meminit, Regiae eius Maieſtati mota eſt controuerſia." In qua praeter vocabula, *omnibus praetenſionibus*, a priori nihil immutatum. Poſt reditum Dnus Mediator adfert ſchedulam: "Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dnus Ioannes Caſimirus, Rex Poloniae, pro ſe et heredibus ac ſucceſſoribus ſuis ſollemniter, ſolo amore pacis, renunciat omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae et Magnum Principatum Finlandiae et caeteras annexas prouincias, nec non in bona auita in Regno Sueciae dictiſque prouinciis ſita. Vtetur tamen titulis integris Regis Sueciae et inſignibus Regni Sueciae, quoad viuet, ſine vllo plenariae ſupra dictae renunciationis praeiudicio. Dictis vero titulis et inſignibus non vtetur ad Sereniſſimos Reges Regnumque Sueciae in litteris aliiſue diplomatibus, aut ſcriptis. Sed inter Sereniſſimos Poloniae et Sueciae Reges ſeruabitur modus receptus hactenus abbreuiandorum titulorum, idque inter ipſos tantum." Quae quum multa indigeret correctione, remonſtratum eſt omne Dn. Mediatori, atque nos dabimus Conceptum, quoad hunc Articulum, quale mox ſequetur: cum reſeruato, quod idem Articulus deinde in ipſo pacis Inſtrumento formaliter et extenſius poni debeat. Id quod Dn. Mediator conſentit, et rogatur etiam eius Secretarius, vt annotet hoc monitum. Mutatur per Dn. Regni Theſaurarium, adtendente Dno Mediatore, ſchedula noſtra nouiſſime tradita. Dn. Mediator monet, ne ponatur, *quae ſubditos concernunt.* Fieri enim poſſe, vt ſubditi Sueciae Dantiſci, vel aliis in locis iuriſdictionis Polonicae, foro Polonico vtantur, vbi Regi, tamquam in ſuo Regno et prouinciis territoriiſue, titulus integer non poſſit negari. Deletur itaque, et ponitur, *quae ad Regnum Sueciae eiuſque Miniſtros diriguntur.* Item monet, ne ponatur, *ad alias Poteſtates;* verum, *ad alios.* Mutatus ergo eſt, praeſente ipſo, hic Articulus hoc modo: "Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus Dn. Ioannes Caſimirus, Rex Poloniae, pro ſe et heredibus ac poſteris ſuis, amore pacis, ſollemniter exnunc et in perpetuum renunciat omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae et Magnum Principatum Finlandiae, et caeteras annexas prouincias, nec non in bona

na

na auita in Regno Sueciae dictiſue prouinciis ſita, nec vtetur poſthac titulis et inſignibus Regis Regnique Sueciae in litteris ad Sereniſſimos Reges Regnumque Sueciae ſcribendis, aliiſue diplomatibus ac ſcriptis, quae ad Regnum Sueciae. eiuſque miniſtros diriguntur. Ad alios vero, quoad vixerit, vtetur ſine vllo plenariae renunciationis in Sueciam praeiudicio." Et quo mundaretur charta, mandabatur. Quum autem hora iam eſſet dimidia nona veſpertina, Dnn. Poloni receſſerunt, et nos ſimiliter Sobothum rediuimus, craſtina octaua matutina congreſſu continuando, et ſubſcriptionibus conuentorum Articulorum fiendis. Igitur hoc vltimum Conceptum hac veſpera Dno Mediatori non eſt extraditum.

Actum Oliuae d. $\frac{30 \text{ Martii}}{9 \text{ April.}}$ *hor. ab* VIII *antem. vſque ad* X *veſp.*

Dn. Mediator excepit obuius more ſolito Illuſtriſſimos atque Excellentiſſimos noſtros, et in conclaue conferentiae ſolitum deduxit. Quum vero nondum aduentaſſent alterius Partis Dnn. Commiſſarii, paullo diſcurſum eſt: et Dn. Mediator interrogauit, an Articulus heri adhuc diſceptatus, et tandem correctus, de renunciatione et titulo ingroſſatus ſit? Cui, quod ſit, reſpondetur, et mundum exemplar ipſi monſtratur, nondum vero extraditur. Vbi aduenerunt Dni Polonici Legati, obuiam iis iuit Dn. Mediator, et per ſemihoram abſuit. Interea noſtri Dnn. Plenipotentiarii adhuc perlegunt modo dictum Articulum; et primum corrigitur *omnibus praetenſionibus*, ac in Singulari ponitur, *omni praetenſioni.* Quum mundatum et denuo relectum eſſet, pro *annexas*, ponitur *ſubiectas prouincias.* Dum rediiſſet Dn. Mediator, traduntur ipſi tandem, vt ſubſcribantur nouem illa Articulorum, de quibus a die Solis proxime elapſo, vſque ad hodiernum Veneris diem, diſputatum et reſpectiue conuentum eſt, Concepta; et in his charta ſeparata, quam Dn. Mediator atteſtabitur ſubſcriptione ſua, de mutuo XLM. imperialium, quia hic Articulus Inſtrumento pacis non inſeretur. Poſt reditum Dn. Mediator adfert aliam de Dni Koenigſmarkii eliberatione ſchedulam, quae reiicitur; et num humanum et aequum ſit, iudicio Dnn. Legatorum alterius Partis relinquitur. Deinde offert Articuli de renunciatione aliud a Dnis Polonicis Commiſſariis Plenipotentia-

tentiariis ipſi traditum Proiectum, in quo non tantum verbales, ſed etiam reales atque eſſentiales differentias hic eſt cernere. "Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dn. Ioannes Caſimirus, Rex Poloniae, pro ſe et heredibus et poſteris ſuis, ſollemniter ſolo amore pacis exnunc et in perpetuum renunciat omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae et Magnum Principatum Finlandiae, et ceteras ſubditas prouincias, nec non in bona auita, in Regno Sueciae dictiſque prouinciis ſita: vtetur tamen titulis integris Regis Sueciae et inſignibus Regni Sueciae, quoad viuet, ad omnes Principes, Status et priuatos extra Sueciam, ſine vllo plenariae ſupradictae renunciationis praeiudicio: inter Sereniſſimos vero Poloniae et Sueciae Reges modus hactenus ab vtrimque circa titulos et inſignia obſeruatus ſeruabitur." Nec criminari deſuit: ſiquidem aduenisſe noſtros tantum, vt reforment illos, pro *omnibus praetenſionibus*, ponendo *omni praetenſioni*, dixiſſe alteros Legatos, Dn. Mediator retulit. Remonſtratum eſt ipſi, nihil adſectari: tantum, quod aequum ſit ac poſſibile, poſtulari; quoad vocem hanc, Singularis ponatur, an Pluralis, perinde eſſe. Dn. Mediator: Quoad tres Etceterationes, vel abbreuiandos titulos, Dn. Morſtinium ſe declaraſſe, quod habeat expreſſum mandatum Regis, ne ſubſcribant aliter, ac hic ab ipſis proiectum eſſet. Reſponſum ipſi, impoſſibile eſſe et irreſponſabile, ſi a nobis acceptetur. Ille inſiſtit, quod nollent aliter ſubſcribere: nos, quod non poſſimus a noſtro Proiecto recedere, reſpondimus. Quia deliberandum erat, Dn. Mediator rogatur, concedere quadrantem horae ad deliberationem. Quibus ſe ex conclaui recepit.

Igitur Dn. Regni Theſaurarius interrogat Dnos Collegas, quid ſentiant; ſe videre ſummam difficultatem; non credere, nos poſſe eluctari; abbreuiationem acceptari nequire; alium fuiſſe induciarum, alium praeſentem de perpetua pace tractatum. Dn. Gyldenklau: Cogitandum eſſe, quomodo ſaluetur miles, adhuc in Boruſſia exiſtens, ſi ad rupturam perueniatur. Dn. Comes Schlippenbach: Quomodo ſaluari poſſent praeſidia et in Boruſſia et Curlandia, ſe non videre. Dn. Comes Oxenſtierna: Pacem quo obtineamus, omnibus modis vſque ad extrema enitendum dixit; quod vero medium inueniatur pro conueniendo hoc Articulo, difficile eſſe. Re bene perpenſa, Dnn. Legati

Digitized by Google

concludunt, vt mutetur, ſicut habet ſequens, per manum Illuſtriſſimi Dni Regni Theſaurarii mutatum et concinnatum, praeſentibus et auſcultantibus Illuſtriſſimis atque Excellentiſſimis Dnis Collegis ſuis, Conceptum: pacem enim omnibus difficultatibus praeferendam eſſe. "Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dnus Ioannes Caſimirus, Rex Poloniae, pro ſe et heredibus ac poſteris ſuis, amore pacis, ſollemniter exnunc et in perpetuum renunciat omni praetenſioni in Regnum Sueciae et Magnum Principatum Finlandiae, et ceteras ſubiectas prouincias, nec non in bona auita, in Regno Sueciae dictiſue prouinciis ſita. Quoad titulos autem et inſignia inter Sereniſſimos Sueciae Reges et Sereniſſimum modernum Poloniae Regem in litteris aliiſque diplomatibus aut ſcriptis obſeruabitur, quoad in viuis aget praetacta Regia Maieſtas Poloniae, modus receptus hactenus abbreuiandorum titulorum cum tribus Etceterationibus ad verba, *Magnus Princeps Finlandiae*, in titulo Regum Sueciae, et ad verba, *Magnus Dux Lithuaniae*, in titulo huius Regis Poloniae: titulis non modo in ſcriptis, ſed et ipſo ſigillo ita obſeruatis, vt et inſignibus Regni Sueciae in ſigillis Regis et Reipublicae Polonicae penitus omiſſis. Haec tamen omnia, ſine vllo plenariae ſupra dictae renunciationis praeiudicio. Nec poſt obitum moderni Regis Poloniae ſucceſſores eius et Reſpublica Polona in titulos et inſignia Sueciae vnquam praetendant, ſed vtrimque Reges et Regna ſuis quiſque titulis et inſigniis tantum plenarie gaudeant et vtantur."

Poſt reditum, Dn. Mediator incipit de IV Articulo reſtituendorum locorum; et quia ibi ratificationis fit mentio, refert Dnos Polonos ratificationem in Comitiis renuere tamquam ſuperfluam, quia deputati ſint a Republica, qui ratificent pacem. Dn. Regni Theſaurarius: Tres ratificationes, 1) Ipſius Regis, 2) Deputatorum, 3) Ipſorum Comitiorum neceſſarias. Dn. Mediator: Putare Dnos Polonos, quia deputati auctoritate Comitiali plenipotentiam habeant, non eſſe opus ratificatione in Comitiis. Dn. Regni Theſaurarius: Neceſſe eſſe, vt illa fiat ratificatio Reipublicae in Comitiis. Dn. Mediator: Dicere Confoederatos, quod nolint reſtituere occupata in Pomerania et Holſatia, antequam vltima ratificatio extradita ſit. Dn. Regni Theſaurarius: Non eſſe mentem noſtram, quod S. R. M. Sueciae nolit extradere ratificationem

tionem ſuam; ratificationem Reipublicae in Comitiis fiendam; ſed ſimul atque Deputati nomine Reipublicae aſſecurationem de ſubſequutura in proximis Comitiis ratificatione ſollemni Reipublicae dederint, et Rex ipſe ratificauerit, nos intra certum tempus ratificationem S. R. Maieſtatis Sueciae procuraturos. Traditur ipſi Conceptum modo praecedens, cum imploratione interponendae auctoritatis Regis Chriſtianiſſimi, quo aliquando id, quod iam pridem ante inceptos ſollemnes hoſce tractatus promiſſum eſſet, effectui detur. Promiſit omnem operam Dn. Mediator, et diu abſuit. Poſt reditum, Dnos Polonos ſuo Concepto inhaerere dixit, non attento, quidquid nomine Regis Chriſtianiſſimi dixerit: noſtra Proiecta illos, tamquam leges dare velimus, interpretari. Dn. Regni Theſaurarius: Difficillimum hoc modo tractari, vbi nulla humanitas reciproca adpareat. Nos nec dare, nec accipere leges velle; modo cupere, vt ingenue et candide omnia fiant. Solum exemplum Comitis Koenigſmarkii allegandum iam eſſe, vbi tantas moueant difficultates, quas nondum metuere potuiſſemus. Poſt aliquos diſcurſus iterum abiit Dn. Mediator. Reuerſus producit Articulum de Dn. Koenigſmarkii eliberatione, taliter conceptum: "Comes Koenigſmarkius, Campi Mareſchallus Sueciae, in libertatem intra quatuordecim dies a die conducti Rigam Illuſtriſſimi Ducis Curlandiae adſeretur ac dimittetur."

Dn. Regni Theſaurarius: Quid in Articulo renunciationis fiat? Dn. Mediator: Illos priori ſententiae, h. e. Conceptui ſuo inhaerere. Inuicem loquuntur Excellentiae Suae, et, quantum fieri poſſit, ſe et ſtilo et re ipſa adcommodare ſatagunt Dnis Polonis. Mutanturque in Concepto noſtro nouiſſimo, quae in ſubiecta illius quarti Proiecti hodierni noſtri Sueciei Copia adparent: "Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Ioannes Caſimirus, Rex Poloniae, pro ſe et heredibus ac poſteris ſuis, amore pacis, ſollemniter exnunc et in perpetuum renunciat omni praetenſioni in Regnum Sueciae et Magnum Principatum Finlandiae, et ceteras ſubiectas prouincias, nec non in bona auita, in Regno Sueciae dictiſue prouinciis ſita. Quoad titulos et inſignia ita conuentum eſt, vt Sereniſſimus Rex Poloniae, prout hactenus, ita in poſterum iis vtatur ad omnes Principes, Status et priuatos extra Sueciam, ſine vllo plenariae ſupra dictae renunciationis

Digitized by Google

praeiudicio. Dictis vero titulis et inſignibus non vtatur ad Sereniſſimos Reges Regnumque Sueciae in litteris aliiſue diplomatibus aut ſcriptis, ſed obſeruetur vtrimque receptus hactenus modus abbreuiandorum titulorum cum Etceterationibus ad verba, *Magnus Princeps Finlandiae*, in titulo Regum Sueciae; et ad verba, *Magnus Dux Lithuaniae*, in titulo huius Regis Poloniae: Titulis quidem non modo in ſcriptis, ſed et ipſo ſigillo ita obſeruatis, ſed inſignibus Regni Sueciae in ſigillis Regis et Reipublicae Polonae penitus omiſſis. Poſt obitum vero moderni Regis Poloniae, Succeſſores eius et Reſpublica Polona in titulos et inſignia Sueciae nihil vmquam praetendant, ſed vtrimque Reges et Regna ſuis quiſque titulis et inſignibus tantum plenarie gaudeant et vtantur." Dn. Mediator accepit, et iterum ad Dnn. Polonos ſe contulit, noſtris interea Dnis Legatis valde ſollicitis, tam ſuper hoc puncto, quam vniuerſo pacis negotio, increbeſcentibus in dies malis rumoribus, et Generalibus atque Officiariis copiarum noſtrarum Boruſſicarum famem et interitum clamantibus. Erat dimidia quarta, quum Dn. Mediator poſt prandium ad opus redeundum promiſit: et pranſi ſumus Oliuae ex ferculis a Dno Abbate nonnullis adpoſitis.

Eodem poſt prandium, horis a V pomeridianis.

Quum adhuc Poloni inhaererent ſuo Conceptui, Dno Mediatori datum eſt noſtrum ſuper Articulo, de renunciatione et titulô quintum hodie mutatum Proiectum: Vbi 1) ponitur: *Omnibus praetenſionibus.* 2) Poſt verba: *ita in poſterum*, inſeritur: *ad dies vitae.* 3) Vox *tamen*, praeponitur verbis: *plenariae ſupra dictae renunciationis praeiudicio.* 4) Pro *ſed*, ponitur *et*, poſt verba: *Sigillo ita obſeruatis:* eaque manu Dn. Regni Theſaurarii. Cum quo ſe ad alteras recepit. Poſt reditum adfert ſchedulam, ſuper hoc Articulo a Polonicis Legatis proiectam talem. "Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dnus Ioannes Caſimirus, Rex Poloniae, pro ſe ac heredibus poſteriſque ſuis, amore pacis, ſollemniter exnunc et in perpetuum renunciat omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae et Magnum Principatum Finlandiae, et ceteras ſubiectas prouincias, nec non in bona auita, in Regno

gno Sueciae dictiſque prouinciis ſita. Quoad titulos et inſignia ita conuentum eſt, quod Sereniſſimus Rex Poloniae, prout hactenus, ita in poſterum ad dies vitae ſuae vtetur integris titulis Regis Sueciae, vt et integris ſigillis inſignibuſque Regni Sueciae in Polonia, et ad omnes Principes, Status et priuatos, extra Sueciam, ſine vllo tamen plenariae ſupradictae renunciationis praeiudicio. Dictis vero titulis et inſignibus non vtetur ad Sereniſſimos Reges Regnumque Sueciae in litteris aliiſue diplomatibus aut ſcriptis, ſed obſeruabitur vtrimque receptus hactenus modus abbreuiandorum titulorum cum etceterationibus, ita vt poſt verba, *Magnus Dux Lithuaniae*, tres etceterationes in titulo moderni Sereniſſimi Regis Poloniae; et viciſſim poſt verba, *Magnus Princeps Finlandiae*, tres etceterationes in titulo Sereniſſimi Regis Sueciae adiiciantur. Inſignibus tamen Regni Sueciae in ſigillis Regis et Reipublicae Polonae, dum in Sueciam ſcribetur, penitus omiſſis. Poſt obitum vero Sereniſſimi moderni Regis Poloniae, Succeſſores eius et Reſpubl. Polona in titulos et inſignia Sueciae nihil vmquam praetendant, ſed vtrimque Reges et Regna ſuis quiſque titulis et inſigniis tantum plenarie gaudeant et vtantur.“ Deinde interrogatus a Dno Regni Theſaurario Dn. Mediator, in aliis quid concluſerint? Collationata eſſe omnia dixit, ſed nihil concluſum; credere, quod exſpectetur complanatio Articuli renunciatorii. Dn. Regni Theſaurarius: Legationem Suecicam ſatis adſequutam eſſe mentem Dnn. Polonorum; velle videre vltimum Proiectum tantoties diſceptati Articuli. Poſtquam inſpectum eſſet, Dn. Regni Theſaurarius reſpondit, adparere non adeo magnam differentiam, niſi in verbis quibuſdam. Dnus Mediator: Quum verba debeant conuenire noſtrae menti, etiamſi illa parum diſcrepent, eumdem ſenſum exprimentia, non videre ſe magnam conſiderationem, cur hoc Polonicum Legatio Suecica accipere nollet. Dn. Regni Theſaurarius interrogat Dnos Collegas Legatos Plenipotentiarios ſeorſim. Dn. Gyldenklau: Recipi oportere credit, etiamſi palam differat verbis a noſtro. Dn Comes Schlippenbach: Non eſſe amplius tempus perdendum. Dn. Comes Oxenſtierna ſemitacendo conſenſit. Dn. Regni Theſaurarius ingroſſare mandauit, (id quod ſexta vice hodie mutatum eſt,) antea tamen adhuc rogauit, num, quae ad titulum pertinent, ſecreto Articulo comprehendenda? Dn. Legatus Gyldenklau,

Digitized by Google

klau, nouam difficultatem cenſuit futuram. Dn. Comes Schlippenbach: Perinde eſſe. Dn. Comes Oxenſtierna non inſerendum publico Inſtrumento cenſuit; tandem parum differre declarauit. Idque per expreſſum Secretarius Legationis a S. Excellentia quaeſiuit. Dn. Regni Theſaurarius maioribus ſe conformauit. Itaque mundata eſt charta, vti dictum. Dn. Gyldenklau: Dux Curlandiae et Semigalliae in Liuonia Suecica: concedi poſſe, ſi Poloni nolint, vt vtatur in Liuonia Polonica.* Dixerat enim Dn. Mediator, quod remonſtraret, aut vſum tituli eſſe iuris aut loci: ſi iuris, inſiſtendum eſſe; ſi loci, proſtitutionem fore. Tandem complacuit noſtris, vt relinqueretur haec de titulo Ducis quaeſtio: et in Articulo de illius reſtitutione hodie ſubſcribendo, adderetur: *in Liuonia* — Dux. Dn. Mediator: Dn. Koenigſmarkius vt intra idem tempus, quo Dux Curlandiae reſtituatur, alteram Partem conſentire dixit. Rogatus, ſchedulam concipi iam, reſpondit. Monuit Dn. Regni Theſaurarius, 1) vt in illo Dn. Koenigſmarkii Articulo, ad verba: *Dantiſcum ſiſtetur,* adponatur: *decenti modo.* 2) Deinde verbis: *de non vindicando aliquid*, ſubiiciatur: *ex priuato adfectu.* 3) Verbis: *et Ciuitatem Gedanenſem*, addatur: *Salua debita tamen Regibus Regnoque Sueciae obedientia et fide.* Dum mundatur Conceptum, ſuper Articulo de renunciatione et titulo conuentum, Dn. Mediator ſe recipit ad Dnn. Polonos, vt fiat initium ſubſcriptionis Articulorum. Sed ſtatim rediit, et num in mundam chartam miſſum eſſet Conceptum, ſciſcitur. Vbi iam ſexta et vltima vice mutatum hodie hunc Articulum ingroſſatum accepiſſet, per horam fere integram abſuit, et poſt reditum, adferre ſe tandem, quod felix fauſtumque futurum ſit! Articulos ſubſcriptos Ducis Curlandiae, Dn. Comitis Koenigſmarkii, et renunciationis, rogans, Suis Excellentiis placeat, vt a Secretario Suecico quoque ſubſcribatur. Collati ſunt cum Conceptis, et ſubſcripti etiam per noſtrum Secretarium, eorumque tenor eſt, vt ſequitur: Articulus Curlandiae Ducis: "Illuſtriſſimus in Liuonia Curlandiae et Semigalliae Dux, cum Coniuge Prolcque ſua Ducali ac tota familia et Aula, abſque vlla protractione, intra ſex ſeptimanarum ſpatium a die quinta Aprilis ſt. n. Rigam ſiſtetur, Inde vero intra dies quatuor-

* Conf. PASTORIVS ad h. d. p. 223.

quatuordecim decenti et ſuae dignitati accommodato conuenientique modo, vbi modernus Tractatus ſubſcriptus fuerit, ad fines Semigalliae deducetur, omniaque ſua ſuorumque mobilia non diſtracta, vbicumque intercepta vel Rigae depoſita, litteratoria ſimiliter ſiue publica ſiue priuata documenta, bona fide extradentur, et Mitauiam reportabuntur. Ante eliberationem autem ſuam ac reſtitutionem plenariam peculiari Reuerſalium diplomate caueat, de non offendendo aut vindicando aliquid contra S. R. M. Regnumque Sueciae in futurum: ſalua fidelitate et obligatione Regibus Regnoque Poloniae et Magno Ducatui Lithuaniae debita.“ Articulus Dni Comitis Koenigſmarkii: “Dn. Comes Koenigſmarkius, Campi Mareſchallus Sueciae, abſque vlla protractione, intra ſex ſeptimanarum ſpatium a die quinta Aprilis ſt. n. Dantiſcum decenti modo ſiſtetur: inde vero intra dies quatuordecim, vbi modernus Tractatus ſubſcriptus fuerit, eliberabitur. Ante reſtitutionem plenariam, peculiari Reuerſalium diplomate caueat de non offendendo et vindicando aliquid contra S. R. M. Regnumque Poloniae et ciuitatem Gedanenſem: ſalua tamen debita Regibus Regnoque Sueciae obedientia et fide.“ Articulus renunciationis: “Sereniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dnus Ioannes Caſimirus, Rex Poloniae, pro ſe ac heredibus poſteriſque ſuis, amore pacis, ſollemniter exnunc et in perpetuum renunciat omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae et Magnum Principatum Finlandiae, et ceteras ſubiectas prouincias, nec non in bona auita, in Regno Sueciae dictiſque prouinciis ſita. Quoad titulos et inſignia ita conuentum eſt, quod Sereniſſimus Rex Poloniae, prout hactenus, ita in poſterum ad dies vitae ſuae vtetur integris titulis et ſigillis inſignibuſque Regni Sueciae in Polonia, et ad omnes Principes, Status et priuatos extra Sueciam, ſine vllo tamen plenariae ſupra dictae renunciationis praeiudicio. Dictis vero titulis et inſignibus non vtetur ad Sereniſſimos Reges Regnumque Sueciae in litteris aliiſue diplomatibus aut ſcriptis, ſed obſeruabitur vtrimque receptus hactenus modus abbreuiandorum titulorum cum etceterationibus, ita vt poſt verba, *Magnus Dux Lithuaniae*, tres etceterationes in titulo moderni Sereniſſimi Regis Poloniae; et viciſſim poſt verba, *Magnus Princeps Finlandiae*, tres etceterationes in titulo Sereniſſimi Regis Sueciae adiiciantur. Inſignibus tamen Regni Sueciae in ſigillis Regis

gis

gis et Reipublicae Polonae, dum in Sueciam ſcribetur, penitus omiſſis. Poſt obitum vero Sereniſſimi moderni Regis Poloniae, Succeſſores eius et Reſpublica Polona in titulos et inſignia Sueciae nihil vmquam praetendant, ſed vtrimque Reges et Regna ſuis quiſque titulis et inſigniis tantum plenarie gaudeant et vtantur." Tranſpoſitum in noſtro eſt, ita vt praecedant verba: Magnus Princeps Finlandiae etc. idque obſeruabitur vbique, vt in his exemplaribus, quae nos ſubſcribimus S. R. M. Regnique Sueciae titulus et mentio praecedat. Erat dimidia decima veſpertina; et antequam abiremus, exſpectando plurium ſubſcriptionem, ſonus campanae horam iſtam penitus ſupplentis auditur. Nihil vero hodie amplius perficitur: ſed omnes quique diſceſſimus, cras ad continuationem redituri. Nam etſi nonnulla adferrentur: differre tamen a noſtris Conceptis deprehenſa ſunt, et ideo nocte ingruente in proximum matutinum relicta.

Actum Oliuae d. $\frac{31 \text{ Martii}}{10 \text{ April.}}$ *horis a X antemerid.*

Non aderant adhuc Dni Legati Polonici noſtrum ad aduentum. Dn. Mediator refert, Legatum Hiſpanicum miſiſſe Subdelegatum ſuum Vienna, qui mediationem interponat; * habere etiam litteras ad Excellentias Suas: rogat, quid ad hoc declarent. Dn. Regni Theſaurarius: Credere nos, quia per mediationem Chriſtianiſſimi Regis hactenus res acta ſit, non opus eſſe interpoſitione Hiſpanica. Rogare tamen Dnos Plenipotentiarios, vt Dn. Mediator velit experiri, quomodo ab Aula Polonica, et in qua receptus ſit qualitate. Vbi nunciatum eſſet, aduenire Polonicos Dnn. Commiſſarios, Dn. Mediator illis obuiam iuit: et eo abſente diſcurſum eſt a Dnis Legatis noſtris de iſto Legati Ablegato, quomodo ſit recipiendus. Et exiſtimarunt, non aliter quam a Legato miſſum tractari poſſe: velle tamen reſcribere primum, qualiter ab Aula Polonica et reliquis Legationibus fuerit agnitus. Rediit Dn. Mediator, et tres Articuli, qui heri inter conferendum differre deprehenſi ſunt, iam adiuſtantur, vt ſequitur, ingroſſantur, et a noſtra quoque Parte per Secretarium Legationis ita ſubſcribuntur.

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 224 ſq.

Digitized by Google

buntur. Sunt autem iſti Articuli 1) de euacuatione locorum in Pruſſia et Curlandia: 2) Ceſſionis Liuoniae: 3) de Auſtrali Liuonia, et titulo Ducatus Liuoniae. "Legatio Suecica promittit, ſeſeque obligat, ab ipſa ſubſcriptione moderni Tractatus, et tradita in manus Dn. Mediatoris ratificatione Sereniſſimi Regis Poloniae, intra octiduum exceſſurum praeſidium Suecicum Mariaeburgo, reliquiſque Pruſſiae locis omnibus, excepta cum ſuis fortalitiis Elbinga, eaque omnia loca in manus Sereniſſimi Regis Poloniae eſſe reſtituenda. Bauſcum etiam, vti et reliqua, ſi quae ſint in Suecorum poteſtate loca in Curlandia, praeſidiis Suecicis euacuabuntur intra octiduum, poſtquam notitia ad Generalem exercituum in Liuonia, vel in abſentia eius ad eius Locumtenentem peruenerit de ſubſcripto Tractatu. Quae notitia per tubicines vtriuſque Partis coniunctim Rigam deferetur. Praefata autem Elbinga, vbi Tractatus modernus per Deputatos Comitialis auctoritatis in futuro conuentu ratificatus fuerit, circa ipſam ratificationum commutationem vna cum ſuis fortalitiis ſine contradictione in inſtanti euacuabitur." — "Sereniſſimus Rex et Ordines Regni Poloniae et M. Ducatus Lithuaniae pleno iure et in perpetuum cedunt Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae omnem illam Liuoniam trans Dunam, quam Suecia per tempus induciarum tenuit ac poſſedit, vt et partes Cisdunanas omnes, quas per idem tempus induciarum Suecia tenuit ac poſſedit, ita tamen, vt non vlterius, quam hactenus, fines ſuae poſſeſſionis in Curlandia aut Semigallia promoueant, aut ſeruitutes a ſubditis Illuſtriſſimi Curlandiae Ducis exigant. Pars Liuoniae, eaque Auſtralis, quae ante haec et per haec bella, et temporibus induciarum, ſub ditione fuit Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae, nempe Duneburgum, Roſiten, Lutzen, Marienhuſen, itemque reliqua omnia loca, quae per Commiſſarios ad id vtrimque deputandos fuiſſe per tempus induciarum Polonicae poſſeſſionis inuenientur, cum omnibus ſuis pertinentiis, territoriis, vrbibus, pagis, fructibus et prouentibus teloneiſque, iuribus, directoque et vtili dominio, remanent in poſſeſſione Sereniſſimorum Regum et Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae. Nec Sereniſſimi Reges Regnumque Sueciae in iſtam partem Liuoniae, vt ab altera diuerſam, vllum vmquam ius praetendere poterint. Quum vero Magnus Dux Moſchouiae non modo dictam Liuoniam Polonicam, ſed

etiam partem Suecicae occupatas armis nunc teneat, ideo conuentum eſt, vt, ſi Regnum Sueciae aliquid ex Liuonia Polonica quocumque tempore a Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum illud Poloniae et Magno Ducatui Lithuaniae vltro et gratuito, non imputatis expenſis belli, reſtituere. Eodem modo et viciſſim, ſi Reſpublica Polonica aliquid ex Liuonia Suecica quocumque tempore a Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum id Sueciae vltro et gratuito, non imputatis expenſis belli, reſtituere." — "Titulis et inſigniis Liuoniae, tum S. R. M. Sueciae eiuſque Succeſſores Reges Sueciae, ratione Septentrionalis, tum S. R. M. Poloniae, eiuſque Succeſſores Reges Poloniae Magnique Duces Lithuaniae, ratione Auſtralis Liuoniae, ſub titulo Ducatus promiſcue vtentur." — Quo facto Dn. Mediator adtulit quinque alios Articulos: nempe 1) De extraditione diplomatum, obligationum et litterarum, Inſtrumentorum et Actorum publicorum: 2) De reſtitutione Archiuorum, Actorum publicorum, Caſtrenſium, Iuridicorum et Eccleſiaſticorum: 3) De caſſatione obligationum Curlandicarum: 4) De debitis: 5) De non praetendendo aliquid in Curlandiam. "Quidquid in Polonia et M. Ducatu Lithuaniae prouinciiſque annexis per hoc bellum Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae, eorumque ducibus et Legatis, vel a priuatis, vel a communitatibus, exercitibus et prouinciis per neceſſitatem belli aut aliter datum eſt, quocumque titulo diplomatum, obligationum et litterarum, Inſtrumentorum et Actorum publicorum: ea omnia autographa bona fide Sereniſſimo Regi et Reipublicae Polonae circa ratificationum commutationem extradantur. Quod ſi naufragio abſorpta, vel alio modo perierint omnia eiuſmodi ſcripta actaque priuata et publica, exnunc caſſantur, annihilantur et eliminantur, nihilque exinde Reges Regnumque Sueciae in prouincias, exercitus, diſtrictus vel priuatos in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniae et prouinciis illis annexis vel ſubiectis, iuris praetendere velle aut poſſe omni meliori modo declaratur. Reſtituentur quoque a Suecis omnia Archiua, Acta publica Caſtrenſia, Iuridica, Eccleſiaſtica, quae ex Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae auecta, et quorum copia haberi poterit. Bibliotheca quoque Regia reſtituetur. Obligationes ac quaeuis recognitiones ab Illuſtriſſimo Curlandiae Duce, aut incolis Curlandiae et Semigalliae,

galliae, Diſtrictuſque Piltenſis per Suecos extortae de toto caſſantur, nullumque habere pondus declarantur; vt et decreta, hoc bello per Suecos in inuitos vel non auditos, inter incolas Curlandiae et Rigenſes, lata." — "Debita fide Regni Sueciae a Generalibus Sueciae apud Mitauienſes contracta exſoluantur, et incolis Curlandiae ac Semigalliae depoſita ac concredita apud Rigenſes bona fide reſtituantur." — "Sereniſſimus Rex Regnumque Sueciae nullum vnquam ius aut praetenſionem in Ducatus Curlandiae Semigalliaeque et Diſtrictum Piltenſem vel reſpectu Liuoniae vel quouis alio habebunt, praetendent, aut praetendere poterunt." — Quibus reſpondetur a noſtris, vt ſequitur: nimirum, poſt aliquas hinc inde diſputationes, aequiſſime ſe declarant Dni Legati noſtri, et 1) quoad Articulum de extraditione diplomatum etc. poſt verba: *Prouinciiſque annexis:* inſeritur in noſtro Concepto, *in iiſque Curlandia:* poniturque pro *que*, *ve*, ita vt ſit: *Prouinciiſue.* Deinde poſt verba, *Communitatibus*, *Exercitibus*, primum ponere voluerant *Diſtrictibus:* id quod et nos initio retinuimus, deinde vero deletum eſt. Poſtea poſt verba: *Ea omnia autographa*, noſtri inſerunt, *quae ſuperſunt.* Poſt verba: *Sereniſſ. Regi et Reip. Polonae*, inſeritur: *Ducique Curlandiae:* poniturque pro *extradantur*, in noſtro Concepto *extradentur.* *Naufragio abſorpta* mutatur: *Naufragio abſorpta ſint.* Poſt verba: *Prouinciis illis annexis vel ſubiectis*, inſeritur: *in ſpecie etiam Curlandia et Diſtrictu Piltenſi.* 2) Articulus de reſtitutione Archiuorum a noſtris Dnis Legatis ita mutatur: "Reſtituentur quoque a parte Suecorum omnia Archiua, Acta publica, Caſtrenſia, Iuridica, Eccleſiaſtica, nec non Bibliotheca Regia, quae ex Regno Poloniae et M. Ducatu Lithuaniae auecta, et quorum copia haberi poterit." 3) Articulus vero de caſſatione obligationum, qui etiam decretorum in inuitos vel non auditos hoc bello latorum caſſationem continet, plane aliter a Suis noſtrae Legationis Excellentiis concipitur, ita videlicet: "Acta iudicata et decreta, cuiuſcumque fuerint inſtantiae vel iudicii, contractus, tranſactiones, aliaque omnia belli huius tempore, ſiue Magiſtratuum auctoritate et iudicialiter, ſiue extraiudicialiter geſta, nec ſtatui publico, vti is fuit ante bellum, derogant, vel huic pacificationi per expreſſum ſunt reſeruata, firmum robur obtineant, aeque ac ſi nulla Regiminis aut Magiſtratuum mutatio interueniſſet: ſaluo iuris, appellationis et reuiſionis remedio.

Digitized by Google

Quae vero decreta in hoc bello in inuitos et non auditos lata ſunt, nullum habere pondus declarantur." 4) Similiter Articulus de debitis, qui etiam depoſitorum reſtitutionem comprehendit, luculentius et clarius a noſtris Dnis Legatis concipitur: "Debita tum fide publica tum priuata inter vtriuſque Partis ſubditos et incolas contracta vtrimque exſoluantur; et quae bona mobilia depoſita et concredita, nec adhuc fiſco adiudicata, aut aliis per donationes collata ſunt, propriis dominis bona fide reſtituantur. Nemo autem tenebitur ad eorum refuſionem, quae ex mandato ſuperiorum extradere neceſſe habuit, praeſtandam." 5) Quod Proiectum Polonicum de non praetendendo aliquid iuris in Curlandiam adtinet, peculiarem de ea re fieri Articulum Legatio Suecica ſuperfluum iudicauit, ſiquidem Articulo de Auſtrali Liuonia facile poſſint adiungi verba: *In Ducatus Curlandiae Semigalliaeque et Diſtrictum Piltenſem* etc. Vrgentibus tamen per Dn. Mediatorem Dnis alterius Partis Legatis, idque vt conſtet hac de re conuentum eſſe, noſtris quoque placuit fieri et ſubſcribi ſchedulam, qualis hic infra ſequetur. Traduntur iſta Proiecta noſtra mundata Dn. Mediatori vna cum Apographo Reuerſalium a Duce Curlandiae, ante plenariam reſtitutionem ſuam dandarum. Item traditur ipſi catalogus Articulorum nondum conuentorum, et rogatur, operam ſuam adhuc indefeſſam commodet. Quam promiſit; et antequam receſſit ad Dnos alterius Partis Legatos, rogari Suas Excellentias a Dnis Polonis, vt proiiciant ſchedulam ſuper Articulo de Elbinga. Rogatur Dn. Mediator, vt pergatur coepto iam ordine: primum expediantur, quae ad Polonos ſolos, deinde quae ad illos et Foederatos, et denique quae ad vtrumque Confoederatorum in ſpecie ſpectent: velle etiam nos experiri, quam Dni Electorales in aliis faciles ſe praebituri ſint. Quibus abiit.

Poſt reditum Dn. Mediator refert Articulos: et ſubſcripti ſunt per Secretarium noſtrum. Articulus de obligationum extraditione: "Quidquid in Polonia et M. D. Lithuaniae prouinciiſue annexis, in iiſque Curlandia, per hoc bellum Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae, eorumque ducibus et Legatis, vel a priuatis vel a Communitatibus, exercitibus et prouinciis per neceſſitatem belli aut aliter datum eſt, quocumque titulo diplomatum, obligationum et litterarum, Inſtrumento-

mentorum et Actorum publicorum: ea omnia autographa, quae ſuperſunt, Sereniſſimo Regi et Reipublicae Polonae Ducique Curlandiae circa ratificationum commutationem bona fide extradentur. Quod ſi naufragio abſorpta ſint, vel alio modo perierint, omnia eiuſmodi ſcripta Actaque priuata et publica exnunc caſſantur, annihilantur et eliminantur, nihilque exinde Reges Regnumque Sueciae in prouincias, exercitus, diſtrictus, vel priuatos in Polonia, M. D. Lithuaniae et prouinciis illis annexis vel ſubiectis, in ſpecie etiam Curlandia et Diſtrictu Piltenſi, iuris praetendere velle aut poſſe, omni meliori modo ex conſenſu vtriuſque Partis declaratur." Articulus de reſtitutione Archiuorum: "Reſtituentur quoque a parte Suecorum omnia Archiua, Acta publica, Caſtrenſia, Iuridica, Eccleſiaſtica, nec non Bibliotheca Regia, quae ex Regno Poloniae et M. D. Lithuaniae auecta, et quorum copia haberi poterit." Articulus de non praetendendo in Curlandiam. Quae ſub hoc numero propoſita ſunt de non praetendendo in Curlandiam, Semigalliam et Diſtrictum Piltenſem, de iis non opus eſt peculiari Articulo, ſiquidem Articulo de Auſtrali Liuonia poterunt adiungi haec verba: *in Ducatus Curlandiae Semigalliaeque et Diſtrictum Piltenſem* etc. Quo tamen conſtet, hac de re conuentum eſſe, huic ſchedulae ſubnecti placuit, ſicuti fuit propoſitum, quod ſequitur. "Sereniſſimus Rex Regnumque Sueciae nullum vmquam ius aut praetenſionem in Ducatus Curlandiae Semigalliaeque et Diſtrictum Piltenſem vel reſpectu Liuoniae, vel quouis alio habebunt, praetendent, aut praetendere poterunt." Sed de 12 et 13. qui ſunt de iudicatis et debitis, fuit diſputatio, volentibus tantum ad ſuam reſpicere, non noſtram partem Polonis. Et licet Dn. Mediator ipſis obſeruantiam omnium aliorum Tractatuum, et praecipue Stumſdorfienſium demonſtraſſet: tamen deflecti ab opinione praeconcepta nequierunt Dnn. Poloni et Confoederati. Perſiſtentibus noſtris Dnis Legatis, moderatis tamen nonnullis Dn. Mediator ad illos recurrit. Poſt reditum retulit, ſe tres illos modo ſubſcriptos Articulos dediſſe Dnis Legatis Polonicis, qui velint mandare ſuo Legationis Secretario, vt quoque ſubſcribat; reliquos duos diſtuliſſe in craſtinum. Diſceſſum eſt.

Actum Oliuae d. $\frac{1}{11}$ Aprilis, horis a III pomerid.

Ventum eſt Oliuam, nondum praeſentibus Dnis Polonis, et a diſcurſibus, vt fieri conſueuerit, initium factum eſt. Nunciato, aduentare Polonos, ad ſalutandum acceſſit Dn. Mediator, et noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiae de his, quae adhuc pertractanda ſunt, interea perloquuntur, exſpectantes ſubſcriptionem reliquorum Articulorum hactenus ſubſcriptorum. Poſt reditum ſatis longi ſpatii, Dn. Mediator excuſat moram; examinaſſe Articulos Dnn. alterius Partis Legatos; iam redeundum ad deſiderata, quae heri relicta ſint imperfecta. Loquuntur ergo de his, quae ſequuntur. Primo quidem in Articulo, de Archiuorum atque Actorum publicorum reſtitutione, qui heri a noſtra parte ſubſcriptus placitu Dnn. Polonorum fuit, exprimi certum tempus voluerunt; petierunt, vt cum ipſa extraditione et commutatione ratificationum fieret. Noſtri ſex menſes, poſt ratificationes commutatas, promiſerunt. Illi vnum intra menſem, tandem duos, vt fiat, adquieuerunt. Quum nos nollemus, verentes, ne propter longitudinem idque maritimi itineris, vbi ventorum ac tempeſtatum incerta ſemper proſpicienda ſunt, ſpatium duorum menſium, licet poſt ratificationis factae commutationem colligendis, quae paſſim in Regno diſperſa forent, nimis anguſtum ſit, tres menſes promiſimus, placuitque adiici illi Articulo haec verba: *idque intra tempus commutationis ratificationum, vel intra tres menſes eiuſdem.* Illis tempus complacuit; ſed poſtularunt, *ad ſummum* adponatur. Conſenſerunt noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiae, et formata eſt ea clauſula taliter: *Idque intra tempus commutationis ratificationum, vel ad ſummum intra tres menſes factae commutationis.* Deinde in Articulo de extraditione diplomatum, obligationum et litterarum, Inſtrumentorum et Actorum publicorum, heri ſimiliter conuento, ac a nobis per Secretarium ſubſcripto, verba: *ex conſenſu vtriuſque Partis*, in fine, ante vocem, *declaratur*, demi voluerunt. Et deleta ſunt. Iam ad Articulum de obligationum et recognitionum Curlandicarum caſſatione peruentum eſt, et in Proiecto Partis alterius, per Dn. Mediatorem heri producto, poſt verba: *per Suecos*, inſertum eſt: *et vice verſa a Suecis per Polonos:* deletaque ſunt verba: *vt et decreta, hoc bello per Suecos in inuitos vel non auditos inter incolas*

Curlan-

Curlandiae et Rigenſes lata: ita vt fieret, qui ſequetur, Articulus peculiaris de iudiciis, ſeu decretis, ſeu iudicatis. Mutatum eſt igitur per Legationem noſtram illud Proiectum ita: "Obligationes ac quaeuis recognitiones ab Illuſtriſſimo Curlandiae Duce aut incolis Curlandiae et Semigalliae Diſtrictuſque Piltenſis per Suecos, aut vice verſa a Suecis per Polonos extortae de toto caſſantur, nullumque habere pondus declarantur." Alter autem Articulus modo hic ſupra memoratus, qui a nobis heri conceptus incipit: *Acta iudicata* etc. a Dnis Polonis hoc modo concipitur, et per Dn. Mediatorem Legationi Sueciae traditur: "Iudicia omnia decretaque ad cuiuſuis inſtantiam lata in iis locis, in quorum poſſeſſione hoc bello Sueci exſtiterunt, tum etiam contractus et tranſactiones, ſub idem tempus iiſdemque locis inſtitutae iudicialiter ſiue extraiudicialiter, ſi modo ſtatui publico, qui fuit ante hoc bellum, et pacificationi praeſenti non contrariantur, nec in inuitos aut abſentes prolata fuerunt, firma maneant, aeque ac ſi nulla Regiminis et Magiſtratuum mutatio interueniſſet: ſaluis appellationibus, et reuiſionibus, et reſtitutionis in integrum aliiſque iuris remediis." Ad hoc Conceptum Polonicum Suae Excellentiae monent, vt ponatur: 1) *Acta iudicata*, vel: *Iudicata.* 2) Pro: *ad cuiuſuis inſtantiam* etc. cuiuſcumque fuerint inſtantiae. 3) *In quorum poſſeſſione* etc. deleantur. 4) Denique clauſula, *Saluis appellationibus* etc. finalis, ita mutetur: *Saluis appellationibus et reuiſionibus in iis, quae hiſce iuris remediis hactenus haud potitae, in rem iudicatam non tranſierunt.* Excepit in ſchedulis noſtra monita Dn. Mediator ad referendum. Reproduxit tertium noſtrum ſubſcriptum heſternum, quod eſt de non velle aut poſſe S. R. Maieſtatis Regnumque Sueciae vllum vnquam ius praetendere in Curlandiam Semigalliamque, et Diſtrictum Piltenſem: atque deleri voluerunt Dnn. alterius Partis Legati verbum, *praetendent*, ac poni tantum, *habebunt, aut praetendere poterunt.* Deletum eſt hac vice. Poſtea profert Conceptum reuerſalium a Duce Curlandiae, quod Suis quoque Excellentiis complacuit; modo in exemplari, per noſtrum Secretarium ſubſcribendo, ponatur: *Sueciae et Poloniae Reges:* quum alteri praeponant Regem ſuum in eo, quod eorum Secretarius ſubſcribet. De reuerſalibus Illuſtriſſimi Curlandiae Ducis, tales vt det, conuentum eſt.

eſt. "Iacobus Dei gratia in Liuonia Curlandiae et Semigalliae Dux, notum teſtatumque facimus," etc.* — Demum Articulus de debitis, de depoſitis, ita vt heri Legatio noſtra eumdem conceperat, reproducitur: et nihil a Polonis mutatum erat, niſi in principio haec verba: *Debita a Generalibus, tum priuata inter vtriuſque Partis ſubditos — contracta* etc. Quum noſtrum Conceptum ita habeat: *Debita tum fide publica, tum priuata inter vtriuſque Partis ſubditos — contracta.* Vbi hiſce pertractandis, euute et redeunte Dno Mediatore, et ſpatio monendi, corrigendi mutandique vtrimque dato, aliquot horae iterum abiiſſent, ſero veſpere diſceſſum eſt, tractatibus cras continuandis.

Actum Oliuae d. $\frac{2}{12}$ April. horis ab VIII matutinis.

Abſente Dno Comite Schlippenbach, aliis negotiis impedito. Poſtquam circa heſternum tempus veſpertinum Lotſcherus, Equitum Capitaneus Maior, qui nuper ad S. R. Maieſtatem cum litterarum diuerſis faſciculis per Expreſſum Sobotho miſſus erat, rediiſſet, hodie vero adpulſus fuiſſet, noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiae Dn. Mediatorem requiſiuerunt, vt intimare Dnis Polonis ipſi liberet, Legationem Suecicam hodie ex allegata hac cauſſa antemeridianis horis congreſſui accommodare non poſſe; poſt prandium autem, ſi ita placeat alteris, ſe adeſſe Oliuae et ſperare, et promittere. Conuenerunt itaque Sobothi Suae Excellentiae, perlectaeque ſunt S. R. M. litterae, die VI et XII Martii datae, quibus praecipue continebatur mandatum ad concludendam pacem, et, quoad titulum ad dies vitae, cum Rege Poloniae tractandum. Deinde ſimul incluſi fuerunt Salui Conductus, et Procuratoria, ſeu Plenipotentiae reformatae, quorum cauſſa ſaepius ante ad S. R. M. ſcriptum fuerat. Suntque Saluus Conductus pro Commiſſariis Polonicis, Gothob. d. IV Martii, 1660. Saluus Conductus Generalis pro Polonicis et Foederatorum Commiſſariis: — Salui Conductus pro Caeſareis Commiſſariis: — Salui Conductus pro Danicis Commiſſariis: — Salui Conductus pro Commiſſariis

* In exemplo huius DIARII, ad me miſſo, tota formula inſerta eſt. Quam quum ipſe olim in Actis Pacificationis Publicis No. LV. p. 140. produxi ex Codice Zaluſciano, eamdem hoc loco repetere ſuperuacaneum exiſtimaui. Ceterum

ſariis Brandeburgicis: — Plenipotentia tractandi cum Polonia, Gothob. d. IV Martii, 1660. Plenipotentia tractandi pacem cum Polonia, eiuſque Foederatis: — Plenipotentia tractandi pacem cum Imperatore: — Plenipotentia tractandi pacem cum Electore Brandeb. — Plenipotentia tractandi pacem cum Dania, Gothob. V Martii 1660. — Deliberatum eſt, mandatumque referre ad S. R. M. quid hactenus, et ex quo nuperae noſtrae litterae expeditae ſunt, actum ſit, quibuſque in terminis res iam verſentur; deinde concluſum, quod adlata diplomata Dno Mediatori extradenda, et e contra, quod Legationi Suecicae adhuc quoad Plenipotentias et Saluos Conductus ab altera Parte reſtat, vt praeſtetur, monendum Dn. Mediatorem eſſe.

Actum Sobothi d. $\frac{2}{12}$ *Aprilis, hor. II pomerid.*

Finita conferentia antemeridiana Dn. Legati Gallici de Terlon Aulicus, *von Lavebach* dictus, ex Selandia Sobothum adpulit cum faſciculo litterarum, a S. R. M. Domino noſtro Clementiſſimo. Quem quum aperuiſſet Illuſtriſſimus Dn. Regni Theſaurarius, dupla erant omnium a Lotſchero adlatorum, et hodie perlectorum. Iam ante congreſſum Oliuenſem conuenerunt Dni Legati noſtri, et monente Regni Theſaurario miſſus eſt a Legatione Dn. Conſiliarius *Weidenhain* Dantiſcum, ad Dn. Extraordinarium Deputatum Honertum, ** vt ipſum ad mediationem inuitaret, eum denique ſuper his, quae hactenus acta ſint in pacis negotio Oliuae, informaret. Iudicauerant enim Suae Excellentiae, ſi, conciliatis Ordinibus Generalibus Vniti Belgii, illa mediatio a Legatione Suecica acceptaretur, multum profuturum eſſe, tum religionis negotio in Liuonia et Pruſſia Poloniaque, tum aliis ad pacis maturationem pertinentibus, et ideo ad S. R. M. Carolum Guſtauum, glorioſiſſimae memoriae, hac de re ſcripſerant. Quum itaque litterae datae VI Martii, heri aduentantes, et hodie perlectae, mandatum admiſſionis Honerti reiteraſſent, non intermittere voluerunt, quin cito ad eumdem mitterent. *Actum*

rum de ea conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 230.

** Iohannes Honertus, (*van der Honert,*) Legatus Ordinum Foederati Belgii. De quo plura dixi Actor. Pac. Oliu. T. I. Obſ. X. p. 298 ſq.

Actum Oliuae d. $\frac{2}{12}$ Aprilis, horis a III pomerid.

Dn. Mediator mentionem iterum facit Secretarii Luciani, quem Legatus Hiſpanicus de Fuentes cum litteris miſit, et ſciſcitatus eſt, quid Suae Excellentiae de ipſius perſona reſoluerint? Dn. Regni Theſaurarius reſpondit, quum Legationi Suecicae adhuc nondum conſtet, quales Dn. de Fuentes ipſe habeat Credentiales ad mediationem, et num ipſi poteſtas ſubſtituendi vel ſubdelegandi ſit, ac praeterea deſit nobis mandatum, ideo ſe et Dnos Collegas ſuos neſcire, an ipſum et quomodo ſint recepturi. Non loquutus eſt, hac de re, Dn. Mediator hac vice amplius, ſed ad praeſentia deuentum: ante tamen quam ad rem procederetur, Dn. Mediator a Suis Excellentiis rogatur, vt tandem aequa ratio habeatur Colonelli Reicharti, qui ob litteras ad S. R. Maieſtatem, Dn. noſtrum Clementiſſimum, concreditas, Regiomonti detentus ſit, neque ad tot licet ſollicitationes adhuc liberetur: idemque imploratur nomine Colonelli *Packmohr,* qui tanto temporis ſpatio nullas fere ob cauſſas captiuus apud Dnos Electorales viuat. Poſtea Dn. Regni Theſaurarius Dn. Mediatori refert, Saluos Conductus et Procuratoria, ſicut ab altera Parte deſideratum eſt, iam in duplo adlata eſſe; peti, vt Dnn. Caeſariani et Electorales ſuos quoque reforment Saluos Conductus et Plenipotentias. Dn. Mediator: Gratum id ſibi accidere; intellexiſſe hoc quoque ex litteris Dni Terlonii ad ſe datis; nunciaturum alteri Parti, vrſurumque, quod iam petitum eſt. Hinc facta eſt reuiſio omnium Articulorum nuper ſubſcriptorum, et hodie ſubſcribendorum, collataque ſunt inuicem per ipſos, Dn. Regni Theſaurarium, Dn. Comitem Oxenſtierna et Dn. Legatum Gyldenklau, vt et per Secretarium Legationis. Mutatis igitur, vt habent concepta hic infra inſerta, ſubſcripti hodie vtrimque ſunt Articuli. 1) Quod religionem Catholicam etc. 2) Legatio Suecica promittit etc. de euacuatione locorum in Boruſſia et Curlandia etc. 3) Nulla ſatisfactio etc. 4) Sereniſſimus Rex et Ordines etc. de ceſſione Liuoniae. 5) De exulibus et expulſis etc. 6) Pars Liuoniae Auſtralis etc. de Liuonia Polonica eiuſque recuperatione, et promiſcua titulorum Ducatus Liuoniae vſurpatione. 7) Quidquid in Polonia etc. de diplo-

Digitized by Google

diplomatum, obligationum etc. extraditione. 8) Reſtituentur etc. de Archiuorum et Actorum Publicorum reſtitutione. 9) Obligationes etc. de extortarum obligationum atque recognitionum Curlandicarum caſſatione. 10) Iudicia omnia etc. de vigore rerum iudicatarum. 11) Quae ſub hoc numero etc. de non praetendendo in Ducatum Curlandiae. 12) De reuerſalibus etc. quod eſt Formulare reuerſalium. Ita cum tribus illis, qui xxx Martii ſubſcribebantur, huc vſque expediti ſunt xv Articuli, Inſtrumento fiendo inſerendi: reſeruata tamen, in quibus opus erit, vel quoad formam extenſione, niſi quod in eo de religione in Liuonia, nihil immutabitur, etiam quoad formam. Eſt autem hodie ſubſcriptorum ſupra memoratorum tenor eiuſmodi: Articulus de religione Catholica in Liuonia: "Quod religionem Catholicam eiuſque exercitium in Liuonia Suecicae poſſeſſionis adtinet, omnes incolae Liuoniae ſubditique, illi religioni addicti, omni ſecuritate gaudeant, ac conſcientia libera, religione deuotioneque ſua domi, ſine inquiſitione vel animaduerſione priuatim vtantur." Articulus de euacuatione locorum in Boruſſia et Curlandia: "Legatio Suecica promittit, ſeſeque obligat, ab ipſa ſubſcriptione moderni Tractatus et tradita in manus Dni Mediatoris ratificatione Sereniſſimi Regis Poloniae, intra octiduum exceſſurum praeſidium Suecicum Mariaeburgo, reliquiſque Pruſſiae locis omnibus, excepta cum ſuis fortalitiis Elbinga, eaque omnia loca in manus Sereniſſimi Regis Poloniae reſtituenda. Bauſcum etiam, vti et reliqua, ſi quae ſint in Suecorum poteſtate, loca in Curlandia praeſidiis Suecicis euacuabuntur intra octiduum, poſtquam notitia ad Generalem exercituum in Liuonia, vel in abſentia eius ad eius Locumtenentem peruenerit, de ſubſcripto Tractatu: quae notitia per tubicines vtriuſque Partis coniunctim Rigam deferetur. Praefata autem Elbinga vbi Tractatus modernus per Deputatos Comitialis auctoritatis in futura conuentione ratificatus fuerit, circa ipſam ratificationum commutationem vna cum ſuis fortalitiis ſine contradictione in inſtanti euacuabitur." Hic Articulus $\frac{31\ Martii}{10\ April.}$ ſubſcriptus, ſed non commutatus fuit, et nihil tamen mutatum, niſi quod in illo exemplari exſtet, *in futuro conuentu*, hic vero *in futura conuentione*. Articulus ſatisfactionis: "Nulla ſatisfactio et recompenſatio damnorum bello illatorum vel alia pecuniaria quocumque nomine praetextuque ab vtrimque prae-

Digitized by Google

ſtabitur." Articulus ceſſionis Liuoniae: "Sereniſſimus Rex et Ordines Regni Poloniae et M. Ducatus Lithuaniae pleno iure et in perpetuum cedunt Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae omnem illam Liuoniam trans Dunam, quam Suecia per tempus induciarum tenuit ac poſſedit, vt et partes Ciſdunanas omnes, quas per idem tempus induciarum Suecia tenuit ac poſſedit, ita tamen, vt non vlterius, quam hactenus, fines ſuae poſſeſſionis in Curlandia aut Semigallia promoueant, aut ſeruitutes a ſubditis Illuſtriſſimi Curlandiae Ducis exigant, aut vllum ius lignandi aliudue quoduis in Curlandia aut Semigallia praetendant. Commiſſarii vero ad declarandos et determinandos ab vtraque Parte fines ab vtrimque deputabuntur. Et commiſſio haec intra quatuor ſeptimanas a ſubſcripto Tractatu inchoetur, et intra duas expediatur." Notetur, quod hic Articulus iam $\frac{21\ \text{Martii}}{10\ \text{April.}}$ fuit ſubſcriptus, hodie vero renouatus, et clauſula, *Commiſſarii vero* etc. addita. Articulus de exulibus et expulſis: "Exulibus et expulſis per haec bella e Liuonia, Sereniſſimus Rex Regnumque Sueciae nullo excepto ad nullam bonorum occupatorum reſtitutionem aut ſatisfactionem tenebuntur." Articulus de Liuonia Polonica, eiuſque recuperatione, et promiſcua titulorum Ducatus Liuoniae vſurpatione: "Pars Liuoniae Auſtralis, quae ante haec et per haec bella et temporibus induciarum ſub ditione fuit Regni Poloniae et M. Ducatus Lithuaniae, nempe Duneburgum, Roſiten, Lutzen, Marienhuſen etc. itemque reliqua omnia loca, quae per Commiſſarios ad id vtrimque deputandos fuiſſe per tempus induciarum Polonicae poſſeſſionis inuenientur, cum omnibus ſuis pertinentiis, territoriis, vrbibus, pagis, fructibus et prouentibus, teloneiſque, iuribus, directoque et vtili dominio remanent in poſſeſſione Sereniſſimorum Regum et Regni Poloniae et M. Ducatus Lithuaniae, nec Sereniſſimi Reges Regnumque Sueciae in iſtam partem Liuoniae, vt ab altera diuerſam, vllum vmquam ius praetendere poterunt. Quum vero Magnus Dux Moſchouiae non modo dictam Liuoniam Polonicam, ſed etiam partem Sueciae occupatas armis nunc teneat, ideo conuentum eſt, vt ſi Suecia aliquid ex Liuonia Polonica, quocumque tempore a Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum id Poloniae et M. Ducatui Lithuaniae vltro et gratuito, non imputatis expenſis belli, reſtituere. Eodem modo et viciſſim,

ciſſim, ſi Polonia aliquid ex Liuonia Suecica, quocumque tempore a Moſchis, armis, tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum id Succiae vltro et gratuito, non imputatis expenſis belli, reſtituere. Titulis et inſignibus Liuoniae tam S. R. M. Poloniae eiuſque ſucceſſores Reges Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, ratione Auſtralis Liuoniae, quam S. R. M. Sueciae eiuſque ſucceſſores Reges Sueciae, ratione Septentrionalis Liuoniae, promiſcue vtentur ſub titulo Ducatus.“ Hic notandum eſt, quod hic Articulus antea quoque, nimirum $\frac{31\ \text{Martii}}{10\ \text{April.}}$ ſubſcriptus, hodie vero renouatus ſit, quia nempe tunc commutatio non fiebat, et Poloni noſtrum ſubſcriptum exemplar retinuerunt: quod etiamſi Secretarius Suecicus crebro repoſceret a Dn. Meditore, recipere tamen non potuit. Hinc factum, vt in quibuſdam diſcrepet. Articulus de diplomatum, obligationum extraditione: “Quidquid in Polonia et Magno Ducatu Lithuaniae prouinciiſue annexis, in iiſque Curlandia, per hoc bellum Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae, eorumque ducibus ac Legatis, vel a priuatis vel a Communitatibus, exercitibus et prouinciis per neceſſitatem belli vel aliter datum eſt, quocumque titulo diplomatum, obligationum et litterarum, Inſtrumentorum et Actorum publicorum: ea omnia autographa, quae ſuperſunt, Sereniſſimo Regi et Reipublicae Polonae, Ducique Curlandiae circa ratificationum commutationem bona fide extradentur. Quod ſi naufragio abſorpta ſint, vel alio modo perierint, omnia eiuſmodi ſcripta Actaque priuata et publica exnunc caſſantur, annihilantur et eliminantur: nihilque exinde Reges Regnumque Sueciae in prouincias, exercitus, diſtrictus vel priuatos in Polonia, M. Ducatu Lithuaniae et prouinciis illis annexis vel ſubiectis, in ſpecie etiam Curlandia et Diſtrictu Piltenſi, iuris praetendere velle aut poſſe omni meliori modo declaratur.“ Articulus de Archiuorum et Actorum publicorum reſtitutione: “Reſtituentur quoque a parte Suecorum omnia Archiua, Acta publica, Caſtrenſia, Iuridica, Eccleſiaſtica, nec non Bibliotheca Regia, quae ex Regno Poloniae et M. Ducatu Lithuaniae auecta, et quorum copia haberi poſſit, idque intra tempus commutationis ratificationum, vel ad ſummum intra tres menſes a facta commutatione.“ Articulus de extortarum obligationum atque recognitionum Curlandicarum caſſatione: “Obligationes atque recognitiones, ſi quae ſunt ab Illuſtriſſi-

mo Curlandiae et Semigalliae Duce, aut incolis Curlandiae et Semigalliae Diſtrictuſque Piltenſis extortae per Suecos, aut vice verſa a Suecis per Polonos, in totum caſſantur, nullumque habere pondus declarantur." Articulus de rebus iudicatis: "Iudicia omnia decretaque ad cuiuſuis inſtantiam lata, nec non contractus et tranſactiones in locis, quae hoc bello Suecia tenuit, inſtitutae iudicialiter ſiue extraiudicialiter, ſi modo ſtatui publico, qui fuit ante hoc bellum, et pacificationi praeſenti non contrariantur, nec in inuitos aut abſentes prolata fuerunt, firma maneant, aeque ac ſi nulla Regiminis aut Magiſtratuum mutatio interueniſſet: ſaluis appellationibus et reuiſionibus, in iis, quae hiſce iuris remediis hactenus haud potita, in rem iudicatam non tranſierunt." Hunc Articulum primum ita ſubſcripſerunt Partes ambae: ſed quum iam commutandus eſſet, Dnn. Poloni et Electorales poposcerunt, vt clauſula de Rigenſibus ſubnecteretur. Mutatus itaque eſt in hunc modum, et denuo ſubſcriptus: "Iudicia omnia decretaque ad cuiuſuis inſtantiam, modo non in inuitos aut abſentes lata, nec non contractus et tranſactiones in locis, dum illa hoc bello Suecia tenuit, inſtituta iudicialiter ſiue extraiudicialiter, ſi modo ſtatui publico, qui ante hoc bellum fuit, et pacificationi praeſenti non contrariantur, firma maneant, aeque ac ſi nulla Regiminis et Magiſtratuum mutatio interueniſſet: ſaluis appellationibus et reuiſionibus in iis, in quibus haec iuris remedia hactenus haud fuerunt adhibita, et quae in rem iudicatam non tranſierunt. Sententiae quoque et decreta, ſi quae Rigae in incolas et ſubiectos Magni Ducatus Lithuaniae, tum et Curlandiae Semigalliaeque, in inuitos vel inauditos, et ex aduerſo, ſi ſimilia per Magiſtratus Magni Ducatus Lithuaniae et Curlandiae in Liuoniae Suecicae ſubditos circa tempus belli lata fuerint, nullum valorem et robur obtinebunt in perpetuum." Articulus de non praetendendo in Curlandiam. Quae ſub hoc numero propoſita ſunt de non praetendendo in Curlandiam Semigalliamque et Diſtrictum Piltenſem, de iis non opus eſt particulari Articulo, ſiquidem Articulo ſub N. 9. de Auſtrali Liuonia poterunt adiungi haec verba: *In Ducatus Curlandiae Semigalliaeque et Diſtrictum Piltenſem.* Quo tamen conſtet, hac de re conuentum eſſe, huic ſchedulae ſubnecti placuit, ſicuti fuit propoſitum, quod ſequitur: "Sereniſſimus Rex Regnumque Succiae nullum vmquam ius

ius aut praetenſionem in Ducatus Curlandiae Semigalliaeque et Diſtrictum Piltenſem, vel reſpectu Liuoniae vel quouis alio habebunt, aut praetendere poterunt." Formula Reuerſalium Ducis illius ſubſcripta eſt, vt habet Conceptum heſterni Protocolli. Tandem Articulus de debitis, cui etiam extortas obligationes atque recognitiones in genere annexerunt, iterum correctus eſt, produxitque Conceptum alterius Partis Dn. Mediator tale: "Debita inter vtriuſque Partis ſubditos et incolas, tum etiam a ducibus et Officiariis belli in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniae, vtraque Liuonia et Curlandia contracta, vtrimque bona fide ſoluentur. Si quae etiam in hoc bello vltimo obligationes et recognitiones extortae ab vtrimque ſint, in totum caſſantur, nullumque habere pondus declarantur." Noſtra Legatio vero ita mutauit: "Debita inter vtriuſque Partis ſubditos incolas, tum etiam a ducibus et Officiariis belli contracta, vtrimque bona fide ſoluentur, et quae bona mobilia depoſita et concredita, nec adhuc Fiſco adiudicata, aut aliis per donationes collata ſunt, propriis dominis bona fide reſtituantur. Nemo autem tenebitur ad eorum refuſionem, quae ex mandato ſuperiorum extradita ſunt, praeſtandam. Si quae etiam in hoc bello vltimo obligationes et recognitiones extortae ab vtrimque ſint, in totum caſſantur, nullumque habere pondus declarantur." Sed quum tempus ſubnocturnum poſceret ad ſtationes reditum, diſceſſum eſt.

Actum Sobothi, d. $\frac{1}{11}$ Aprilis.

Redux Dn. a Weidenhain Dantiſco retulit, Dn. Honertum iam mediationem in dubium vocaſſe, quum ex aliis audiuiſſet, tractatus iam eo progreſſos, vt primis quoque diebus ad concluſionem accedi poſſe ſperaretur. Interea tamen ex Actis informationem quamdam petiiſſe, quae iuſſu Excellentiarum Suarum ipſi promiſerit. Mandatum eſt ergo ab Illuſtriſſimo Dno Regni Theſaurario Legationis Secretario, vt fieri faceret Copiam propoſitionum noſtrarum, et Partis alterius, vt et hinc inde reſponſorum. Quod is fecit, et apographa Illuſtriſſimo tradidit, qui per Rothium Dno Honerto illa tranſmiſit.

Actum

Digitized by Google

Actum Oliuae d. $\frac{2}{12}$ April. horis ab VIII matut.

Reaſſumti ſunt Articuli conueniendi, et primum tres ſequentes: de debitis, de depoſitis, de tormentis. Atque ſuper Articulis de debitis et depoſitis, vtpote antea ſatis ſuperque diſceptatis, hodie cito conuentum eſt, et ſubſcripti commutatique ſunt ambo.* Nam quum hac vice Dn. Mediator tale Conceptum proponeret ab altera Parte, complacuit et ſubſcriptus eſt Articulus de debitis: "Debita inter vtriuſque Partis ſubditos et incolas, tum etiam a ducibus et Officiariis belli vbicumque contracta, vtrimque bona fide ſoluentur. Si quae vero hoc bello vltimo obligationes et recognitiones extortae ab vtrimque ſint, in totum caſſantur, nullumque pondus habere declarantur." Depoſitorum ita concipitur a Legatione noſtra Articulus: "Depoſita, aliaque bona mobilia, vbicumque reperiuntur, et quae Fiſco nondum adiudicata vel aliis collata ſunt, bona fide propriis dominis reſtituantur. Nemo autem tenebitur ad eorum refuſionem, quae ex mandato ſuperiorum extradita ſunt, praeſtandam." Taliter proponitur ab alteris: "Depoſita, aliaque bona mobilia, vbicumque reperiuntur, Fiſco nondum adiudicata, bona fide propriis dominis reſtituantur, iuxta capitulationes peculiares cum ciuitatibus initas." Ita ſubſcribitur: "Depoſita, aliaque bona mobilia, vbicumque reperiuntur, et Fiſco nondum adiudicata, bona fide propriis dominis reſtituantur. Nemo autem tenebitur ad eorum refuſionem, quae Fiſco adiudicata et extradita ſunt, praeſtandam." De tormentis autem diu certatum, poſcentibus Polonis non tantum omnia tormenta, quae adhuc in Pruſſia exſtant, verum etiam refuſionem eorum, quae auecta, vel etiam per liquefactionem in alias formas et figuras redacta ſunt.** Negatum eſt prima vice totaliter: et abiit Dn. Mediator ad alterius Partis Dnos Legatos. Vbi rediiſſet, inſiſtit priori poſtulato. Reſponſum eſt per puram iterum denegationem. Ille, quum hoc modo nihil obtinere poſſet, mitius loqui coepit, et plurima tormenta in Sueciam deuecta dixit: igitur paullum compenſationis a nobis praeſtandum, idque amicitiae

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 130.

** Conf. quae diximus ad PASTORII Diarium loc. comm. n. **

citiae cauſſa: ſi velint dimidietatem noſtrorum, quae iam ſunt in Pruſſia, ipſis Polonis relinquere Dnn. Plenipotentiarii noſtri, aequum videri. Reſponſum per Dn. Regni Theſaurarium, non habere locum iſtud poſtulatum; inſigniis Regni inſignita hic relinqui non poſſe; abductum hoc bello nihil eſſe tormentorum Polonicorum; Moſcouitica, Varſauiae occupata, Elbingae ſeruari, pace concluſa, reſtituenda. Amicitiae, vbi ſemel inita pax fuerit, plus, quam ipſa minutula tribui poſſe.

Inſiſtit petito Dn. Mediator. Noſtri Dnn. Plenipotentiarii: Abſonum facultati et poſſibilitati hoc reſponſum declaratum eſſe. Tandem ne quid deſit reſtabiliendae amicitiae, promittitur non ex debito, ſed ciuilitate, S. R. M. Sueciae pace concluſa et exſequuta duodecim tormenta, quodlibet 24 librarum pondo explodentia, vulgo *Halbe Carthaunen*, Sereniſſimo Regi Poloniae donaturam, ſi per interpoſitionem S. R. M. Poloniae mutuum a Dantiſcana vrbe praeſtetur, bona fide a Rege Regnoque Sueciae reſtituendum. Tormentorum noſtrorum liberam auectionem in propoſitione noſtra eſſe contentam; cui inſiſtitur, et reciprocum eſt cum reſtitutione Polonicorum, quae ſuperſunt in Pruſſia. Abiit Dn. Mediator: ante vero quoad Articulum de ſubditis fugitiuis proponit, quod Poloni noſtrum Proiectum in propoſitione factum adprobent; tantum de dictis ſubditis petunt addi noſtro Articulo: *cum ſuis mobilibus.* Reſponſum, non eſſe practicabile: tandem declaratum eſt, adponi poſſe: *quae reparari poterunt.* Poſt reditum Dn. Mediator: Accordari hunc de tormentis Articulum, vt Suecica abducantur, et Polonica, quae adhuc in Pruſſia et Curlandia exſtent, reſtituantur; ciuilitatem oblatorum duodecim tormentorum Dnis Polonis gratam. Quoad mutuum, non eſſe Dantiſci, qui cupri mercaturam exerceant. Dn. Regni Theſaurarius: Modo fidem et auctoritatem Rex Poloniae interponat, nos inuenturos mercatores eſſe. De ſubditis fugitiuis etiam conuentum, vt modo ſupra a nobis declaratum fuit. Acceſſerunt ad Articulum de teloneis et commerciis: et acres ac longae diſceptationes de iſta materia habitae ſunt, poſtulantibus Polonis, quae plane et obſeruantiae hactenus introductae, et iuri communi, et ciuitatis Rigenſium priuilegiis contraria erant. Interea concipiebatur a nobis Articulus, ex propoſitione noſtra Polonis

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

data, de ſubditis fugitiuis: "Subditi fugitiui Liuoniae Suecicae, quicumque in Polonica Liuonia, Magno Ducatu Lithuaniae, ac Ducatu Curlandiae ac Semigalliae reperti fuerint, ſuis dominis vna cum ſuis mobilibus ac ſe mouentibus reddentur. Quod etiam vice verſa obſeruabitur, ſi qui ſubditi fugitiui Liuoniae Polonicae, Magni Ducatus, Curlandiae Semigalliaeque in Liuonia Suecica reperti fuerint." Quod Conceptum Dn. Mediator adprobauit, niſi quod pro verbis, *ac ſe mouentibus*, ſua manu, *quae inueniri poterunt*, *ſine vllo proceſſu*, poneret: ſeſeque ad Dnos Polonos recepit. Vnde quum rediiſſet, Conceptum Articuli de tormentis adtulit tale: "Tormenta bellica maiora minoraque, tum et aliae bombardae cuiuſcumque generis, et quiuis adparatus armamentariorum in Polonia, Magnoque Ducatu Lithuaniae et Curlandia repertus, et a Suecis captus, ſiue ſint illa Reipubl. ſiue priuatorum, ſiue ciuitatum, reſtituantur exacte, vna cum locis reſtituendis. Similiter, ſi quae huiuſmodi tormentorum in aliam formam ex aere Polonico transfuſa ſunt, ſigniſque Suecicis inſignita, bona fide reſtituentur. Quae vero ex Regno euecta ſunt, fiat pro illis debita ſatisfactio." Suae Excellentiae primum monent, vt ponatur in principio: *Tormenta reperta et capta*, vel, *tormenta bellica*, item, *armamentaria:* et ſub finem addatur: *Bombardae cuiuſcumque generis.* Iterum ad alteram Legationem ſe confert. Quum, ipſo reduce, Articulus de ſubditis fugitiuis ſubſcribi credebatur, contra Protocolli hic ſupra tenorem, Dn. Mediator talem adtulit proiectam ſchedulam: "Subditi fugitiui Magni Ducatus Lithuaniae, Samogitiae et Curlandiae, tempore incepti belli Suecici, quicumque in Liuoniam Suecicam fugerunt, vel in praedictam Liuoniam abducti ſunt, cum omnibus ſuis mobilibus, quae inueniri poterunt, ſine vllo proceſſu iudiciario dominis ſuis reddentur, ſi ea profugus ſecum tulit, nec ſub nouo domino adquiſiuit. Quod etiam vice verſa obſeruabitur, ſi qui ſubditi fugitiui Liuoniae Suecicae in Magno Ducatu Lithuaniae, Liuonia Polonica et Curlandia reperti fuerint." Proteſtantur Suae Excellentiae, Dn. Mediatorem nihil deſideraſſe nomine Polonorum, quoad ſubditos fugitiuos, praeter pauca, quae in Protocollo notata ſint, et ea, quae ipſe in Concepto noſtro ſua manu mutauerit: iam tempus iterum protrahi retractando, quae iam contracta ſint; rogantes, vt, quae ſemel placuerint, amplius ne diſpli-

diſpliceant, et ſicut ante petitum eſt, mox ſubſcribantur, quibus de fuerit conuentum. Ille, dum aliquis Articulus pertractetur, commode alium ſimul tractari poſſe; alias tempore nimio inſumendo ſingulariter ſingulis. Non negabatur, ſimul tractari poſſe diuerſas; tantum inſiſtebatur petito, quo non diſpliceant ſemel complacita, ne tempus poſt tempus perdatur. Reuiſum eſt iſtud Proiectum, et ad hunc modum a nobis mutatum; "Subditi fugitiui Liuoniae Suecicae quicumque in Polonica Liuonia, Magno Ducatu Lithuaniae ac Ducatu Curlandiae ac Semigalliae reperti fuerint, ſuis dominis vna cum ſuis mobilibus, quae inueniri poterunt, ſine vllo proceſſu reddentur, ſi ea profugus ſecum tulit, nec ſub nouo domino adquiſiuit. Quod etiam vice verſa obſeruabitur, ſi qui ſubditi fugitiui Liuoniae Polonicae, M. Ducatus Lithuaniae, Curlandiae, Semigalliaeque in Liuonia Suecica reperti fuerint." Miſſa hac quaeſtione, producit Dn. Mediator aliud Dnn. Polonorum Articuli de tormentis Conceptum. "Tormenta bellica maiora minoraque in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniae, Curlandiae, ceteriſque annexis prouinciis reperta et capta, ſiue ſint Reipublicae, ſiue priuatorum, ſiue ciuitatum, exacte relinquentur. Ea vero, quae ex Suecia inuecta ſunt in Poloniam, et reperiuntur Elbingae et Mariaeburgi, etiam liberum erit Sueciae auferre." Quum id ſatis mancum et obſcurum eſſet, Suae Legationis noſtrae Excellentiae ita mutando ſupplent: "Tormenta bellica maiora minoraque in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniae, Curlandiae ceteriſque annexis prouinciis capta, ſiue ſint Reipublicae, ſiue priuatorum, ſiue ciuitatum, quae adhuc Elbingae, Mariaeburgi, Stumae et Bauſci reperiuntur, nec abducta ſunt, relinquentur. Ea vero, quae ex Suecia inuecta ſunt in Poloniam, Lithuaniam, Curlandiam et Pruſſiam, liberum erit Sueciae ſine vlla praetenſione ſecum auferre. Nec minus tranſactioni deditionis Thorunii, quod adhuc reſtat, hac in re ſatisfiet." Abiit acceptis hiſce: et, reduce ipſo, Articulus tormentorum complanatus et ſubſcriptus commutatuſque eſt, vt ſequitur: "Tormenta bellica maiora minoraque in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniae, Pruſſia, Curlandia, ceteriſque annexis prouinciis a Suecis capta, ſiue ſint Reipublicae, ſiue priuatorum, ſiue ciuitatum, quaecumque in locis euacuandis reperientur, exacte relinquentur. Quae vero ex Suecia euecta ſunt in Poloniam, Li-

 thua-

thuaniam, Pruſſiam, Curlandiam, liberum erit Sueciae, ſine vlla praetenſione ſecum auferre. Tranſactioni quoque deditionis Thorunii, quod adhuc reſtat, hac in re ſatisfiet.“ Quo facto ad ſubditos fugitiuos redierunt, et noſtri denuo mutant illum Articulum hoc modo: “Subditi hoc vltimo bello fugitiui Liuoniae Suecicae, quicumque in Polonica Liuonia, Magno Ducatu Lithuaniae ac Ducatu Curlandiae ac Semigalliae reperti fuerint, ſuis dominis ſine vllo proceſſu iuris reddentur, vna cum ſuis mobilibus, quae inueniri poterunt, quae profugus ſecum tulit, nec ſub nouo domino adquiſiuit. Quod etiam vice verſa obſeruabitur, ſi qui ſubditi fugitiui Liuoniae Polonicae, Magni Ducatus Lithuaniae, Curlandiae Semigalliaeque, in Liuonia Suecica reperti fuerint. Si qui etiam abducti ſunt, et adhuc ſuperſunt, reddantur et illi ſine proceſſu iudiciario ſuis quique dominis.“ Tandem et hic de ſubditis fugitiuis conuentus eſt et ſubſcriptus Articulus: “Subditi hoc vltimo bello fugitiui Magni Ducatus Lithuaniae, Samogitiae, Liuoniae Polonicae, et Curlandiae Semigalliaeque, quicumque in Liuonia Suecica reperti fuerint, ſuis dominis ſine vllo proceſſu iuris reddentur, vna cum ſuis mobilibus, quae inueniri poterunt, quae profugus ſecum tulit, nec ſub nouo domino adquiſiuit. Quod etiam vice verſa obſeruabitur, ſi qui ſubditi fugitiui Liuoniae Suecicae in Magno Ducatu Lithuaniae, Liuonia Polonica et Curlandia Semigalliaque reperti fuerint. Si qui etiam abducti ſunt, et adhuc ſuperſunt, reddantur et illi ſine proceſſu iudiciario, ſuis quique dominis.“ Iam ad commercia proceditur, ac talis Articulus a nobis proiicitur, Dominoque Mediatori traditur: “Libera et non impedita ſint commercia inter vtrumque Regnum Sueciae et Poloniae, Magnumque Ducatum Lithuaniae, ſubiectaſque illis prouincias, ſubditos et incolas. Cumprimis liberum commerciorum exercitium ſit ſubditis et incolis Regni Poloniae Magnique Ducatus et Polonicae Liuoniae Curlandiaeque cum ciuitate Rigenſi et ſubditis incoliſque Liuoniae Suecicae; et vice verſa horum commercia cum ſubditis incoliſque Poloniae, Lithuaniae, Liuoniae Polonicae et Curlandiae. Vectigalium autem ratio in poſterum inibi ſit eadem, quae fuit tempore induciarum ſexennalium. Et in Liuonia Polonica, merces nouis teloneis ſiue terra ſiue mari et in fluminibus non grauentur. Vectigalia autem et telonea Rigae ſecundum modera-

deratam taxam ſumentur, ne commercia in eo loco intercidant. Neque, eo in loco ne intercidant, in Liuonia Polonica merces nouis teloneis ſiue terra ſiue in fluminibus grauentur." Ad Dnn. Polonos ſe receperat Dn. Mediator, et rediens adfert Gedanenſium poſtulata de commerciis eorum; de non onerando Ciuitatem per hanc Pacificationem, aut praeiudicando iuribus terrarum Pruſſiae; de non abducendo milite noſtro per territorium Gedanenſe, aut portum Viſtulomundae; de reſtituendis tormentis ad Dirſchauiam ipſis ablatis; de indemnitate a Dn. Comite Koenigſmark. Quae ad videndum Legatio noſtra accepit, ſonantque ita: 1) Rogatur nomine Ciuitatis Gedanenſis, vt ad Articulum de commerciis adponatur ſequens clauſula, ratione iurium praedictae Ciuitatis: "Commercia priſtina etc. non onerentur grauioribus vectigalibus, quam onerantur ipſi earum regionum, vbi illa ſoluuntur, ſubiecti, vel etiam amici ac Foederati, qui minimis oneribus illic adſtringuntur, iurium et immunitatum circa nauigationes et commercia Ciuitati Gedanenſi in Regno Succiae tam per pacta antiqua inter idem Regnum et Ciuitates Hanſeaticas inita, quam per peculiaria priuilegia et indulta antiquitus a Sereniſſimis Sueciae Regibus conceſſa competentium, in alia meliora tempora obſeruatione reſeruata. Maioris Poloniae incolae" etc. etc. 2) Rogatur, ne occaſione huius Pacificationis et eiuſdem exſequutionis imponatur onus Ciuitati Gedanenſi, aut praeiudicium fiat iuribus terrarum Pruſſiae, aut commercia vlla ratione adgrauentur. Abductio copiarum Suecicarum ne fiat per Ciuitatis territorium, neque per portum Veiſſelmundanum. Tormenta quoque Ciuitati penes Dirſchauiam ablata reſtituantur. Itemque circa liberationem Excellentiſſimi Comitis Koenigſmarkii vt indemnitati Ciuitatis, quae illum detinuit, adcuratius caueatur: prout Memoriale* antehac oblatum fuſius deduxit.

Dn. Mediator iterum ad alteros Dnos Legatos Plenipotentiarios abiit: et interea haec perlegunt Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Dni Legati noſtri: quumque deprehenderetur pertinere plurimum ad Articulos, qui adhuc pertractandi ſunt, ea ad progreſſum tractatuum differre

* Quod e Codice Zaluſciano, a nobis deſcriptum atque editum eſt ſupra, in Actis Publicis Pacificationis, No. XLIX. pag. 109 ſq.

Digitized by Google

ferre exiſtimarunt; quoad ea vero, quae iam ſub manibus ſunt, reſolui poſſe. Reduci Dn. Mediatori iſta reſpondentur, et quidem quod commercia concernit, ſub complanationem illius Articuli Excellentias Suas ſeſe declaraturas. Quod cautionem de Dn. Comite Koenigſmarkio concernat, iam pridem Reuerſales eius proiectas; placere Dn. Mediatori ad ſubſcriptionem eas promouere. Interea quoque conceptus erat a noſtris Dnis Plenipotentiariis Art. de captiuis, hoc modo, qui etiam Dn. Mediatori ad Dnos Polonos, cum illo, ſe recipienti traditur: "Quicumque per tempus belli, a quacumque parte, in quocumque loco capti ſunt, cuiuſcumque conditionis ac ſtatus, liberi et ſine vllo ſoluto pretio dimittantur, priſtinaeque libertati reſtituantur; et quidem ii, qui in Pruſſia detinentur, intra tres, qui in Polonia ac Liuonia, intra ſex ſeptimanas, qui in Ruſſia vel Lithuania, intra tres menſes, computando a praeſenti die, dimittantur. Idemque ſeruabitur a parte Sueciae. Atque hiſce quoque adnumerandi, itidemque ab vtraque Parte reſtituendi ſunt, qui inuiti militiae alterius Partis nomina dederunt." Poſt reditum Dn. Mediator adfert ſchedulam hanc proiectam de nauigatione Mitauiam: "Nauigatio Mitauiam vſque tantum, prout tempore induciarum fuit, libera permittatur, ſoluto ordinario teloneo." Quae ad videndum accipitur. Deinde ſecum habet Reuerſales Dn. Comitis a Koenigſmark, quae ſubſcribuntur, et ſunt praeſentis tenoris:* "S. R. M. Regnique Sueciae Senator, Campi Mareſchallus et Gubernator Ducatuum Bremenſis ac Verdenſis, Ioannes Chriſtophorus Koenigſmark, Comes in Weſtervik et Stegholm, Dominus in Rotenburg et Neuhaus. Notum teſtatumque facio etc. etc. Delapſis hoc omne agendo aliquot horis, nocte imminente diſceditur, cras continuando tractatum.

Actum Oliuae d. $\frac{4}{14}$ April. horis ab VIII antemerid.

Abſente Dn. Comite Oxenſtierna. Antequam ad alia perrexerunt, extradita ſunt Dno Mediatori diplomata renouata, cum inſertis deſideratis, videlicet: 1) Saluus Conductus pro Polonis et Confoederatis

* Exemplum formulae iam exhibui, loc. comm. No. LVI. p. 141.

Digitized by Google

ratis coniunctim. 2) Saluus Conductus pro Polonicis Commiſſariis. 3) Saluus Conductus pro Caeſareis Legatis. 4) Saluus Conductus pro Electoralibus Legatis. 5) Plenipotentia ſeu Procuratorium pro Polonicis Commiſſariis et Confoederatis tractandi coniunctim. Seorſiuas Plenipotentias exiſtimauit Dn. Mediator extradi nondum eſſe neceſſe: ergo retinuimus, donec poſtulabuntur. Vice verſa poſtulatum eſt, vt Dni Caeſariani et Electorales etiam dent promiſſos reformatos Saluos Conductus pro noſtris Dnis Legatis. Reaſſumti deinde ſunt Articuli conueniendi. Et initio quidem, quoad Articulum de S. Brigittae iure Patronatus, quem ſuperioribus in congreſſibus Dn. Mediator propoſuerat, qui vero a Legatione noſtra numquam adtendi voluit, declaratum eſt, Regem Regnumque Sueciae non velle contrariari Regi Poloniae, neque adſiſtere Reginae Chriſtinae, ſi aliquid illa praetendat. Punctum de commerciis multum dedit difficultatis, et diſceptatum eſt diu, productis, quoad commercia, denuo Gedanenſium poſtulatis,° iam ita formatis: Clauſula ratione conſeruatorum iurium et immunitatum ciuitatis Gedanenſis non noua eſt, ſed conformata ad normam pactorum, inter Regna Septentrionalia A. 1645 Bremsbroae concluſorum, quorum verba ſonant, vt ſequitur: Artic. 41. Hiſce quoque pactis conuentum eſt, omnes Hanſeatico foedere comprehenſas ciuitates includi, vt gaudeant et fruantur liberis et non impeditis commerciis terra marique in vtroque Regno, reſeruata antiquorum inter Regna et Ciuitates Hanſeaticas pactorum in alia meliora tempora obſeruatione. Artic. 42. In ſpecie vero hiſce includatur Ciuitas Gedanenſis, et fruatur pari modo, vt antehac, commerciorum libertate in vtroque Regno terra marique: et ſi quid in hoc bello euenit, quod vnam alteramue Partem offenderit, ſublatum id ipſum ſit, et perpetua obliuione ſepultum.— Ad quae hoc modo noſtri declarant: "In ſpecie hiſce pactis includantur tum Ciuitas Gedanenſis, tum Ciuitates Pruſſiae aliae, et fruantur vt ante hoc bellum, ita in poſterum commerciorum libertate in vtroque Regno terra marique. Et ſi quid in hoc bello euenit, quod vnam alteramue Partem offenderit, ſublatum id ipſum ſit et perpetua obliuione ſepultum." De reſeruata obſeruatione determinabitur, poſtquam

° Conf. PASTORII Diarium pag. 233. et n. *****

quam pacta Dano-Suecica inſpecta fuerint. Quoad ipſum hunc Articulum autem duo fiunt Concepta, taliter mutata: "Libera et non impedita ſint commercia inter vtrumque Regnum Sueciae et Poloniae, Magnumque Ducatum Lithuaniae ſubiectaſque illis prouincias, ſubditos et incolas. Cumprimis liberum commerciorum exercitium ſit ſubditis et incolis Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae, et Polonicae Liuoniae Curlandiaeque cum ciuitate Rigenſi et ſubditis incolisque Liuoniae Suecicae; et vice verſa vſus commerciorum ſubditorum et incolarum Regni Sueciae et annexarum prouinciarum ſit liber cum ſubditis incoliſque Poloniae, Lithuaniae, Liuoniae Polonicae et Curlandiae. Vectigalia autem et telonea Rigae ſecundum moderatam taxam ſumentur, ne commercia in eo loco intercidant." Et hoc quidem Conceptum ante adlata Gedanenſium monita, quum Dnis Polonis heſternum noſtrum per omnia non placeret, Dno Mediatori hodie traditum erat: poſtea vero concipitur et extraditur taliter: "Commercia priſtina ſint libera et non impedita inter vtrumque Regnum Sueciae et Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae ſubiectaſque illis prouincias, ſubditos et incolas, tam terra quam mari, et in veteri vſu et exercitio, quo fuerunt tempore induciarum, conſeruentur. Inprimis ſit liberum commerciorum exercitium liberaque defluitatio mercium per fluuium Dunam et Bulderaa ſubditis et incolis Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae et Polonicae Liuoniae, Curlandiaeque ac Semigalliae cum ſubditis incoliſue Liuoniae Suecicae. Et vice verſa ſubditis incoliſque Regni Sueciae annexarumque prouinciarum ſit liber commerciorum vſus per idem flumen cum ſubditis incoliſque Poloniae, Lithuaniae, Liuoniae Polonicae et Curlandiae Semigalliaeque. Teloneorum vero et vectigalium in flumine Duna et Bulderaa, vt et maritimorum et terreſtrium in Liuonia, eadem ratio et in iiſdem tantum locis ab vtraque parte inpoſterum ſit, vbi et vti tempore induciarum fuit. Maioris quoque Poloniae incolae, cuiuſcumque conditionis ſint, ſiue terra ſiue aqua commercia ſua exercentes nullis nouis teloneis et gabellis Stetini onerabuntur. Idem quoque fiet a Sereniſſimo Electore Brandeburgico in ciuitatibus ac locis ad Oderam et Vartam ſitis. Ciuitas Gedanenſis in Regno Sueciae et ſubiectis prouinciis aliis, gaudeat ea libertate commerciorum et vectigalium, qua gauiſa eſt ante nouiſ-

Digitized by Google

nouiſſimum hoc bellum, et qua gaudent aliae ciuitates Hanſeaticae." Quumque ſuper eo Articulo conueniri non poſſet, interea pertractata ſunt alia,* videlicet de ſignis nauticis; de nauigatione Mitauiam; de emigratione ex ciuitatibus Pruſſiae; de conuentione An. 1640. inter Ducem Curlandiae et ciuitatem Rigenſem; item de captiuis in Tataria; de limitibus et controuerſiis; de captiuis; de moneta; de corporibus demortuorum; de titulis prouincialibus; de Paſquillis. Et quidem ſigna nautica vt tollantur, a parte Polonorum per Dn. Mediatorem proponitur: Tollenda ſigna nautica, ſeu phari, in Domeſnes et Luſerort a Suecis exſtructi in littore Piltenſi; erigi tamen a fundi dominis poterunt, vbi cum his de eo conuenietur. Dn. Regni Theſaurarius: Sublationem pharorum, vel eorum denegationem, eſſe cauſſam iniuſtiſſimam, non Chriſtianam. Dn. Mediator: Illos praetendere, quod Sueci non habuerint ius exſtruendi. Remonſtratum eſt ipſi, cum conſenſu dominorum fundi fieri. Igitur ille promiſit diligentiam, abiitque accepta ſchedula; ſicuti primum Dn. Comes a Schlippenbach conceperat: "Phari, vel ſigna nautica in Domeſnes et Luſerort exſtructa manebunt, prout cum fundi dominis de iis conuenietur." Monuit tamen prius, vt praemitterentur verba: *In fauorem nauigationis ac commerciorum.* Quod factum eſt, et illa verba Dn. Legatus Gyldenklau adiecit, ita vt formatus ſit hic Articulus a nobis: "In fauorem nauigationis ac commerciorum phari vel ſigna nautica in Domeſnes et Luſerort exſtructa manebunt, prout cum fundi dominis de iis conuenietur." Rediit Dn. Mediator, et ita conceperant Dni Poloni, Suiſque noſtrae Legationis Excellentiis complacuit, et hodie ſubſcriptus eſt de pharis Articulus: "Quo fauorem commerciis et nauigationi S. R. M. Poloniae conteſtetur, ſigna nautica in Domeſnes et Luſerort exſtructa conſiſtere permittit. De ratione vero conſeruationis et manutentionis eorumdem conuenietur a Suecis cum fundi dominis: nullo inde iure aut praetenſione Regni Sueciae in fundos dictos aut territorium Piltenſe enaſcente aut enaſcituro."

Perre-

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 231.

Perrexerunt ad alia, et deleti ſunt Articuli: 1) De iuriſdictione vrbis Rigae, in cauſſis commerciorum ex delictis et contractibus. 2) De conuentione, cum Duce Curlandiae, An. 1640. ſe declarauit Dn. Mediator ad Protocollum, (rogandus, etiam Atteſtatum eius hac de re det,) quod manebunt iſta in ſtatu ſuo, quo ab antiquo et ante hoc vltimum bellum fuerunt. Erat autem Articulus de dicta conuentione proiectus, vt ſequitur: "Salua item et in vigore conſeruetur conuentio illa, quae ab An. 1640. inter Ducem Curlandiae et ciuitatem Rigenſem inita eſt, ſuper mercede redemtionis, pro illis bonis mercibuſque naufragis, quae ex Alba Ruſſia et vicinis locis in flumine Duna deuehuntur, et ad ripam eius citeriorem adlidunt; et obſeruabitur dehinc quoque deſignatio taxae, ſiue pretii, ſuper quantitate iſtius mercedis a Rigenſibus An. 1639. facta." Polonorum Proiectum heſternum Articuli, de nauigatione Mitauiam, a nobis hoc modo mutatur: "Nauigatio ex mari Mitauiam vſque nulla erit, ſed ea tantum commercia, quae cum ciuitate Rigenſi tempore induciarum habuerunt, libera permittantur, ſoluto ordinario teloneo." Sed eſt hic Articulus, quum iam ad ſubſcribendum eſſet ingroſſatus, hodie etiam deletus: et declarauit ſimiliter Dn. Mediator, quod manebit in ſtatu immutato, ſicut hactenus obſeruatum eſt, atque vſu obtentum: idque vt atteſtetur, ille rogatur: quod promiſit. Deinde complanatus eſt Articulus de titulis prouincialibus, quem ita produxit Dn. Mediator de Lumbres: "Tituli prouinciales tam ſpirituales quam ſeculares Senatorii et Equeſtris ordinis in Liuonia Suecica penes poſſeſſores modernos manebunt, durante ipſorum vita, ſine vllis prouentibus aliiſue praetenſionibus. Nec vllum exinde praeiudicium reſignationi per S. R. M. Poloniae in Liuoniam Suecicae poſſeſſionis factae, neque ſtatui eiuſdem Regni et Magno Ducatui Lithuaniae praetenſio quaepiam enaſcetur." Sed mutata a nobis eſt clauſula: *nec vllum exinde* etc. et ita ſubſcriptus, vt cernitur: "Tituli prouinciales tam ſpirituales quam ſeculares Senatorii et Equeſtris Ordinis in Liuonia Suecica penes poſſeſſores modernos manebunt, durante ipſorum vita, ſine vllis prouentibus aliiſue praetenſionibus. Nec vllum exinde praeiudicium iuri S. R. M. Regnique Sueciae in Liuoniam Suecicam, neque praetenſio quaepiam Regno Polo-

niae

Digitized by Google

niae Magnoque Ducatui Lithuaniae interea temporis et in futurum inde enaſcetur.“ Item ſubſcriptus eſt Articulus de demortuorum corporibus: “Demortuorum belli ducum atque officialium aliorum corpora, ſiue in Polonia ſiue in Pruſſia adhuc inhumata, et nonnullis in locis adſeruata ſunt, tradentur, et non denegabuntur iis, quibus cura mandabitur ea inde deducendi. Quorum autem cadauera tum in priori, tum hoc vltimo bello humata ſunt in Elbingenſi, Mariaeburgenſi et aliis in Pruſſia et Polonia templis, intacta iaceant, ac ſepulcra eorum ab omni violatione et inquietudine ſint immunia.“ De limitibus et controuerſiis tale eſt Polonorum Proiectum: “Si quae poſthac graues controuerſiae inter Regna Sueciae et Poloniae, iiſque ſubiectas prouincias, incidere et ſuboriri contigerit, eae per deputatos vtrimque Commiſſarios, ad fines Liuoniae, amicabili ratione complanentur. Si quae vero lites exortae fuerint inter ſubditos et incolas vtriuſque partis, nec tranſigi de iis amicabiliter inter litigantes poſſit, ad competens forum remittantur, et iuſtitia indilate adminiſtretur.“ Hoc Proiectum Illuſtriſſimi Dn. Regni Theſaurarii manu ita mutatur: “Si quae poſthac controuerſiae aut de limitibus aut de rebus aliis inter Regna Sueciae ac Poloniae, iiſque ſubiectas prouincias, incidere et ſuboriri contigerit, eae per deputatos vtrimque Commiſſarios ad fines Liuoniae amicabili ratione complanentur. Si quae vero lites minores exortae fuerint inter ſubditos et incolas vtriuſque partis, nec tranſigi de iis amicabiliter inter litigantes poſſit, quaelibet pars ad ſuum competens forum remittatur, et iuſtitia indilate adminiſtretur.“ Poſtquam ſatis ſuper hiſce Proiectis atque Conceptis diſceptatum fuiſſet, hoc modo a nobis, idque per Dn. Legatum Gyldenklau, adaptatur, complacuitque et ſubſcriptum eſt: “Si quas poſthac controuerſias de limitibus aut de rebus aliis, inter Regnum Sueciae eique ſubiectas prouincias, inprimiſque Liuoniam Suecicam ab vna, et Regnum Poloniae, M. Ducatum Lithuaniae, Liuoniam Polonicam, Curlandiamque et Semigalliam ab altera Parte, incidere et ſuboriri contigerit, eae per deputatos vtrimque Commiſſarios ad fines Liuoniae amicabili ratione complanentur. Si quae vero lites minores exortae fuerint inter ſubditos et incolas vtriuſque partis, nec tranſigi de iis amicabiliter inter litigantes poſſit, quaelibet pars ad ſuum competens forum

rum

Digitized by Google

rum remittatur, et iuſtitia indilate adminiſtretur." De captiuis in Tataria Articulus ita conceptus a nobis, Dno Mediatori traditur: "Praeterea S. R. M. et Regnum Poloniae Magnuſque Ducatus Lithuaniae id dandum cenſuerunt paci huic perpetuae, vt interpoſita ſua auctoritate apud Chamum Hordaſque Tatarorum efficiant, quo et ſine lytro captiui in Tataria Suecici intra ſex abhinc menſes inde dimittantur; dimiſſi vero per Regnum Poloniae Magnumque Ducatum Lithuaniae annexaſque iis prouincias libere ac tuto tranſeant, et benigne habiti ad prouincias ac ditiones iuris Suecici promoueantur." Pauca, et in realibus fere nihil mutat Legatio Polonica: et ſubſcribitur, vt ſequitur: "S. R. M. et Regnum Poloniae, Magnuſque Ducatus Lithuaniae, id paci huic perpetuae dandum cenſuerunt, vt auctoritatem et officia ſua interponant apud Chamum Hordaſque Tatarorum, quo ſine lytro captiui in Tataria Suecici intra ſex abhinc menſes inde dimittantur; dimiſſi vero per Regnum Poloniae Magnumque Ducatum Lithuaniae, annexaſque iis prouincias, libere ac tuto tranſeant, et benigne habiti ad prouincias ditioneſque iuris Suecici promoueantur." Articulus de moneta deletur, declarante Dn. Mediatore, quod illa manebit in ſuo valore et curſu per tacitum conſenſum Regis et Reipublicae Poloniae: per ſollemnem vero Articulum Inſtrumento pacis non inſeratur. Dn. Regni Theſaurarius: Ad duos annos duntaxat accordetur ſollemniter. Negat Dn. Mediator Polonos facturos, et repetit tacitum conſenſum Poloniae, vt modo ſupra. Adquieuimus itaque, et craſtina pergetur in his, quae hodie non poterant expediri, vtpote de Dni Gyldenſtierna poſtulato, (quod inter priuata pertinet, et quaſi obiter propoſitum hac vice;) de captiuis dimittendis: vbi illi lytrum et ſolutionem debitorum praetendunt, nos negamus: de Paſquillis; de emigratione et tranſportatione domiciliorum; de commerciis, eorumque teloneis priſtinis retinendis, et nouis abrogandis, in Viadro et Vartha fluminibus, vt et quantum Ciuitatem Gedanenſem ſpectat. De commerciis et teloneis in Liuonia manebit, vti fuit in ſtatu hactenus obſeruato, et hic ſpecialis Articulus ſilentio praeteribitur, poneturque hoc punctum generaliter in Articulo de commerciis, inter Regna Succiae et Poloniae.

Atque

Digitized by Google

Atque circa tertiam pomeridianam diſceſſum eſt, redituris vtriuſque partis Legatis Plenipotentiariis Oliuam, horis matutinis conſuetis. Fuit autem conceptus ad ingroſſandum, antequam deleretur, Articulus de moneta hoc modo: "Moneta S. R. M. Sueciae nomine et effigie in ciuitatibus Pruſſiae Regiae impreſſa, comparis cum reliqua, quae in his oris viget, probitatis, in pretio ſuo et vſu relinquatur." Porro Articulus de emigratione hodie diuerſimode fuit conceptus: primo principium ita poſitum erat: "Si cui aut quibus non placuerit in ciuitatibus ac territoriis Pruſſicis manere," etc. Deinde ita mutatum a noſtris: "Si cui aut quibus in locis Pruſſiae euacuandis non placuerit manere," etc. Tandem ita placitus fuit et ſubſcriptus: "Si cui aut quibus in locis Pruſſiae euacuandis eorumque territoriis non placuerit manere, ſed mutato domicilio alio ſe conferre, liberum iis ſit in ſpatio trium abhinc annorum ſua diuendere, aliis elocare, aut pro ſuo lubitu diſtrahere, ſine vllo impedimento aut onere ſub quocumque praetextu imponendo, ſaluis antiquis ciuitatum iuribus et priuilegiis." Sed quum fieri commutatio deberet, haeſerunt Poloni, et in craſtinum reaſſumtio dilata eſt. Conceptum Articuli de captiuis in genere hodie ſic mutatum eſt: "Quicumque per tempus belli a quacumque parte, in quocumque loco capti ſunt, cuiuſcumque conditionis ac ſtatus, liberi et ſine vllo ſoluto pretio dimittentur, priſtinaeque libertati reſtituentur: et quidem ii captiui, qui in Polonia et M. Duc. Lithuaniae annexiſque prouinciis detenti ſunt, a Polonis intra tres ſeptimanas a ſubſcripto Tractatu; qui vero extra Poloniam et M. D. Lithuaniae detinentur a Suecis, intra tres menſes a ſubſcripto Tractatu dimittentur. Ceterum iis quoque adnumerandi, et ab vtraque parte reſtituendi ſunt, qui inuiti militiae alterius Partis nomina dederunt." Articulus de Paſquillis conceptus a nobis ita fuerat: "Scripta famoſa et Paſquilli illico abrogabuntur, et in poſterum plane interdicantur; et qui talia vel typographi amplius impreſſerint, vel nouellarum concinnatores ſupplantauerint, infamia notentur, et meritam de iure poenam ſubeant, animaduertente in eos ſeueriſſime et iuſtitiam adminiſtrante cuiuſque loci magiſtratu." Sed quum altera Pars, cumprimis Dni Electorales, nimis durum eſſe cenſerent, (licet monſtrato eiuſdem materiae Ex-

Digitized by Google

tracto, ex Pacificatione inter Sueciam et Daniam, anno ſuperioris ſeculi 70. Stetini facta,) principium moderatum eſt, et taliter iam concipitur: "Scripta famoſa et Paſquilli illico abrogabuntur, et in poſterum plane interdicantur. Et qui talia vel typographi amplius impreſſerint, vel nouellarum concinnatores ſupplantauerint, infamia notentur, et meritam de iure poenam ſubeant, animaduertente in eos ſeueriſſime et iuſtitiam adminiſtrante cuiuſque loci magiſtratu."

Ceterum perlecta ſunt concepta, et ſubſcriptae litterae, nudius tertius ad S. R. M. Dnum noſtrum Clementiſſimum concluſae binae, quae ambae hodie datae ſunt; tertia epiſtola, quae craſtino dabitur, differtur Sobothum, abeuntibus iam alterius Partis Legatis, et abſente Dn. Comite Oxenſtierna, qui haſce deinde ſubſcripſit Sobothi. Continet vero harum epiſtolarum altera notificationem tantum, Legationem accepiſſe literas S. R. M. die VI et XII Martii datas, quarum Originalia cum incluſis nouis Saluis Conductibus et Plenipotentiis, d. $\frac{1}{11}$ Apr. Lotſcherus, et eorum omnium dupla Terlonii Aulicus, d. $\frac{2}{12}$ eiuſdem adtuliſſet; deinde quod Colonellus locumtenens Wrangelius hiſce diebus ſequuturus ſit cum relatione pleniore: vbi interea in anteceſſum nunciatur, quod viginti iam ſint complanati Articuli, et in his etiam renunciationis praetenſi iuris in Sueciam, et ceſſionis Liuoniae poſſeſſae: qui omnes Articuli iam ſint a Secretariis Legationum ſubſcripti et commutati, ſperantibus Legatis primo quoque die cum Polonis exitum, dubiis vero de Caeſare et Electore, exſpectantibuſque, an Poloni in caſum voluntatis Confoederatorum, ſeu, vt illi vocant, Colligatorum, ad pacem minus propenſae, ad ſeparatim concludendum induci poterint. Altera, quae ad S. R. M. Carolum XI. in ordine prima, condolens et luctuoſa, ſimulque gratulatoria et ſubiectionis fideique oblatoria eſt; conteſtantibus Suis Excellentiis, quantum ipſis ex triſti, de morte auguſtae et glorioſae immortaliſque memoriae Patris, Regis ac Dni quondam Clementiſſimi, nuncio, cui tandem, proh dolor! non tantum continuatus rumor et diuerſae diuerſorum hominum litterae, ſed etiam iam S. R. M. ipſius notificatio fidem demum, quam hactenus deuotionis adfectus non admiſerit, feciſſet, vulnus inflictum ſit, et quod

Digitized by Google

quod dolorem illum, vtpote calamum et geſtum et verba excedentem, pio duntaxat ſilentio indicare cogantur. Poſtquam autem Glorioſiſſ. Rex, qui ob tantos, tot ac tam potentes aduerſum hoſtes perpeſſos labores, et res tanti illo annorum ſpatio geſtas ineffabiles, gloria, honore ac laude praecellentiſſimis heroibus, quos orbis aliquando nouit aut viſurus eſt, merito praeferatur, eo vſque felicitatis proceſſerit, vt ſucceſſorem videret, ac ſuper throno ſuo relinqueret: dolores mitigari, et Legatos ſe ad genua nouae Maieſtatis deflectere, eidem ſubiectiſſime de inthroniſatione gratulari, deuote precantes, quo ex Alto Altiſſimus S. R. M. benedicat, Thronum eius confirmet, longaeuum et felicem efficiat, Regnumque et ſubditos atque incolas pace et quiete beet; offerentes denique fidem et obſequium, ſicut Magno olim Patri praeſtare conſueuerint. Abiuimus.

Actum Sobothi, d. $\frac{4}{14}$ Aprilis, hor. IV pomerid.

Oliua poſtquam ad ſtationem noſtram rediſſemus, perlectum eſt in aedibus Illuſtr. Dni Regni Theſaurarii Conceptum epiſtolae tertiae, ad S. R. M. d. $\frac{5}{15}$ dandae: quumque Dno Comiti Oxenſtierna et reliquis Dnis Legatis communicatum fuiſſet, mundatur et ſubſcribitur. Atque in illa, dum in ingreſſu ad praecedentes ſe refert, continetur: Quod, exiſtentibus tot, qui contra pacem laborent, et vnum poſt alterum intricare non deſiſtant, difficultates in pacis negotio plures occurrant, quam quis alias prouidiſſet; quas tamen, auxiliante Deo, ſuperare ſperant Legati. Tractatibus quidem praeterito menſe per adlatum, de morte glorioſiſſimi Regis, nuncium aliquam moram iniectam fuiſſe: Reginae tamen Poloniae cura, ſedulitate ac in pacem zelo d. $\frac{13}{23}$ Martii congreſſibus initium dediſſe, cumque Polonia (non adtento, quod duabus vicibus rupturae ſimile quid contigerit,) eo peruentum eſſe, vt, licet non tam lucroſis cum conditionibus, ſicut alias forte fieri potuiſſet, breui conuentum iri non dubitent. Duo puncta principalia renunciationis ac ceſſionis, ſicut heri notificatum fuerit, complanata; illum de ſatisfactione, Legationem ob metum et periculum, ne rumperentur tractatus, relaxare et relinquere coactam; praeſertim cum Auſtria et Elector, vna cum Rege Daniae et Batauis, omnem moueant

Digitized by Google

ueant lapidem impeditionis; vel ad minimum, donec penitus confundant et diuellant, remorationis:* ad quod etiam ea accedant, quae Moſchus Polonis offerat.** Remonſtrantur ſimiliter anguſtiae, in quas res noſtrae Pruſſicae iam ſint redactae, et quam Regia mors, omniaque alia rerum in praeſens iurato quaſi coniunctarum momenta, ſalutare opus reddiderint difficillimum; item quod ſpes dubia teneat Legatos, an Poloni, ſi Foederati a pace eſſe alieni perſiſtant, ſeparatos ad tractatus ſint proceſſuri. Pergunt deinde referendo, quod vigore Inſtructionis, (quare etiam dupla priorum relationum, vna cum hinc inde factis propoſitionibus et proiectis Inſtrumentis, hiſce includantur litteris,) cum Imperatoris et Dni Electoris Brandenburgici Legatis initium tractandi fecerint, ſperentque aut pacem nanciſci generalem, aut quod Auſtriaci et Electorales omnem in ſe inuidiam ac belli totius onus deriuaturi ſint, coactis tandem Polonis occaſionem et cauſſam ſeparationis adprehendere. Porro litteras S. R. M. die VI Martii datas, nihil quidem a Caeſare et Electore deſiderare, praeter ſimplicem reconciliationem; verendum autem eſſe, vbi res Germaniae omnes huc transferantur, ne aut numquam aut difficulter admodum ex hac mole eluctari poſſit; ſuppeditato per id ipſum Confoederatis medio moram nectendi, atque pro adtingenda intentionis ſuae meta tempus lucrandi: quum e contra foret facilius S. R. M. per Miniſtrum aliquem Ratisbonae vel Francofurti in Comitiis, aut Deputationis Imperii diaeta,*** negotia omnia diſcutere, quam perpetuum exercitum alere. Quantum ex Gallicorum Miniſtrorum actionibus adpareat, Regem illum videri pacem promouere Polonicam velle; bellum vero in Germania declinare. Tandem requiritur S. R. M. vt pro deductione militis mittat pecuniae ſummam, naues et alia neceſſaria; ſiquidem ad credendum nemo perſuaderi poſſit, ſed cuncta pro paratis nummis emi oporteat.

Actum

* PVFENDORFIVS Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VIII. §. 6. p. 608. *Caeſar, Elector et Belgae Polonis vel commodam cum Moſco pacem, vel coniunctionem armorum ſuorum aduerſus hunc offerebant; ſi pacem cum Suecis repudient. Simul nouam difficultatem iniiciebant, dum pro Dano reſtitutionem Scaniae depoſcunt.* Conf. ibid. §. 9. p. 610.

** PVFENDORFIVS loc. comm. §. 7. — *Artibus aduerſariorum nouae ſubinde remorae iniiciebantur. Ac iam Brandeburgici Polonis loca a ſe in Pomerania occupata offerebant: ſed Poloni cum Imperio nil ſibi negotii eſſe volebant. Hoenartus quoque, Belgicus Legatus, Belgas foederi paratos oſtentabat, ne hic con-*

Actum Oliuae d. $\frac{5}{15}$ Apr. hor. ab VIII matut. vſque ad II pom.

Abſentibus Dno Regni Theſaurario, propter aduerſam valetudinem, et Dno Comite Schlippenbach aliis occupato, qui tamen poſt duas horas acceſſit. Venimus Oliuam in tempore; et Dn. Mediator reaſſumere coepit deſiderium Ciuitatis Gedanenſis; vbi noſtra Legatio vrget complanationem Articuli illius de commerciis ac teloneis et vectigalibus, ſecundum Conceptum noſtrum nouiſſimum. Tacuit, et Saluum Conductum Caeſareum d. 5 April. ſt. n. datum offert, vt et Plenipotentiam eiuſdem diei, vna cum Saluo Conductu Electorali, de die 28 Martii, Gregoriani Calendarii. Quo facto ſe ad alteram Partem confert. In his tribus Diplomatibus notantur ſequentia: Differentiae et notae Salui Conductus Caeſariani, pro Suecicis Legatis nuperrime oblati, cuius datum eſt 5 April. ſt. n. 1660. 1) Ponit Caeſar tantum Germaniae, Hungariae et Bohemiae Rex, Archidux Auſtriae etc. etc. etc. Excludit autem e Regio titulo, Dalmatiae, Croatiae et Slauoniae; et e Ducali titulo omnes, praeter Auſtriam. 2) Inter Regem Poloniae et nos, alioſque eiuſdem Confoederatos, et R. S. Carolum Guſtauum. 3) Legati nominantur Deputati Commiſſarii quondam Ser. et Pot. Regis Regnique Sueciae; nominatur autem Carolus Guſtauus, non modernus Rex Carolus. 4) In Suecico Diplomate Salui Conductus Imperatoris Commiſſariis tribuitur praedicatum: Illuſtriſſimi, Illuſtres, Magnifici et Generoſi, Dominus Franciſcus Comes a Colourat, et Dn. Franciſcus Baro de Liſola. In Imperatoris autem Salui Conductus litteris Suecici Commiſſarii dicuntur tantum Illuſtres, Magnifici et Generoſi Magnus Gabriel, ſine titulo Dominorum; nec titulis Dominorum vllibi inſigniuntur. 5) In Suecico Saluo Conductu nominantur ſemper Caeſaris Legati et Commiſſarii. In Caeſareo Saluo Conductu nominan-

concluderetur, quoad Danica pax confecta foret. — Denique et Moſcicus Ablegatus Gedani haerens impediendae paci Suecicae multa pollicebatur.

** Ratisbonae quidem Comitia tum nulla erant. Nam quae pacem Vueſtphalicam proxime ſequuta, iamiam anno illius ſeculi quarto et quinquageſimo exierant. Nouiſſima autem inſtituta demum tertio et ſexageſimo. Sed conuentus Deputationis, quam vocant, inde ab anno quinquageſimo quinto, ſupra milleſimum ſexcenteſimum, Francofurti ad Moenum agebatur, ad quem Legatus Regis Sueciae miſſus erat Matthias Bioernclouius.

minantur Suecici ſolum Deputati Commiſſarii. 6) In Saluo Conductu Caeſareo: Commiſſarii Suecici redeant: ſed non fit mentio alicuius loci ad quem. In Suecico autem Saluo Conductu ſpecificatur, ad domos ſuas, vel ad aulam Caeſaris. Qui etiam in Saluo Conductu Caeſareo defectus bis reperitur. 7) In Saluo Conductu Caeſareo promittitur nobis ſecuritas a praeſidiario milite Caeſareo. In Suecico etiam a cohortibus Suecicis. 8) Securitas adſtipulatur Suecicis Commiſſariis, ſine Dominorum praedicato, in congreſſibus, et locis intermediis. In Suecico ponitur: in locis tractatuum et commorationum intermediis. Reliquis defectibus ſilentio praeteritis. — In Plenipotentia Caeſarea tractandi pacem cum Suecia, ſub eodem dato: 1) Inter nos alioſque Poloniae Foederatos. 2) Imperator nominat Commiſſarios Suecicos Regis et Regni Sueciae, ſiue eiuſdem tutorum et Regentum Plenipotentiarios. Quae poſteriora verba potuiſſent omitti, quum Plenipotentiarii ſint Regis Regnique Sueciae. In Saluo Conductu Electorali, pro Dnis Legatis Suecicis, d. 28 Martii 1660. deſiderantur poſt verba, ad quos in ſuo ex Pomerania in Pruſſiam: adponantur: et viciſſim e Pruſſia in Pomeraniam, Liuoniam vel Sueciam itinere, ſiue terra, ſiue mari, dicti Dni Legati ac Commiſſarii Suecici peruenerint, nec non in locis manſionum ac commorationum toto tempore durantium tractatuum, vt non modo etc.

Redux Dn. Mediator: Quoad Articulum de emigratione conſentire Polonos, vt addantur verba: *Eorumque territoriis:* ſed tamen quoad *locis euacuandis*, peti, vt ponatur, Ciuitatibus euacuandis.* Id quod conſenſum eſt, et ingroſſatur de nouo. Articulus de captiuis, Polonos, aut plane vt omittatur, velle; aut lytra quo ſoluantur, Dn. Mediator adſerit. Interpellaſſe quidem ſe Regis auctoritatem; nihil tamen obtinere poſſe; reſtringi ad ea tantum lytra, quae iam bona fide conuenta ſint a captis cum ſuis detentoribus, et tantum intelligi de Officialibus ſuperioribus, vſque ad Capitaneos incluſiue; qui ſub his ſunt, vti et gregarios, dimittendos gratis. Quum igitur vel oppoſitionibus, vel precibus aliquid obtineri nequiuerit, conuentus eſt Articulus, et concepit Dn. Legatus Gyldenklau in fine, quo inſerantur haec verba:

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 232.

Digitized by Google

verba: "Quod autem de lytri conuenti ſolutione hic ſupra dictum eſt, tantum locum habebit in maioribus Officiariis, vtpote Generalibus, Tribunis, Tribunorum locum tenentibus, et Capitaneis." Subſcriptus igitur eſt et de captiuis Articulus, ſonatque ita: "Quicumque hoc bello ab vtrimque inter Polonos, Lithuanos et Suecos in quocumque loco capti ſunt, cuiuſcumque conditionis ac ſtatus, liberi et ſine vllo ſoluto pretio, niſi aliter ante hunc Tractatum ab ipſis conuentum fuerit, dimittentur, priſtinaeque libertati reſtituentur: ſolutis tamen impenſis Officiariorum in victum eorum factis, et debitis in captiuitate ab eis contractis. Ceterum captiuis quoque annumerandi, et ab vtraque parte reſtituendi ſunt, qui inuiti militiae alterius partis nomina dederunt. Omnes vero ſupra dicti, qui quidem in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniae, Pruſſia Regali, vtraque Liuonia aut Curlandia detinentur, intra tres ſeptimanas a ſubſcripto moderno Tractatu; illi autem, qui extra Poloniam, Lithuaniam, Liuonias et Curlandiam detinentur, intra tres menſes libertati reſtituantur. Quod autem de lytri conuenti ſolutione hic ſupra dictum eſt, tantum locum habebit in maioribus Officiariis, vtpote de Generalibus, Tribunis, Tribunorum locum tenentibus, et Capitaneis." Subſcriptus quoque hodie Articulus de emigratione ex ciuitatibus Pruſſiae, de quo hic ſupra dictum, eiuſque tenor iam talis eſt: "Si cui aut quibus in ciuitatibus Pruſſiae euacuandis, earumque territoriis, non placuerit manere, ſed mutato domicilio alio ſe conferre, iis liberum ſit in ſpatio trium abhinc annorum ſua diuendere, aliis elocare, aut pro ſuo lubitu diſtrahere, ſine vllo impedimento aut onere ſub quocumque praetextu imponendo, ſaluis antiquis ciuitatum iuribus et priuilegiis." Super Articulo de commerciis et teloneis deliberabitur cum Dnis Regni Theſaurario et Comite Schlippenbachio abſentibus; et cras determinari illum poſſe Dni Legati praeſentes exiſtimant.

Iam ad alios Articulos: et quidem vt liceat Regi Regnoque Sueciae in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniae, Pruſſia etc. conſcribere militem. Sed declarat Dn. Mediator, quod hic Articulus ſilentio praeteribitur: concedit tamen Rex conſcriptionem illam, ſicut a nobis in Proiecto Inſtrumenti pacis, ſub numero XXVIII conceptus eſt: modo ſciatur, quod non fiat contra Confoederatos. Sunt autem verba

P 2 ibidem

ibidem iſta: “Libera ſit Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae facultas conſcribendi militem ſtipendiarium in Polonia, Lithuania, Pruſſia, aliiſque annexis et vicinis prouinciis, eumque delectum per ditiones iuris Polonici libere deducendi.“ Quantum ad Articulum de Duce Croyano, promittit Rex Poloniae, quod, ad commendationem Dnn. Legatorum Suecicorum, illi ſatisfiet in Comitiis generalibus, quoad poſtulatum eius. Concipiatur ergo ille Articulus, quomodo Inſtrumento pacis ſit inſerendus. Hic quum antea hoc modo a Legatione noſtra propoſitus eſſet, ceſſante ſatisfactionis poſtulato, iam ita mutatur: “Similiter permittit Sereniſſimus Rex Sueciae, vt de ſupra dicta pecuniae ſumma ſubtrahantur et Gedani ſoluantur bis centena millia thalerorum Imperalium, quae Illuſtriſſimo Duci Croyano, Dno Erneſto Bogislao, a Polonia debentur. Quod ſi Polonia in praeſens ac parata nunc pecunia dicto Duci ſummam illam debitam non ſoluerit, pollicetur Sereniſſimus Rex ac Reſpublica Poloniae, ſe traditurum intra duos abhinc menſes dicto Duci eiuſue mandatario Praefecturam ſiue Satrapiam Schlochauienſem, in Pomerellia ſitam, cum omnibus pertinentiis et prouentibus annuis, iure antichretico ac loco pignoris et vſurae poſſidendam, quoad vſque ipſi omnis illa ſumma pecuniaria praedicta perſoluta fuerit. Atque in maius huius rei robur, idem Sereniſſimus Rex et Reſpublica Poloniae peculiaribus diplomatibus firmet.“ — “Quum Sereniſſimus Rex et Reſpublica Polona ex multis retro annis Illuſtriſſimo Duci Croyano, Dno Erneſto Bogislao, debeant quoad ſortem et ſummam capitalem centena millia thalerorum Imperialium, et quae in eam ſummam vſurae computari debent: ideo Regia eius Maieſtas et Reſpublica Poloniae hiſce firmiter ſpondent, praefato Duci eiuſue mandatario in proximis futuris Comitiis generalibus dictum debitum, tam quoad ſortem ipſam, quam quoad vſuras, ex illo tempore, quo Polonia pecuniam a Ducibus Pomeraniae mutuata fuit, computandas, ſatisfactum iri, ita vt intra dimidium abhinc annum omne illud debitum, quoad ſortem et vſuras, plenarie ſoluatur. Quod ſi praeter exſpectationem omnem memorata exſolutio Duci Croyano intra dictum tempus non obtingat, Sereniſſimus Rex et Reſpublica Polona confeſtim tradent illi Praefecturam ſ. Satrapiam Slochauienſem, in Pomerellia ſitam, cum omnibus pertinentiis et prouenti-

uentibus annuis, iure antichretico et loco pignoris et vſurae poſſidendam, quoad vſque ipſi omnis illa praetenſio dicta perſoluta fuerit. Atque in maius huius rei robur, idem Sereniſſimus Rex et Reſpublica Poloniae peculiari diplomate firment." — Quoad Comitum de Dohna ſatisfactionem Dnos Polonos nihil conſentire velle, dixit Dn. Mediator; ſed reiicere in Sueciam, quae poſſideat Liuoniam. Dn. Comes Oxenſtierna falſum eſſe praeſuppoſitum reſpondit, et Articulum de exulibus et expulſis iam conuentum opponit, vbi exprimitur: *quod Rex Regnumque Sueciae nihil tenebuntur.* Et Dn. Mediator referet, et reſolutionem reportabit; accipitque Articulum ita proiectum: "Quoad poſtulata Dnn. Comitum a Dohna, remittuntur illa ad proxime futura Comitia Polonica, vbi eorum deſideriorum condigna ratio habebitur." Quod vero ſpecialiter Dn. Comitem Chriſtophorum Delphicum a Dohna ſpectat, eius ſatisfactio ad S. R. M. Sueciae remittitur. Quoad filiam Principis Radziuilii, Articulum credit Dn. Mediator formari poſſe, vti a nobis proiectus; ſcilicet quod Rex Poloniae eiuſdem ſit rationem habiturus. Iam poſtulabatur quidem a parte Radziuiliana taliter formari: "Etſi in ſuperius expreſſo Generalis Amneſtiae Articulo omnium partes Suecicas ſequutorum reſtitutio in poſſeſſiones, iura, priuilegia ac conſuetudines generales et ſpeciales, quibus ante hoc bellum gauiſi ſunt, cauta eſt: nihilominus ſpecialiter cauetur, et moderna pactione decernitur, vt bona Illuſtriſſimi Principis, Dni Ianuſſii Radziuilii, S. R. I. Principis, Palatini Vilnenſis et exercituum M. D. L. Generaliſſimi, nuper defuncti, eiuſque adhaerentium, pendente bello ab exercitu M. D. L. occupata et huc vſque retenta, ſine proceſſu iuris indilate ante euacuationem locorum in Pruſſia et in Curlandia occupatorum legitimis ſucceſſoribus et poſſeſſoribus reſtituantur, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, declarationibus verbalibus et litteralibus, et iuris vel facti exceptionibus, quaecumque in derogationem huius Articuli allegari poſſent. Et liceat iure agere cum illis, qui praefata bona per vim occuparunt, de reſtitutione fructuum ex iis perceptorum, et damnorum illatorum recompenſatione." Quale etiam Dno Mediatori proponitur, ſed reiicitur, et ita formatur: "Illuſtriſſima Princeps Dn. Anna Maria Radziuilia, defuncti Principis Dni Ianuſſii Radziuilii, Palatini Vilnenſis et exercituum M. D. Lithuaniae Generaliſſimi, filia

 vnica,

Digitized by Google

vnica, reſtituatur in omnia bona paterna atque integram dotem maternam, aliaſue hereditates et emolumenta, dictae Principi iure competentia, in iiſque ſine turbatione conſeruetur.“ Deductio militiae in finem tractatuum reiicitur. De Paſquillis agetur in puncto amneſtiae. Quoad Saluum Conductum petunt Dni Electorales, vt extradatur ipſis noſter, qui heri traditus Dno Mediatori, et adhuc penes ipſum eſt, quo S. Serenitas Electoralis Saluum Conductum pro Dnn. Suecicis etiam in forma tam ampla expedire poſſit, intra dies octo nobis ad manus procurandum. Dn. Comes Oxenſtierna deliberato cum Dno Legato Gyldenklauio reſpondit: Placeat Suae Excellentiae ſuo ſub Atteſtato apographum illis concedere, et maturationem expeditionis Electoralium Salui Conductus litterarum vrgere. Ille loquuturus erat cum iis, et abire volebat: ſed dum Dn. Comes Schlippenbach adueniret, adhuc morabatur, donec Articulus de commerciis et teloneis reaſſumeretur: vbi de Ciuitate Gedanenſi Dn. Legatus Gyldenklau ſic concepit §phum finalem: “Ciuitas Gedanenſis in Regno Sueciae et annexis prouinciis gaudeat ea libertate commerciorum et vectigalium, qua gauiſa fuit ante vltimum hoc bellum, et qua gaudent aliae Ciuitates Hanſeaticae. Eadem quoque libertate fruâtur ciuitas Elbinga.“ Abeunti Dno Mediatori commendatur Comitum de Dohna deſiderium. — Poſt reditum ille: Se multa egiſſe cum Dnis Polonis de Dominis Comitibus a Dohna, quorum partibus etiam Domini Electorales ſe iunxerint. Sed reſpondere illos, quia Suecia poſſideat eorum bona, reſtitutionem vel ſatisfactionem illa quoque det, aequum eſſe. Dominium directum amiſiſſe Poloniam, vtile Dnos Comites; neceſſe eſſe, vt poſcant, quoad bona ſpectat, poſtulatam refuſionem a poſſeſſoribus. Quoad debitum, illiquidum eſſe, et tantum Atteſtatum Generalis, qui non potuit praeiudicare Poloniae: tamen declarare Polonos, ſi velint Dni Comites libellum ſupplicem dare, habitum iri rationem eorum in Comitiis.* Dn. Comes Oxenſtierna inſtitit poſtulato noſtro, et Articulum, vt ſupra, de exulibus et expulſis iterum opponit; item, neminem Dnn. Comitum a Dohna, praeter vnicum Dn. Comitem Chriſtophorum Delphicum, Sueciae militare, reliquos ſemper

* Conf. PASTORIVS loc. comm.

per adhaeſiſſe partibus Polonicis et Electoralibus. Quoad debitum, Atteſtatum Generalis ſatis firmum eſſe.

Quum nihil proficeretur, ex ſuperfluo tamen adhuc ſemel res haec commendata eſt Dno. Mediatori, et ad Articulum de non danda ſtatione hoſtilibus claſſibus peruentum eſt: vbi reſpondiſſe dixit Dn. Mediator Polonos et Electorales, non poſſe commeatum denegare ſe amicis, quamdiu ſint amici, neque Hollandis neque Anglis etc. Neque enim poſſe aliquid denegare amicis, quod concedant Suecis. Dnus Gyldenklau: Nos non petere ſtationem pro noſtris nauibus, ſed denegationem illius claſſi hoſtili. Dn. Mediator: Non eſſe ſe pares expellendis claſſibus, ad hoc reſpondere Polonos. Adhuc a nobis inſiſtitur huic Articulo. Quum autem obtineri non poſſe, Dn. Mediator conſtanter adſeruiſſet, ſilentio eſt praeteritus hac vice. Quoad Dn. Comitem Vittenbergium, nihil eius heredes accipient in Polonia. Itaque et hic Articulus ſilentio inuolutus eſt, quum nulla ratione perſuaderi ſe paſſi ſint Poloni ad concedendam Praefecturam Chronenſem. Commendatur adhuc Comitum de Dohna, et de commerciis, vt expediantur, vt et de captiuis Articuli. Dnus Mediator cum promiſſa diligentia ſe confert ad Dnos alterius partis Legatos. Poſt reditum Dn Mediator: Articulum de commerciis tranſactum iri, ſicut poſtulemus; modo ponatur, quod Ciuitas Gedanenſis et aliae ciuitates Pruſſiae gaudeant libertate commerciorum, ſicut ante hoc nouiſſimum bellum in Regno Sueciae et ſubiectis prouinciis. Conceſſum eſt; et ſubſcribitur: 1) "Commercia priſtina ſint libera, et non impedita inter vtrumque Regnum Poloniae et Sueciae, Magnumque Ducatum Lithuaniae, ſubiectaſque illis prouincias, ſubditos et incolas, tam terra quam mari: et in veteri vſu atque exercitio, quo fuerunt tempore induciarum, conſeruentur. In primis ſit liberum commerciorum exercitium liberaque defluitatio mercium per fluuium Dunam et Bulderauiam ſubditis et incolis Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae et Polonicae Liuoniae, Curlandiaeque ac Semigalliae, cum ſubditis incoliſue Liuoniae Suecicae; et vice verſa ſubditis incoliſque Regni Sueciae et Liuoniae Suecicae ſit liber commerciorum vſus per eadem flumina cum ſubditis incoliſque Poloniae, Lithuaniae, Liuoniae Polonicae, et Curlandiae Semigalliaeque. Teloneorum vero

Digitized by Google

ro et vectigalium in flumine Dunae et Bulderaa, vt et maritimorum et terreſtrium iu Liuonia eadem ratio et in iiſdem tantum locis ab vtraque parte in poſterum ſit, vti et vbi tempore induciarum et ante hoc vltimum bellum fuit. 2) Maioris quoque Poloniae incolae, cuiuſcumque conditionis ſint, ſiue terra ſiue aqua commercia ſua exercentes, nullis nouis toloneis et gabellis Stetini onerabuntur. Ciuitas quoque Gedanenſis, et aliae Pruſſiae ciuitates, in Regno Sueciae et ſubiectis prouinciis aliis gaudeant ea libertate commerciorum et vectigalium, qua gauiſi ſunt ante hoc nouiſſimum bellum." — Quantum ad Comites a Dohna, aut iuſte poſſidet Suecia illa bona, aut iniuſte: ſi iuſte, vtique Dn. Comites a nullo aliquid praetendent; ſi alterum, Rex et Corona Sueciae illis ſatisfacere tenentur. Refertur Dno Comiti a Schlippenbach, quid alias hodie ante aduentum eius actum ſit. Vrgetur Articulus de claſſibus. Reges non poſſe obligare Reſpublicas, Dn. Mediator reſpondit: Batauis et Anglis non minus patere mare, ac Sueciae Poloniaeque: abſtineat hoc a poſtulato Legatio Suecica, perſiſtentibus Polonis, non ſe poſſe praeſtare niſi neutrales. Conſcenſum itaque denuo eſt, vt ſupra, quo excludatur hic Articulus, et ſilentio praetereatur, tamquam odioſus et multi praeiudicii. Reditur ad ſatisfactionem Dohnauianam, et quum ſerio adſeueraret Dn. Mediator, ſe certum eſſe, Poloni in ſua ſententia quod ſint perſeueraturi, expediens proponitur, vt nimirum Suecia ſatisfaciat Dno Chriſtophoro Delphico, Polonia et Dn. Elector vero reliquis, qui fuerunt aut ſunt in eorum ſeruitiis.* Refert Dn. Mediator, poſt reditum, Articulum de commerciis complacitum eſſe, et poſſe commutari. Comitibus de Dohna, vt ſupra, retulit, nihil effici poſſe. Ducem Croyae quod ſpectat, primo illiquidam ſummam eſſe; deinde quaeſtionem moueri a Duce Curlandiae, et litis eſſe pendentiam. Dnus Legatus Gyldenklau remonſtrat exacte contrarium ex Documentis Mandatarii praefati Principis Croyae etc. et litem aliquando conteſtatum eſſe praememoratum Ducem Croyanum, negat: non enim opus fuiſſe tali in debito tam liquido. Dn. Mediator denuo commendabit. Poſt reditum ille: Dnos Polonos reſoluiſſe, quod, etiamſi Dux Curlandiae prae-

* Conf. PASTORII Diarium pag. 234.

Digitized by Google

praetendat in iſtud debitum, tamen quidquid ſit, ſatisfiet Duci Croyae, prouti inter ipſos conueniri poterit. Dn. Legatus Gyldenklau: Non opus eſſe conuentione; debitum eſſe liquidum, ius fundatum; non ex hereditate, ſed donatione Statuum Pomeraniae, quod non lateat Dnos Polonos, poſtulatum Ducis Croyani exiſtere. Proiectam igitur Articuli ſchedulam vt Dn. Mediator denuo proponat, rogatur. Diſceſſum eſt.

Actum Oliuae d. $\frac{5}{16}$ April. horis ab VIII antemerid.

A curialibus et diſcurſibus ſolitis coepta eſt conferentia; deinde recapitulantur, quae heri tam complanata et ſubſcripta, quam adhuc conuenienda relicta ſunt. Et hodie primum reaſſumit Dn. Regni Theſaurarius Comitis a Dohna poſtulatum, vbi Dn. Mediator: Illos iure nullo poſſe praetendere in Polonos ſatisfactionem, quia Rex Poloniae directum cedat dominium. Si gratiam aliquam vellent ipſis facere Poloni, non poſſe propter conſequentiam, quia tot alios in Liuonia dominio vtili carere oporteat, qui aeque praetenderent ſatisfactionem, quam Dni Comites. Ergo reſolutionem Regis et Reginae eſſe, quod nullo modo poſſit hic Articulus admitti. Dn. Regni Theſaurarius adhuc inſiſtit petito noſtro, remonſtrans hanc Domum bene meritam, quod forte alii praetendere non poſſint. Si in hoc nihil obtineri poſſit, etiam poſtulatum Dni Gyldenſtiernii delendum. Ad alia pergitur, et Dn. Mediator: Ducem Croyanum quod adtineat, Ducem Curlandiae praetendere dimidietatem, et in Comitiis Polonicis iam eſſe rem deciſam: igitur reſoluiſſe Dnos Polonos, quod ipſis ſit ſatisfaciendum, prout conuenerint. Dn. Regni Theſaurarius: Deponat Polonia ſummam illam, ſiquidem debitum extra controuerſiam ſit: quoad intereſſe, liquidandum eſſe: propterea autem, vt et propter Ducis Curlandiae praetenſionem, debiti ſolutionem non ſuſpendendam vel remorandam. Documenta Principem Croyanum oſtendere; et intentionem ſuam ſatis probari poſſe. Dn. Mediator repetit, dicere Polonos, debitum non eſſe liquidum; quando fuerint poſtulata liquidata, tum Polonos ſatisfacturos, prouti conuenire poterunt. Repetuntur hinc inde priora: et tandem Dn. Mediator in ſe recipit adhuc ſemel commen-

Digitized by Google

dare hoc negotium velle, et abiit. Interea varie diſcurrunt Suae Excellentiae tam de Dohnauiano, quam Croyano poſtulatis: et Dn. Regni Theſaurarius cum Dn. Comite Schlippenbach exiſtimat, vbi nullis rationibus obtineri noſtra intentio poſſit, huius rei cauſſa pacis negotium non remorandum eſſe. Non propterea paci moram cauſſandam, ſed vna cum aliis adhuc pertractanda iſta deſideria. Comitibus a Dohna ſi ſatisfiat, ſeptem millibus thalerorum Imperialium quotannis Cameram liberari, quae Regina Chriſtina litteris et manu ſua, donec bona in Liuonia receperint, vel ipſis ſatisfactum fuerit, praefatis Comitibus aſſecuraſſet, et Glorioſiſſimus Rex confirmaſſet. Idem ſentit atque adfirmat Dn. Legatus Gyldenklau, et addit, Ducis a Croya poſtulatum eſſe fundatum; Polonis tantam ſummam remitti non poſſe, praeſertim quum S. R. M. immortalis memoriae ad euincendum ſe obligauiſſet. Poſt reditum Dn. Mediator retulit, vltimam Polonorum reſolutionem eſſe, Documentis vt probet Dn. Dux Croyanus. Itaque iuſſum eſt vocare Dni Ducis mandatarium. Qui quum nondum adeſſet, ad alia pacem concernentia proceditur. Poſtulantur transfugae milites. Communis eſſe hic Articulus, ſuo loco tranſigendus, cenſetur a Dn. Mediatore. De poſtulato Dni Gyldenſtiernii deletus primum eſt Articulus, quum in cauſſa Comitum de Dohna nihil obtineri potuerit: ſed quum rediret Dn. Mediator, reaſſumti ſunt ambo, habitis diſcurſibus et diſceptationibus prioribus: quum vero nihil concluderetur, hac vice in medio ſunt relicti. Dn. Mediator: Iam ad punctum amicitiae veniendum. Polonos et Confoederatos modo dicere, quod velint Dnn. Electorales in iſto Articulo, *Saluis pactis*, retinere, neque concedere adponi verba: *in quantum huic pacificationi non ſunt contraria.* Poſt aliquam diſceptationem complacuit, (quod Dn. Mediator propoſuit,) vt inſerantur loco iſtorum verba ex Inſtrumento Oſnabrugenſi Art. II. in parentheſi extantia: *non obſtantibus vllis prioribus pactis in contrarium facientibus.* Hinc ad amneſtiam: et Dn. Mediator bis amneſtiae mentionem factam eſſe in noſtro Proiecto dixit, in amicitiae nempe et ipſius amneſtiae puncto. Placuit, vt alter vtrimque omittatur, ac vtrobiuis libuerit, inſeratur, ſi ita placeat alteri parti. 2) Generalis clauſula vt ſit obliuionis et amneſtiae, poſtulare Polonos et Confoederatos, nulla facta mentione particularium.

Reſpon-

Reſponſum eſt, generalem clauſulam neceſſariam et de ſua ipſius notura eſſe, ſed de particularibus ſeorſum per certos Articulos conueniendum. Contulit ſe Dn. Mediator ad partis alterius Dnos Legatos, et euentualiter a Dn. Legato Gyldenklau proiicitur hoc Conceptum: "Et ne occaſione anteactorum lis vel diſſidium aliquod oriri poſſit, S. R. M. Sueciae pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis Regibus Regnoque Sueciae nunc et in perpetuum virtute huius Inſtrumenti pacis renunciat pactis et conuentionibus omnibus inter S. R. M. Regnumque Sueciae, et Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, in Pruſſia Ducem, ratione huius vltimi belli Polonici initis, et iririta ac nulla pronunciat, omnemque ipſis vim et effectum detrahit. Et vice verſa Sereniſſimus Elector Brandeburgicus vigore huius pacificationis, pro ſe et ſucceſſoribus ſuis, omnibus pactis et tranſactionibus, cum S. R. M. Regnoque Sueciae durante hoc vltimo bello Polonico initis, nunc et in perpetuum renunciat." Dn. Mediator adfert Proiectum Legatorum Dn. Electoris Brandeburgici, de renunciatione ſeu caſſatione foederum et tranſactionum inter S. R. M. et S. S. Electoralem. "Et ne occaſione anteactorum lis vel diſſidium aliquod oriri vel captari poſſit, conuenit inter partes, S. R. M. Sueciae pro ſe et ſucceſſoribus ac poſteris ſuis Regibus Regnoque Sueciae nunc et in perpetuum, pacta, quae inter S. R. M. et Regnum Sueciae ab vna, et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum ab altera parte, Regiomonti d. 17 Ianuar. A. 1656. cum omnibus aliis ibidem eo tempore initis conuentionibus, vt et $\frac{9}{19}$ Iunii eiuſdem anni ſubſequuto pacto Mariaeburgenſi, foeduſque mutuum die $\frac{10}{20}$ menſis Nouembris anni itidem 1656. Labiauia ictum, cum annexis itidem conuentionibus, (prout illa omnia per ſubſequuta foederis perpetui, cum S. R. Maieſtate Requepublica Polona a Sua Serenitate Electorali Velauiae inita, die 19 Septembris Anni 1657. et poſtmodum Bidgoſciae addita in punctis ad R. M. remiſſis conuentione die 6 Nouembris eiuſdem anni ratificata ac iurata, et deinceps in Comitiis Reipublicae generalibus omnium Ordinum conſenſu adprobata pacta, penitus ſublata et abolita ſunt,) in omnibus et ſingulis eorumdem verbis, clauſulis et Articulis penitus irrita et nulla pronunciaturam, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum detracturam, iiſque et omnibus eorum contentis ſollemniter pro ſe, ſucceſſoribus et

 poſte-

poſteris ſuis Regnoque Sueciae renunciaturam, prout hoc ipſo et virtute huius Inſtrumenti eadem in omnibus et ſingulis eorumdem verbis, clauſulis et Articulis, irrita et nulla pronunciat, omnemque ipſis vim et effectum in aeternum detrahit, iiſque et omnibus eorumdem contentis, ſollemniter pro ſe ſucceſſoribuſque et poſteris ſuis Regnoque Sueciae renunciat, ipſiuſque tam foederis mutui Labauienſis, quam et reliquorum praecedentium Actorum, tranſactionum, conuentionumque, quocumque nomine veniant, autographa in perpetuum hoc ipſo oblitterata, caſſata, annullataque in cineres redigenda, ante ratificationem Polonicam huius tranſactionis ſe extradituram promittit; adeo vt contra S. Serenitatem Electoralem, heredes, agnatos et ſucceſſores, prouincias et ditiones intra et extra Imperium ſitas, vel etiam in Ducatum ipſum Pruſſiae ac eiuſdem Ordines et incolas, aut contra S. R. M. Poloniae, eiuſdemque ſucceſſores Reges Regnumque Poloniae, ex iiſdem ſupra memoratis vel aliis quibuſcumque ab initio huius belli in hanc vſque diem inter S. R. M. Sueciae et S. Serenitatem Electoralem quocumque tempore initis pactis, conuentionibus, vel aliis quibuſcumque etiam de cauſſis aut praetextibus, nunc vel inpoſterum ſucceſſionis, ſiue alio quocumque titulo, quidquam allegari vel vllo alio colore praetendi non poſſit vel debeat." Indignum eſſe, quum deliberaſſent Suae Excellentiae, reſpondit Dn. Regni Theſaurarius, hoc Proiectum; repetitionem vel quadruplicem reſtitutionem Actorum non recipienda. Foedus Bidgoſcianum non a nobis confirmandum; caſſationem foederum et receſſuum cum S. R. M. Sueciae iam ante factam. Dn. Mediator: Corrigant Suae Excellentiae, aut ſua ex mente hunc Articulum concipiant, poſtulari a partibus, ſuper quo per tractatus poſſit tan-

* In exemplo Diarii huius eo, quod ex Archetypo deſcriptum ad me peruenit, inſertum huic loco erat illud *de Paſquillis* caput, ex tabulis Pacis Sueco-Danicae Theotiſcis. Quae quum legi poſſint in LVNIGII Archiuo Imperii, P. Spec. Cont. II. p. 333. iſtam quoque particulam ſuperuaneum duxi hic repetere. Sed repetiiſſem profecto, ex formula Pacis Latine ſcripta, cuius meminit Ampliſſimus ARKENHOLZIVS, in Tentamine Hiſtoriae Tractatuum Pragmaticae, (*Verſuch einer Pragmatiſchen Hiſtorie von Verträgen und Tractaten eines freyen Staats,*) p. 51. ſi ea quidem potuiſſet ſtudio meo e latebris ſuis produci. Illam pacem inter Suecos ac Danos Stetini concluſam ſatis conſtat. Inconcluſam vero Auctor Diarii, vt opinor, dixit, quod neque illa de famoſis libellis, neque

tandem conueniri. Mutatur noſtrum Conceptum ſupra hic inſertum hoc modo, et Dno Mediatori traditur, qui illo accepto ad Dnos Electorales abiit. "Et ne occaſione ante actorum lis vel diſſidium aliquod oriri poſſit, S. R. M. Succiae pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis Regibus Regnoque Succiae, nunc et in perpetuum virtute huius Inſtrumenti pacis renunciat pactis et conuentionibus omnibus inter S. R. M. Regnumque Succiae, et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum, in Pruſſia Ducem, ratione huius vltimi belli Polonici, cumprimis Exſpectatiuae et Suverainitatis initis, et irrita ac nulla pronunciat, omnemque ipſis vim et effectum detrahit. Et vice verſa Sereniſſimus Elector Brandeburgicus vigore huius pacificationis pro ſe et ſucceſſoribus ſuis, omnibus pactis et tranſactionibus, cum S. R. M. Regnoque Succiae durante hoc vltimo bello Polonico ictis, nunc et in perpetuum renunciat." Poſt reditum nihil retulit, niſi quod velint videre Proiectum oblatum, et ſi Legationi Succicae quoque placeat, cras poſt meridiem tractatus poſſe continuari. Noſtri Dni Legati mallent ante meridiem, quia, ſi circa ſecundam Oliuam veniretur, tamen ante tertiam conferentiae non inchoarentur. Dn. Mediator: Dicere Dnos Polonos, ſe impediri ante prandium; velle eo maturius hic adeſſe poſt meridiem. Conuenerunt, hora prima pomeridiana vt Oliuam cras redeatur. Interea Dn. Mediator in ſe recepit, quod adhuc ante diſceſſum velit commendare cauſſas Croyanam, Radziuilianam et Dohnauianam, nec non vrgere Articulum de Paſquillis. Abiuimus, et in ipſo abitu adhuc ſeorſum prae reliquis commendantur Dno Mediatori, primo Articulus de Paſquillis; (vbi ipſi Extractum traditur Pacificationis Sueo-Danicae An. 1570. ſed inconcluſae,*) deinde vt methodice procedatur in tracati-

que aliis quibuſdam partibus ſuis prorſus expedita fuit. Nec me poenitet eſſe huius ſententiae, praecipue quum ARKENHOLZIVM quoque, talium intelligentiſſimum, vidi in eam animum inclinaſſe. Ab me namque conſultus ſuper his et talibus, ſic reſpondit: *Pour le mot* inconcluſae, *que Vous citez de l'Article* de Paſquillis, *j'ai de même de la peine de l'expliquer: à moins qu'il ne ſoit relatif au mot* Pacificationis, *et que celui, qui a dreſſé cet Article, n'ait voulu dire, que quoiqu'il eut été ſtipulé dans le 21 et 22. §§. de la Pacification de Stettin, que les paſquinades et les peintures injurieuſes rendues publiques pendent la guerre, devoient être caſſées et defendues: non ſeulement cela n' a pas été executé, mais depuis ce tems-là pouſſé plus loin que jamais.* —

ctatibus; ſiquidem pertractanda ſint negotia 1) Regis Poloniae, 2) Regis et Reipublicae, 3) Regis Regnique Poloniae et Foederatorum, 4) Regis Regnique Poloniae et Electoris, 5) Imperatoris, 6) Electoris. Diligentiam promittere ille non deſiit.

Actum Sobothi, d. $\frac{7}{17}$ Aprilis, hor. VIII matut.

Suae Excellentiae conuenerunt in aedibus Dni Regni Theſaurarii, loco conferentiae ſolito, conſultantes de negotio tractatuum, — poſſibile, opus illud maturaretur,* habentium hae de re S. R. M. mandatum nuperum, atque, ne, ex improuiſo abeuntibus Aula vel cunctis vel principalioribus Legatis Polonicis, ruptura fiat, aut ad minimum Foederati cauſſam accipiant nectendi moras, ac tempus lucrando laborem hactenus actum fruſtra efficiendi, metuentium. Nam etſi cum Polonis in pleriſque conuentum ſit: eos tamen ſemper Foederatorum intereſſe praetexere, et re infecta abire poſſe. Interea quum ſperetur exitus melior, continuandam eſſe relationem ad Suam Regiam Maieſtatem, et reliqua, quae ſint neceſſaria, remonſtranda. Mandantur itaque et concipiuntur concluſae litterae, quae eodem quoque die perlectae et ſubſcriptae, et in duplo expeditae ſunt, quibus refertur, nos ſperare hodie finem impoſitum iri in his, quae Poloniam concernunt ſolam; vbi deinceps procedendum ſit in his, quae Auſtriam et Electorem coniunctim ſpectant, proiectumque iam heri eum in finem punctum amicitiae, ac Dno Mediatori traditum eſſe. Quoad punctum renunciationis Regis Poloniae, reſeruationem tituli ad vitam concedere nos coactos, (referuntque Suae Excellentiae ſe ad litteras S. R. M. d. 6 elapſi menſis datas) hac tamen ratione, ne Rex vtatur eo ad S. R. M. et Regnum Sueciae, vel Miniſtros aut ſubditos, ſed ad alios tantum, et in Polonia: et e contra S. R. Maieſtas non vtatur toto titulo ad Regem vel Regnum Poloniae, ſed quod tituli etceterabuntur, vti hactenus obſeruatum fuit. Hic Legatio remonſtrat, licet toto hoc tempore ſedulo rem egerint, ac, vt abſolute renunciet Rex,

* Locus ſine dubio truncatus. Adeo nullus inde commodus ſenſus extricari poteſt. Ipſa autem res poſtulare videtur, vt ſcriptum exiſtimemus fuiſſe ad hunc modum:

Rex, poſtulato inſtiterint, ita vt vel rupturam exſpectare, ſine dubio inſtinctu pacis oſorum, et contra quietem publicam laborantium, Poloni reſoluerint, ſe tamen ex rationibus, quas in litteris nudius tertius ad S. R. Maieſtatem ſubiectiſſime datis demonſtraſſent, vidiſſe maiorem difficultatum et labyrinthi molem, ideoque praeter votum et ſententiam non aliter tandem, niſi conſentire potuiſſe. Quare acceptiſſimum ipſis contigerit, quod mandatum S. R. Maieſtatis ſupra dicti diei 6 menſis praeteriti aduentaſſet. Auſtriacis et Electoralibus ſe, omiſſis, quae bellum Polonicum non concernunt, tam facilia poſtulata propoſuiſſe, vt aut pacem inire, aut toto coram orbe laruam ſuam detegere, omniumque et in his quoque Principum ac Statuum Germaniae odium in ſe deriuare illos oporteat. Eliberationem Ducis Curlandiae ſe accordare neceſſitate coactos, ſiquidem Poloni, Electoralium impulſu, prius inire tractatum plane recuſauerint. Totum negotium ſaepius, vt praecedentibus ex Legatorum ſubiectiſſimis relationibus adparere poſſit, criſin paſſum fuiſſe, modo ſpe data ac concepta finem optatum nanciſcendi, modo Caeſarianorum atque Electoralium nouis artificiis illa penitus collapſa. Iſolam iam de nouo rumorem ſparſiſſe, ac ſi Miniſter Gallicus Colobertus (*Colbert*) eo fine Viennam ablegatus fuiſſet, vt inter S. R. M. et Imperatorem, ſpecialem et ſeparatam pacem operetur: qua de cauſſa etiam, re infecta, Vienna abiiſſet. E contra Caeſaream Legationem Regem Poloniae hic requiſiuiſſe, ne ſeparari ſe patiatur, verum conſtans in foedere permaneat, nec alter ſine altero pacem amplectatur. Aulam Polonicam aliquot ante dies nobis approximaſſe, vt vix dimidio ſtadio a noſtra ſtatione illius iam ſtatio diſtet, et quoties Oliuam nobis eundum, indeque redeundum ſit, oportere Karlekouiam (ſic loco nomen eſt) praeterire; interea nullum ſtrepitum aut tumultum animaduerti, neque aliquid hoſtilitatis, licet Polonicis ac noſtris hominibus ſibi inuicem crebro obuiantibus, exerceri. Dictam Aulam non minimo in metu verſari, intellectum eſſe, ne Auſtria, quod artibus nequiuit hactenus, vi tandem ſit effectura, obſeruatiſque praeſentibus temporis momentis, antequam

modum: — *conſultantes de negotio tractatuum. Et erat omnium ſententia, vt, quantum eſſet poſſibile, opus illud maturaretur,* etc.

Digitized by Google

quam Rex Chriſtianiſſimus ad bellum ſe parare, et S. R. M. Dominus noſter Clementiſſimus, ex rebus Daniae eluctari poſſit, conſiderabilem exercitum prima aeſtate in Poloniam, factionum ibidem occaſioni inſeruiens, ductura. Regem Poloniae futura proxime ſeptimana abire velle: vbi manifeſtius fieri oporteat, an Foederati ſerio tractauerint, an vero ad auertendam aliquantum calumniam, et tempus lucrandi gratia, huc vſque ſpeciem tantum pacis deſiderii ediderint. Foedus contra Moſcum, quod Poloni aliquoties per Mediatorem moueri fecerint,* Legatos ſurdis auribus praeteriiſſe, atque in futurum quoque ſibi cauere velle, ne aliquid ea in re ineant. Tandem ſubſidium et media pro deducendo milite vrgent, remonſtrato damno alias inde enaſciturо.

Actum Oliuae d. $\frac{7}{17}$ Aprilis, horis a 11 pomerid.

Nondum aderant in aduentu noſtro Dni alterius partis Legati: diſcurſum eſt paullum de rebus Europae ex nouellis nuperis. Deinde Dn. Mediator, nunciato adeſſe, ad venientes Dnos Polonos ſe contulit. Poſt reditum produxit Dnn. Brandenburgenſium Proiectum alterum, ſuper Articulo de caſſatione conuentionum, foederum et tranſactionum inter S. R. Maieſtatem Sueciae, et Dn. Electorem, quod multis erat repletum tam indignitatibus quam ſuperfluis. Et primo quidem poſtulatum eſt, vt verbum *irreuocabiliter* deleatur, et reliqua praeter morem emphatica. Deinde enumeratio pactorum, num ſit neceſſaria, vt fieri poſſit, Dn. Regni Theſaurarius interrogat. Et concluſum, quod fieri queat, licet non ſit neceſſaria. An formulare vel proiectum eorum accipiendum? et num dignitati reſpondeat? Concluſum, non retinendam ipſorum formulam, ſed noſtris verbis concipiendam. Item, quibus nos renunciemus, iiſdem et Dn. Electorem renunciare oportere.

Dn. Mediator: Vrgere Dnn. Electorales etiam extraditionem Inſtrumentorum. Reſponſum eſt per Dn. Regni Theſaurarium, non eſſe

* Non tantum Poloni Suecos, verum per hos maxime dies etiam Sueci Polonos ſollicitauerant, vt in foedus contra Moſcum coirent. Qua de re quaedam dixi ad PASTORII Diarium, pag. 231. n. **

eſſe e dignitate Regis Sueciae, non moris inter gentes: ideo fieri renunciationem et caſſationem, et quaſi cinerationem, quo non opus ſit retraditione. Ille: Si pro memoria tantum velint reſeruare illa Inſtrumenta, copias ſufficere. Dn. Regni Theſaurarius: Non niſi pro memoria ſeruari, ſed in Originalibus, quia, vt modo dictum eſt, contrarium ſit dignitati Regis illa extradere. Conceptus eſt itaque Articulus hic per Dn. Legatum Gyldenklau, vt ſequitur, et retradito illo Proiecto altero, extraditus Dn. Mediatori. "Et ne occaſione anteactorum lis et diſſidium aliquod oriri poſſit, S. R. Maieſtas Sueciae pro ſe, heredibus ac ſucceſſoribus ſuis, Regibus Regnoque Sueciae, et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, in Pruſſia Dux, pro ſe, heredibus ac ſucceſſoribus ſuis, Electoribus Brandeburgicis, et in Pruſſia Ducibus, virtute huius Inſtrumenti pacis, in perpetuum renunciant pactis, d. $\frac{7}{17}$ Ianuarii An. 1656. Regiomonti, item $\frac{15}{25}$ Iunii praedicti anni Mariaeburgi, tum quae $\frac{10}{20}$ Nouembris eodem An. 1656. Labiauiae inuicem confecta ſunt, vt et aliis omnibus conuentionibus, quae illis adiectae, aut ſeparatim, quocumque tempore, loco modoue, durante hoc bello initae ſunt. Atque ea omnia et ſingula, in omnibus et ſingulis clauſulis, conditionibus et Articulis ſuis, penitus irrita et nulla pronunciant, omnemque ipſis vim et effectum vigore huius pacti praeſentibus et futuris temporibus detrahunt, ita vt neutra pars, eiuſque heredes et ſucceſſores, contra alteram, eiuſque heredes, agnatos, ſucceſſores et prouincias, vbicumque locorum ſitas, eorumque Ordines, ſubditos atque incolas, aut contra S. R. M. eiuſque ſucceſſores Reges Regnumque Poloniae, ex nominatis et indigitatis ſupra pactis, vel aliis quibuſcumque de cauſſis aut praetextibus, nunc et inpoſterum, ſiue ſucceſſionis ſiue alio quocumque titulo quidquam allegare, praetendere aut poſtulare poſſit aut debeat." Dum hoc Proiectum mundatur, alia diſcurruntur: in his, vt Colonelli Reichart et Packmohr reſtituantur, poſtulatur. Dn. Mediator petit in ſchedulam mitti: quod factum eſt: poſtulaturque, vt reſtituatur ſine vlteriori mora, vna cum omnibus ablatis ſuis, vti et litteris ad S. R. M. a Legatione Suecica, autumno praeterlapſo, cum ipſo datis. Deinde poſtulatur, vt milites gregarii praeſidii Strasburgenſis reſtituantur. Dn. Mediator etiam petit ſchedulam. Factum, et poſtulatum eſt, vt ab hoc

 die

die $\frac{7}{17}$ April. intra octiduum Elbingam ſiſtatur praeſidium. Datus quoque eſt Dno Mediatori punctus Amneſtiae cum ſuis §§. partim ex noſtro, partim Polonico Proiecto deſumtus. Vocatus deinde eſt Ducis Croyani ablegatus Mandatarius, qui per Memoriale, Gedani $\frac{31 \text{ Martii}}{10 \text{ April.}}$ datum, Principis ſui deſideria denuo commendauerat. Is docuit iuſtitiam cauſſae, iuſque fundatum poſtulatorum Ducis. Quae Dn. Mediator audiuit, et ad Dnn. Polonos referre de nouo promiſit, abiitque.

Deliberare illos retulit, et ad pacis negotium rediit. Et quidem quoad clauſulam: *Saluis manentibus pactis et foederibus:* in primo Articulo Amicitiae, propoſuit in ſchedula haecce: "Quod inita autem vtrimque pacta adtinet, manent ea in ſuo robore, quoad omnia puncta, Articulos et clauſulas, ita tamen, vt effectus eorum, quoad actiones hoſtiles et molimina bellica; durante pace penitus ceſſet, nec earum praetextu pax praeſens vmquam violetur." Quae quum recuſaretur accipi a nobis, dedit aliam huius tenoris: "Saluis integre et in ſuo robore quoad omnia puncta, Articulos et clauſulas, remanentibus pactis et foederibus a partibus initis, ita tamen, ne valeant contra pacem praeſentem." Quae et ipſa non acceptari potuit, ſed reſponſum eſt per Dn. Regni Theſaurarium, conducere, aut vt foederum plane nulla fiat mentio, aut componatur hic Articulus ad modum Inſtrumenti Pacis Oſnabrugenſis.** In Articulo de caſſatione foederum S. R. M. Sueciae cum Dn. Electore, poſtulant Dnn. Electorales: 1) Vt fiat renunciatio non ſimul mutua et generalis, ſed ordine; nempe primo loco renunciet modernus Rex noſter, deinde ſimiliter Elector: 2) Fiat reſtitutio Originalium eorum, quibus renunciatum fuerit. Reſponſum eſt, primum non habere adeo magnam difficultatem, alterum non dignitati, nec praxi et obſeruantiae populorum conuenire. Dn. Mediator, non debere eorum memoriam ſeruari, quae per amicitiam com-

* Conf. PASTORIVS ad h. d. p. 231.

** Illius pacti formula exſtat in LONDORPII Actis Publ. T. VII. p. 1188. et in PVFENDORFII Comm. de rebus Brandeb. Lib. VI. §. 45. Vnde iuuat verba, quae huc faciunt, repetere: — *Quem in finem S. R. M. Sueciae pro ſe et ſucceſſoribus ſuis Regibus et Regno Sueciae, nunc et in perpetuum pacta feudalia, quae inter S. R. M. et Regnum Sueciae ab vna, et Ser. Suam Elect. ab altera parte, Regiomonti die 7 Ianuarii huius 1656 anni, erecta fuerant, et in quibus praeter alia Ser. Sua Elect. quoque promiſerat, ſe velle praedictum Ducatum Boruſſiae et Principatum Warmiae a S. R. Maieſtate, eiuſque*

complanantur, diſcurrit; ſi tamen pro memoria cuſtodienda ſint haec pacta, Copiam repetiit ſufficere Dnis Suecicis. Reſponſum autem eſt per priora. Igitur quum inſiſtere non poſſet poſtulatis ipſis partis alterius, ad eos ſe recepit. Poſt reditum, produxit de commerciis et depoſitis ſchedulam. "Inter S. R. M. Sueciae Suaeque Serenitatis Electoralis Brandeburgicae, Regni, Prouinciarum, Statuum, ditionum, tam in Imperio Romano, quam extra illud ſitarum, ſubditos et incolas priſtina reſtituantur commercia, et inpoſterum in pleno vigore conſeruentur. Nec alterius ſubditi vel incolae in ditionibus partis alterius negotia ſua exercentes, vel in eaſdem merces ſuas inuehentes, ibidem iure conueniantur, ad reſpondendum adigantur, multo minus in bonis vel perſonis arreſtentur, ſed quiſque in foro competenti conueniatur, exceptis caſibus delictorum, ratione quorum Iure Gentium ſtandum erit. — Si quae bona a S. Serenitatis Electoralis ſubditis vel eiuſdem ditionum incolis in R. S. M. Sueciae Regno, prouinciis vel ditionibus, ante vel ſub tempus huiuſce belli depoſita, vel alio quocumque modo eo delata ſunt, ea ſine vlla mora vel effugiis dominis ſuis reſtituantur." Ad hoc Proiectum reſponſum eſt, non e re eſſe, vt noui fiant Articuli ſeorſum de his, quae iam cum Polonis eiuſdem materiae conuenta ſint; conducere magis, vt, quae eiuſdem farinae ſint, inſerantur Articulis cum Dn. Polonis conuentis, ne bis terue Inſtrumento Pacis inſeri neceſſe ſit. Reliquit nobis ſchedulam ad deliberandum, et iterum abiit.

Poſt reditum retulit, Dnos Electorales et Polonos miſſum feciſſe §phum de retraditione Originalium, ſed velle tamen inſeri verba, quae in pacto, d. d. 10 Nouemb. An. 1656. Labiuienſi, de caſſationibus pactorum feudalium, continentur.°° Reliquit ſchedulam, vt noſtri Dnn. Legati concipiant, prouti libuerit, et conuenire poſſe exiſtiment.

R 2 Diſ-

que ſucceſſoribus Regibus et Regno Sueciae in feudum recognoſcere, cum omnibus aliis Regiomonti die 7 Ianuar. praeterea initis conuentionibus, et ſubſequuta declaratione Mariaeburgenſi, d. 15 Iunii ſt. n. huius anni, hoc ipſo cum omnibus et ſingulis ſuis verbis, clauſulis et Articulis inibi comprehenſis, irrita et nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum hoc ipſo, et virtute huius Pacti penitus et in aeternum detrahit, ipſaque dictorum pactorum Originalia, quum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis, vtrimque ſciſſis, et in cineres redactis habentur, atque in aeternum habebuntur. —

Diſcedendum erat; et ambiguis vtriuſque partis Legatis, Dn. Mediator in ſe ſuſcepit notificationem, bono mane craſtino, an poſt meridiem dicti modo craſtini, congreſſus ſit continuandus, an in Lunae diem, incipiendo a ſeptima matutina, differendus. Venimus Sobothum circa dimidiam nonam veſpertinam. Ceterum in hoc congreſſu, dum Dn. Mediator inter partes iret rediretque, Suae Excellentiae quoque de Diſſidentium a religione Romana in Regno Poloniae Magnoque Ducatu Lithuaniae deſideriis loquuti ſunt, productis per Dn. Regni Theſaurarium, quae, inſtinctu Legationis Brandeburgicae, Dn. Mediatoris Secretarius Suae Excellentiae communicauerat. Quum enim, praeterea quod Stanislaus Lubiniecki * (vt habent Acta hac de re peculiaria) rem publico et priuato nomine ſollicitaret admodum anxie, Dnn. Electorales Legati hoc negotium libentiſſime promouiſſent, Mediatori autem, tamquam Pontificiae religioni addictiſſimo, id non tantum non eſſe cordi praeſumtibile eſſet, verum etiam hac in parte ſuſpectum illum habere liceret, eius Secretario, ſed omnino arcane, hoc deſiderium concedere viſi ſunt: qui illud etiam ſedulo egit. Sunt autem grauamina Diſſidentium haec praecipua.

Grauamina et Oppreſſiones Diſſidentium in Religione Chriſtiana, ſub praetextu Religionis.

Curiae Nobilium. — Domus plebeiorum in ciuitatibus et oppidis, praecipue autem templa ſeu aedes, per Diſſidentes Diuino cultui ſacratae, inuaduntur diripiunturque. Miniſtri Verbi Diuini, et perſonae ſacris hiſce locis ſeruientes, ſpoliatae caeduntur, captiuantur. — Ad abiurandam fidem violentis modis variis adiguntur. — Si id detrectent, exilium ſubire coguntur. — Vexatoriae inſuper actiones inſtituuntur, ratione Concionum habitarum vel auditarum; Sacramentorum adminiſtrationis vel vſus; Viſitationis aegrorum; Copulationum matrimonialium; Exſequiarum funeralium; Templorum in fundis nobilibus aedificatorum; Erectionis ſcholarum, typographiae etc. — Quod omnium grauiſſimum eſt, multis in locis, praecipue vbi Tribunalitia

* De Lubieniecio vid. quae dixi ad PASTORII Diarium p. 254. n. *

nalitia iudicia exercentur, Diſſidentes ad cultum Hoſtiae, contra conſcientiam mulctis pecuniariis, poenisque corporalibus ſeueriſſimis coguntur. — Moderno hocce bello Moſcouitico, in Magno Ducatu Lithuaniae ſeptem templa ademta, ſimulque praedia, villae et fundi Patronis erepti. — Bona Communitati Euangelicorum Magni Ducatus Lithuaniae inſcripta, ſub praetextu Iuris Caduci a milite quodam Lithuanico violenter occupata, huc vſque detinentur etc.

Quibus commota Legatio Brandenburgica, hunc in modum apud Regem Poloniae mediante ſcripto, Gedani d. 2 Aprilis ſt. n. currentis anni dato, intercesſit.

Sacra Regia Maieſtas,

Domine Clementiſſime,

A Sac. Reg. Maieſtate Veſtra nuper admiſſi, ac in iis, quae nomine S. Serenitatis Electoralis, Domini noſtri Clementiſſimi, proponenda habuimus, benigniſſime auditi, ad mandatum S. R. Maieſtatis Veſtrae oretenus propoſita memoriae S. R. Maieſtatis Veſtrae ſcripto humillime commendamus.

Etſi S. Serenitas Electoralis perſuaſiſſimum habeat, S. R. Maieſtatem iuſti aequique adeo amantem, auitorumque inſtitutorum tenacem eſſe, vt ſine nouis cautionibus quiſque S. R. M. V. a Deo immediate ſubditus iurium rerumque ſuarum tutus ſecuruſque viuere poſſit: quia tamen, diuiſa inter Status huiuſce Reipublicae iuriſdictione, praeter voluntatem S. R. M. V. ſaepe contingit, immoderatum nouiſſimiſque motibus multum intenſum religionis zelum eo vſque erumpere, vt, ab aliquot annis, in legibus ipſis haud ſatis praeſidii Diſſidentes in religione Chriſtiana habuiſſe videantur, prout S. R. M. V. ex breuiſſimo illatarum iniuriarum hic annexo Indice euidentius patebit: non poteſt Sua Serenitas Electoralis, quin S. R. M. V. peramanter et officioſiſſime, proque ſingulari fiducia obſecret, quo in praeſenti negotii pacis tractatu omnium imperio ſuo ſubiectorum, cuiuſcumque ſtatus, conditionis et ordinis Diſſidentium, adeo benignam habere rationem dignetur, ne vllus inpoſterum ex cauſſa et occaſione religionis, in vita, bonis, honoreue, vllum patiatur detrimentum, aut aliqua

Digitized by Google

iiſdem, vel vi, vel ſpecie iuris, inferatur moleſtia, multo minus quidquam conſcientiam adgrauans ab aliquo requiratur, ſed libertas religionis eiuſdemque exercitia iuxta confoederationes, pacem inter Diſſidentes cauentes, vſumque ante hoc bellum receptum, in Regno Poloniae Magnoque D. Lithuaniae maneant vigeantque. Connectet firmabitque tali ratione S. R. M. V. diſiectam quadantenus huius Reipublicae compagem, adſeretque non ſolum confinia, ſed et intima eiuſdem ab omni metu.

Suae vero Serenitatis Electoralis ſtudia plane ſibi deuincta habebit, adeo vt qui hactenus pro huiuſce ex Catholico-Romanis potiſſimum conſtantis Reipublicae ſalute, ſtatum vitamque in diſcrimen adducere non detrectauit, vbi communia Sacra ſecum habentes, in tuto collocatos viderit, ſe pro eadem deuouere, ſi opus fuerit, non dubitaturus ſit. Nec vero nouum vel inſolens eſt, quód S. Serenitas Electoralis a Maieſtate Veſtra petit, ſed hoc ipſum, quod Diuorum Anteceſſorum Maieſtatis Veſtrae temporibus introductum, ac ſub fidei, honoris et conſcientiae nexibus ſancte ſeruatum fuit, cuiuſque beneficio hactenus inclita haec Reſpublica vicinorum Statuum naufragia quaſi ex portu ſpectare potuit etc.

Electorales Brandenburgici Legati Plenipotentiarii.

Gedani, d. 2 April. ſt. n. 1660.

Has ad interceſſionales ita Rex reſpondit.

Reſponſum S. R. Maieſtatis ad puncta ab Illuſtriſſimis et Excellentiſſimis Dominis Legatis Brandeburgicis ſcripto propoſita, ex maiori Cancellaria Regni, Gedani, d. — Aprilis, Anno Domini 1660. datum.

Sua Maieſtas Regia, Dn. noſter Clementiſſimus, quo fauore Illuſtriſſimos ac Excellentiſſimos Dnn. Legatos, dum oretenus Suae Maieſtati quaedam nomine Sereniſſimi Electoris Brandenburgici proponerent, audiuit, eodem Scriptum illud accepit Maieſtati Suae oblatum. Atque inprimis gratum habet Sacra Maieſtas Regia, dignum ipſique rei con-

conſonum Sereniſſimi Electoris, de Suae Maieſtatis in aequum et iuſtum amore, auitorumque inſtitutorum tenacitate, ſenſum: facturamque palam in ſe recipit, vt deinceps etiam Sereniſſimo Electori perſuaſiſſimum ſit, S. Maieſtatem Regiam aequi iuſtique maximam rationem habere. Quod vero ad grauaminum, per Nobiles aut Iudices Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae Diſſidentibus in religione iniectorum, illatarumque iniuriarum praetenſionem ſpectat, de his nihil hactenus ſibi conſtitiſſe Sua Maieſtas adfirmat: daturam ſe tamen operam, rebus plane cognitis ac perſpectis, ne quiſquam e ſubditis incoliſque ſuis merito queri poſſit, atque, vt inter Diſſidentes in religione pax conſeruetur, pro ratione iuramenti a ſeſe praeſtiti, elaboraturam. Studia denique Sereniſſimi Electoris erga S. M. S. Regnumque ac Dominia ſibi ſubiecta, prout hactenus pergrata habuit Maieſtas Sua, ſic in poſterum adpromiſſa longe gratiſſima habet, amicabili talione, dum ſeſe tulerit occaſio, reponenda.

Ad mandatum S. R. M. proprium.

Iam optabant Dni Electorales puncto amneſtiae Artic. IX. proiecti noſtri Inſtrumenti pacis §phum talem inſeri: "Ne vllus ex Diſſidentibus in religione Chriſtiana ab Eccleſia Catholica Romana, cuiuſcumque ille ſit ſtatus ſeu conditionis, ex cauſſa et occaſione religionis, in vita, bonis honoreue, vllum patiatur detrimentum, aut aliqua, vel vi, vel ſpecie et praetextu iuris, iiſdem inferatur moleſtia, multo minus quidquam conſcientiam adgrauans ab iis requiratur, ſed libertas religionis eiuſdemque exercitia, iuxta Confoederationes, pacem inter Diſſidentes de religione cauentes, vſumque ante hoc bellum receptum, in Regno Magnoque Ducatu Lithuaniae, et aliis Reipublicae prouinciis, illibata maneant vigeantque, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium ſancitis." Deliberarunt ergo Suae Excellentiae: et inſeri poſſe quidem Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius exiſtimauit; num vero Poloni ſint admiſſuri, dubitauit. Dn. Comes Oxenſtierna, ſiquidem religio praetextus tantum ſit oppreſſionis et expulſionis eorum, qui partes Suae Regiae Maieſtatis ſequuti ſunt, pro illis merito ſermonem inſtitui, et, quantum poſſibile erit, ipſis adſiſtere aequum eſſe: idque vel propter dignitatem Regiam, quia propterea

Digitized by Google

pterea quod partibus Suecicis adhaeſerint, omnia ſua non bona tantum, ſed liberos quoque, amicos, dignitates et fortunas amiſiſſent; Rex vero glorioſiſſimae memoriae auxilia et manutentionem ipſis promiſiſſet. Dn. Comes Schlippenbach: Qui partes noſtras ſequuti fuiſſent, illis merito adſiſti, idque per amneſtiam generalem fieri; propter Arianos vero, pacem remorari Legationem noſtram non poſſe. Dominus Legatus Gyldenklau: Religionis negotium in Polonia non vrgendum, vel etiam vrgeri, a nobis propter Arianos aut Socinianos, ſiue Antitrinitarios, vel, vt ſe vocant, Vnitarios, ſed propter Diſſidentes a religione Pontificia omnes, idque non modo propter religionem Proteſtantium, verum etiam propter intereſſe commune: ſiquidem negari non poſſit, ſi per decreta nouiſſima, durante hoc vltimo bello lata, primum Vnitarii pellantur ex Polonia, Pontificios deinde, vi eorumdem decretorum, Reformatos et Auguſtanae Confeſſionis homines perſequuturos eſſe: quod autem maxime praeiudicet non modo omnibus Euangelicis, ſed et firmiorem vnionem in Polonia cauſſaturum ſit, publico aliquando nocituram. Dn. Regni Theſaurarius concludit ex maioribus, ſubnectendam ſupra memorato Articulo hunc §phum eſſe, et ſimul ſuo loco extradendum. Inſertus eſt.

Conceptus quoque iam nudius quartus fuerat Articulus de reſtitutione bonorum Principis Ianuſſii Radziuilii, Palatini Vilnenſis, et exercituum Magni Ducatus Lithuaniae Ducis Generalis Primi, hunc in modum: "Etſi in ſuperius expreſſo Generalis Amneſtiae Articulo, omnium partes Suecicas ſequutorum reſtitutio in poſſeſſiones, iura, priuilegia ac conſuetudines generales et ſpeciales, quibus ante hoc bellum gauiſi ſunt, cauta eſt: nihilominus ſpecialiter cauetur, et moderna pactione decernitur, vt bona Illuſtriſſimi Principis Dn. Ianuſſii Radziuilii, S. R. M. P. Palatini Vilnenſis, et exercituum M. D. L. Ducis Generaliſſimi, nuper defuncti, eiuſque adhaerentium, pendente bello ab exercitu M. D. L. occupata et huc vſque retenta, ſine proceſſu iuris indilate ante euacuationem locorum in Pruſſia et in Curlandia occupatorum legitimis ſucceſſoribus et poſſeſſoribus reſtituantur, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, declarationibus verbalibus et litteralibus, et iuris vel facti exceptionibus, quaecumque in derogationem huius

ius

Digitized by Google

ius Articuli allegari poſſent, et liceat iure agere cum illis, qui praefata bona per vim occuparunt, de reſtitutione fructuum ex iis perceptorum, et damnorum illatorum recompenſatione.“ Sed quum proponeretur Dno Mediatori, difficulter hoc Proiectum accepturos Polonos dixit; nihilominus tamen illis ſe daturum promiſit. Quum vero rediiſſet, reiectum eſſe reſpondit. Abitum eſt.

Actum Sobothi d. $\frac{8}{18}$ Aprilis, hora VII matut.

Illuſtriſſimus Dn. Regni Theſaurarius proiecerat manu ſua, et ex ſchedula ſua Secretario Legationis dictauit, poſtea cum Dnis collegis deliberandum, quod Reſolutionis loco Legationi Caeſareae declarandum ac intimandum Sua Excellentia exiſtimauit, ſuper abſoluendis breuem per methodum, quae cum Imperatore ſolo tractanda hic ſunt, haud intermixtis iis, quae ad Germaniam ſpectant, ſed tantum admiſſis, quae bellum hoc Polonicum concernunt, ſpe reſeruata indubia, S. R. M. Dno noſtro Clementiſſimo in iuſtiſſimis eiuſdem deſideriis ex Inſtrumento Pacis Oſnabrugenſis in Conuentu vel Comitiis Imperii ſine mora ſatisfactum iri, prouti ſchedula haec mentem Illuſtriſſimae Excellentiae Suae exhibet.

“Etſi Legatio Suecica deſiderare poſſet aequiſſime, vt ea, in quibus hactenus Sereniſſimus Imperator controuerſias Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae mouit, circa Pacis Oſnabrugenſis plenariam executionem, hoc Tractatu in totum complanentur: tamen ad reſcindendam omnem vlteriorem moram, id pacis ſtudio et ſecuritati Imperii dandum cenſuit, vt freti illa indubitata ſpe, ſatisfactum iri iuſtiſſimis S. R. M. Regnique Sueciae deſideriis, quae praedictae pacis Inſtrumento nituntur, in hoc Conuentu Francofurtenſi, vel ad vltimum in proximis Comitiis Imperii, ſine vlla vlteriori mora aut impedimento, hiſce declarare voluerit, ſe acceptare, quemadmodum et hiſce acceptat, Legationis Caeſareae Proiectum in omnibus ſuis Articulis, excepta ſolum ſupra modum extenſa guarantia, et his ſubſequentibus cautelis. Ad Articulum etc. Addatur: — Mutetur:“ —

Hiſce ita per mutuam conuentionem peractis et concluſis, nempe primo praemittendum eſſet hoc exordium; deinde ad quemuis

Articulum vel addendum, vel mutandum, a quo cauendum ſibi Legatio noſtra neceſſarium iudicauerit; ac tandem fieret Epilogus rei adaptatus. Dehinc Articulus de commerciis cum ſubditis Electoralibus, tam in genere, quam in ſpecie, vt et de depoſitis, qualem Legatio Brandeburgica heri per Dn. Mediatorem proponi, et in charta ſeu ſchedula, vti iam in reliquis quoque per totum congreſſuum tempus receptum eſt, proiectum, tradi nobis fecerat, reuidetur, et iuſſu Excellentiae Suae in margine adiiciuntur notae, ſimiliter deinceps collegialiter ventilandae.

Inter S. R. Maieſtatis Sueciae Suaeque Serenitatis Electoralis Brandeburgicae, Regni, prouinciarum, ſtatuum, ditionum, tam in Imperio Romano, quam extra illud ſitarum, ſubditos ac incolas priſtina reſtituantur commercia, ac inpoſterum in pleno vigore conſeruentur.

[Haec inſeri poterunt Articulo, cum Dnn. Polonis iam tranſacto, de Commerciis.]

Nec alterius ſubditi vel incolae in ditionibus partis alterius negotia ſua exercentes, vel in eaſdem merces ſuas inuehentes, ibidem iure conueniantur, ad reſpondendum adigantur, multo minus in bonis vel perſonis arreſtentur, ſed quiſque in foro competenti conueniatur, exceptis caſibus delictorum, ratione quorum Iure Gentium ſtandum erit.

[Hic obſeruabuntur Ius Commune et Publicum, ſaluaque manebunt cuiuſque loci priuilegia et ſtatuta particularia, omniaque in ſtatu priſtino, qualis ante hoc bellum fuit, relinquentur.]

Si quae bona a Suae Serenitatis Electoralis ſubditis vel eiuſdem ditionum incolis, in R. S. Maieſtatis Sueciae Regno, prouinciis vel ditionibus, ante vel ſub tempus huiuſce belli, depoſita, vel alio quocumque modo eo delata ſunt, ea ſine vlla mora vel effugiis dominis ſuis reſtituantur.

[Hic §phus ad modum de Depoſitis, hiſce diebus cum Dnn. Polonis conuenti Articuli conformabitur, et illi ſubnectetur.]

Et quia non modo longum, ſed et ſuperfluum foret, omnia, quae cum Dnn. Polonorum Articulis eiuſdem naturae ſunt, de nouo pertractare, ac deinde rem eamdem bis terue Inſtrumento Pacis inſerere: idem ſenſus erit de reliquis, quam de hiſce hic praemiſſis. Poſtea

Digitized by Google

ea Articulum de renunciatione foederum, conuentionum et pactorum cum Dno Electore initorum, ita corrigere et ſupplere iuſſit Illuſtriſſimus. "Et ne occaſione anteactorum lis et diſſidium aliquod oriri poſſit, S. R. M. Sueciae, pro ſe, heredibus ac ſucceſſoribus ſuis Regibus Regnoque Sueciae, virtute huius Inſtrumenti, quam fieri poteſt validiſſime, in perpetuum et irreuocabiliter renunciat pactis d. $\frac{7}{17}$ Ianuarii An. 1656. Regiomonti, item $\frac{15}{25}$ Iunii praedicti Anni Mariaeburgi, tum quae $\frac{10}{20}$ Nouembr. eodem Anno 1656. Labiauiae, inter Sereniſſimum Sueciae Regem nuper defunctum, et Suam Serenitatem Electoralem confecta ſunt, vt et aliis omnibus conuentionibus, quae illis adiectae, aut ſeparatim, quocumque tempore, loco, modoue, durante hoc bello initae ſunt. Atque ea omnia et ſingula in omnibus et ſingulis clauſulis, conditionibus et Articulis ſuis, penitus irrita et nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum, hoc ipſo et virtute huius Pacti, penitus et in aeternum detrahit, ita vt contra Suam Serenitatem Electoralem Brandeburgicam, eiuſque heredes, agnatos, ſucceſſores, prouincias in et extra Imperium ſitas, vel in ſpecie in Ducatum Pruſſiae ac eiuſdem Ordines ac incolas, aut contra S. R. M. eiuſdem ſucceſſores Reges Regnumque Poloniae, ex nominatis et indigitatis ſupra pactis vel aliis, quibuſcumque etiam de cauſſis aut praetextibus, nunc et inpoſterum, ſiue ſucceſſionis ſiue alio quocumque titulo, nomine Regis, Regum ſucceſſorum ac Regni Sueciae quidquam allegari, praetendi aut poſtulari nec poſſit nec debeat. Quare praememoratorum pactorum et conuentionum Originalia cum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis, vtrimque ſciſſis et in cineres redactis habentur, atque in aeternum habebuntur, adeo vt pacta haec abolita, contra Serenitatem Suam Electoralem et eius ex legitimo matrimonio deſcendentes ſucceſſores maſculos, inpoſterum nulla penitus ratione allegari, vel S. R. M. eiuſque ſucceſſores Reges Regnumque Sueciae illis vti poſſint vel debeant. Quemadmodum et Sereniſſimus Elector quam fieri poteſt validiſſime, vigore huius Inſtrumenti, pro ſe, heredibuſque ac ſucceſſoribus ſuis, declarat, nihil vel ſe vel ſucceſſores ſuos ex praedictis pactis, contra S. R. M. Regnumque Sueciae, praetenſurum." Tandem ſi conſenſerint Dnn. Legati reliqui, Sua Excellentia dare litteras ad Dn. de Lumbres neceſſarium duxit:

nimirum, poſtquam fauente hactenus Diuino Numine, res cum Sereniſſimo Rege Requepublica Poloniae pertractandae, eo iam tranſactae fuerint, vt pauciſſima et ea minutiſſima ſuperſint, quae in vna vel altera conferentia, ſi ſtudio, quod neutiquam praeſumat Legatio Suecica, haud nectatur mora, complanari poſſint, reſtare, vt ad ea, quae Polonis cum Foederatis communia ſunt, vti et illa, quae ſingulos eorum concernunt, progrediantur. Quum autem Confoederatorum duo tantum ſint, S. Caeſ. Maieſtas et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, (concluſa enim in Seelandia pace, negotium Regis Daniae, non negante ipſo ipſius Gedani degente Miniſtro, plane ceſſare,) parum eſſe futurum difficultatis, quia omnia, quae rationi et aequitati conſentiunt, nos acceptauerimus, atque in reliquis mentem noſtram per incluſam hic declarationem Dni Mediatoris Excellentiae peramice notificemus, ita vt intra tres quatuorue dies tractatui finem imponendi, ac pacem generalem concludendi, ſpes ſit: nam quae maximi momenti eſſe videntur, guarantia et generalis foederum renunciationis Articuli, tam aeque ad iſtos (etiamſi praepoſtere et contra ordinem illa propoſita fuerit; haec iamdudum, in primo puncto amicitiae nimirum, pertractari debuiſſet;) Dnn. Legatos ſe declaraſſe, vt quiuis actionum ſuarum non iniquus cenſor facile ipſis ſit adſtipulaturus. Quid enim deſideretur amplius, ſi aut plane nulla fiat in Pacis Inſtrumento foederum mentio, aut ad eum modum, qui in pactis Oſnabrugenſibus exprimitur, iſte Articulus concipiatur, nec logomachia inani tempus inutiliter teratur. Quoad guarantiam vero, liberum Sueciae ſit, tum eos ad eamdem inuitare et rogare Poteſtates, quae et ipſa volet, et voluntati Regis Regnique placebunt, neque a ſtatu et intereſſe eorum aberunt, tum et eam praeſtare, cum quibus hac de conuenire e re ſua iudicauerit, relicto quoque parti alteri mutuae guarantiae arbitrio. Committendum igitur Excellentiae eius curae et auctoritati ſe duxiſſe, pro ſua dexteritate negotium ad optatum tandem finem promouere ne grauetur, ſiquidem elapſis tot menſibus extendere tempus tractatuum vltra octiduum neque conducere, neque in ſua Legationis Suecicae poteſtate conſiſtere. Tempus poſtulabat vacare concioni Diei Dominicae; interea haec in Cancellaria in mundam chartam mittuntur.

Actum

Actum Sobothi d. $\frac{8}{18}$ Aprilis, poſt meridiem.

Abſente Dn. Comite Schlippenbach, qui propter valetudinem ſe excuſauit. — Peracto prandio, Suae Excellentiae diſcurſus inſtituunt ſuper his, quae hodie ante concionem Dn. Regni Theſaurarius mundari iuſſerat: ſed nihil concluditur, verum in craſtinum differtur, conſentientibus Dno Comite Oxenſtierna, et Dno Legato Gyldenklauio, prius expectandum eſſe, quid craſtina conferentia ſit ſuppeditatura. Inprimis haeſerunt in his: 1) An per expreſſum res remittenda ſit Francofurtum, aut ad proxime futura Comitia. 2) Num audendum dicere Mediatori, non eſſe in poteſtate Legationis noſtrae, tractatum vltra tempus octidui extendere. 3) Quod forte non conducat nimium properando adtentos reddere partis alterius Legatos, quibus etſi anguſtiae praeſentes, non minus quam nobiſmet ipſis, notae eſſe poſſint, eos tamen per nos, ſi nimis vrgeamus finem negotii, non confirmandos. 4) Tempus quoque requiri ad collegialiter adhuc percurrendum ea, quae ad quemuis Caeſarianorum Articulum vel addenda ſint, vel mutanda. Dn. Regni Theſaurarius moram nobis nocere verendum eſſe opponit, cumprimis praeſidiis noſtris, ob penuriam ac inopiam primo quoque die perituris, et quod metus accedat, ceu antea dictum eſt, ne Aula Polona rebus non complanatis abeat, ſe maturandi negotii cauſſa haecce propoſuiſſe. Dn. Comes Oxenſtierna et Dn. Legatus Gyldenklau zelum et ardorem ſuum ſimiliter conteſtantur. Conſentiunt, vt exſpectetur, quid futurum ſit craſtina.

Circa quintam pomeridianam, Dn. Mediator S. Excellentias Dnn. Legatos noſtros viſitauit, Sobothi: diſcurſum eſt ſtando de variis. Poſtquam autem paullo conſederunt, ille proponit medium concludendae penitus pacis cum Polonis, ſi Legatio Suecica perſuaderi ſibi patiatur Mariaeburgi euacuationem: praetexi armiſtitium poſſe, et ſecrete pacem tractari. Noſtri, deliberandum ſuper hoc, reſpondent; Mariaeburgum tradere ante concluſam et ratificatam pacem, periculoſum; ab armiſtitio vel antehac, certo tamen modo, ſe non fuiſſe alienos. Conſiderandam vero eſſe poſſibilitatem et ſecuritatem, videlicet, an ſecuri eſſe poſſint de ſubſequutura ratificatione Regis et Reipublicae. Dn. Mediator ideo armiſtitium praetexendum, quo ſub illius ſpecie

pax plane confici in ſecreto poſſit. Ratificationem ſequuturam, dubium non eſſe. Poſt hinc inde habitos pro et contra diſcurſus, concluditur, vt Dn. Mediator rem dextre experiatur apud Dnos Polonos: ſi non alius effectus ſit futurus, tamen exploratum iri, quae ſit mens alterius Legationis. Quibus, praeuiis curialibus, diſceſſit Oliuam, vbi bono mane, et maturius quam alias conſueuerunt, Dnn. Poloni et Confoederati adeſſe promiſerunt.

Actum Oliuae d. $\frac{9}{19}$ *Aprilis, horis a* VII *matut.*

Dn. Mediator obuius deduxit Dnos Plenipotentiarios in conclaue, et deinde ſe ad Dnn. Polonos recepit. Reuiſi ſunt Articuli de renunciatione pactorum, inter S. R. M. et Dn. Electorem initorum, et de commerciis d. $\frac{7}{17}$ April. a Dn. Mediatore productus, et á nobis concipitur, vt habet hodiernum Proiectum. Poſt reditum, Dn. Mediator propoſuiſſe ſe retulit et de armiſtitio, et quod intra octiduum pax concludatur; item de guarantia;* exſpectare iam, quid reſponſuri ſint alterius partis Dni Legati; ad minimum comperturum, quae ſit mens Confoederatorum. Placuit Dnis Legatis noſtris. Deinde diſcurſum eſt de inſertione Articulorum in forma Inſtrumenti pacis. Atque Dn. Regni Theſaurarius, eſſe quaedam, quae debeant extendi, et quidem hoc reſeruatum eſſe a nobis, dixit. Dn. Mediator: Pauca eſſe. Iam de ceſſionis diplomate ſollemni, quod datura ſit Reſp. Polona, loquuti ſunt. Dn. Mediator, non opus eſſe, cenſere dixit Dnos Polonos, quum ceſſio fiat ſatis ſollemniter in Inſtrumento Pacis publico. Dn. Regni Theſaurarius: Legationem Suecicam habere in mandatis hoc poſcere. Reſpondit, Dn. Gyldenklau: Electorem Brandeburgicum ſpeciali diplomate ceſſiſſe Pomeraniam, etiamſi ceſſio facta ſit ab Imperatore in Pacis Oſnabrugenſis Inſtrumento. Remiſſa eſt haec quaeſtio, donec Articuli duo ſupra memorati, renunciationis pactorum et commerciorum depoſitorumque in ditionibus Electoralibus, complaciti fuerint. Traditur Dn. Mediatori Proiectum Electoralium de commerciis et depoſitis, nudius tertius adlatum, cum adiectis heri notis noſtris, vti et

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 232.

et Articulis de renunciatione pactorum cum Electore, ſicuti hodie prima vice Legatio noſtra illum correxit, ex Proiecto Electoralium. "Et ne occaſione anteactorum lis et diſſidium aliquod oriri poſſit, S. R. M. Succiae pro ſe, heredibus ac ſucceſſoribus ſuis Regibus Regnoque Succiae, virtute huius Inſtrumenti, quam fieri poteſt validiſſime, in perpetuum et irreuocabiliter renunciat pactis d. $\frac{7}{17}$ Ianuarii An. 1656. Regiomonti, item $\frac{15}{25}$ Iunii praedicti An. Mariaeburgi, tum quae $\frac{10}{20}$ Nouembr. eodem anno 1656. Labiauiae, inter Sereniſſimum Succiae Regem glorioſſimae memoriae nuper defunctum, et S. Serenitatem Electoralem confecta ſunt, vt et aliis omnibus conuentionibus, quae illis adiectae, aut ſeparatim, quocumque tempore, loco, modoue, durante hoc vltimo bello Polonico et reſpectu eius initae ſunt. Atque ea omnia et ſingula in omnibus et ſingulis clauſulis, conditionibus et Articulis ſuis, penitus irrita et nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum, hoc ipſo et virtute huius pacti, penitus detrahit, ita vt contra Suam Serenitatem Electoralem Brandeburgicam, eiuſque heredes, agnatos, ſucceſſores, prouincias, vbicumque locorum ſitas, et in ſpecie in Ducatum Pruſſiae ac eiuſdem Ordines et incolas, aut contra S. R. M. eiuſdem Succeſſores Reges Regnumque Poloniae, ex nominatis et indigitatis ſupra pactis, nunc et inpoſterum, ſiue ſucceſſionis ſiue alio quocumque titulo, nomine Regis, Regum ſucceſſorum ac Regni Succiae nil quidquam allegari, praetendi aut poſtulari poſſet. Quare praememoratorum pactorum et conuentionum Originalia quum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis vtrimque, ſciſſis et in cineres redactis, vt in Tractatu Labiauienſi expreſſum eſt, habentur, atque in aeternum habebuntur: quemadmodum et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, in Pruſſia Dux, quam fieri poteſt validiſſime et irreuocabiliter, vigore huius Inſtrumenti, pro ſe, heredibuſque ac ſucceſſoribus ſuis profitetur, nihil vel ſe, vel heredes ac ſucceſſores ſuos, ex praedictis pactis et conuentionibus contra S. R. M. Regnumque Succiae praetenſurum nunc et in perpetuum, ac ſupra memoratis pactis omnibus itidem renunciat, ac ea pro retraditis, ſciſſis et in cineres redactis nunc et in aeternum declarat, ita vt nullam vim et effectum in aeternum ſint habitura. Atque haec dicta non extendantur vltra ea, quae in Pruſſia ſunt concluſa, ſaluis per omnia Pacificatione Oſnabrugenſi

brugenſi, et pactis inter Sereniſſimam Reginam Sueciae Chriſtinam et Electorem Stetini conuentis."

Itaque Dn. Mediator ad alteram partem ſe recepit. Interea Dnn. Legati noſtri reuident heſternum Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarii Proiectum vltimae Reſolutionis, pro Legatione Caeſarea, ſuper acceptatione Proiecti eorum: et Dn. Regni Theſaurarius manu ſua mutat hoc modo. "Etſi Legatio Sueciae deſiderare poſſit aequiſſime, vt ea, in quibus hactenus Sereniſſimus Imperator controuerſias Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae mouit, circa Pacis Oſnabrugenſis plenariam executionem, hoc tractatu in totum complanarentur: tamen ad praeſcindendam omnem vlteriorem moram, id pacis ſtudio et ſecuritati Imperii Germanici dandum cenſuit, vt freti illa indubitata ſpe, ſatisfactum iri iuſtiſſimis S. R. M. Regnique Sueciae deſideriis, quae praedictae Pacis Inſtrumento nituntur, ſine vlla vlteriori mora aut impedimento, hiſce declarare voluerit, ſe nomine S. R. M. Sueciae acceptare, quemadmodum et hiſce acceptat, Legationis Caeſareae Proiectum in omnibus ſuis Articulis, excepta ſolum ſupra modum extenſa guarantia, et his ſubſequentibus cautelis.

Ad Articulum etc. Addatur: — Mutetur:" —

Hiſce ita per mutuam conuentionem peractis et concluſis, ad exoptatum finem et omnimodam ac ſtabilem reconciliationem perductum erit hoc negotium, magno totius orbis Chriſtiani bono.

Quoad guarantiam, quum omnia dependere a libera ſecuritate partium debeant, integrum ſit Sueciae, tum eas in eamdem rogare Poteſtates, quae ipſae volent, et voluntati Regis Regnique placebunt, neque a ſtatu et intereſſe eorum aberunt, tum et eam praeſtare iis tantum, cum quibus hac de re conuenire e re ſua iudicauerit, relicto parti alteri itidem mutuae pro lubitu guarantiae arbitrio. — Dn. Mediator adtulit, Dnn. Electorales in renunciationis pactorum Articulo deſiderare, vt deleantur verba: *vt in Labiauienſi expreſſum eſt:* item ſuperfluam eſſe clauſulam, *Atque haec non extendantur* etc. ſaluatoriam in praedicto Articulo, quia hic loquantur tantum de rebus in Pruſſia, et occaſione huius belli Polonici actis. Nos exſpectabimus eorum plenariam reſolutionem, deinde ad iſta duo reſponſuri. Diſcurſa ſunt nonnulla de amneſtiae puncto, vbi Dn. Mediator proponit, vt non fiat ſpecia-

Digitized by Google

ſpecialis ciuitatum Thorunii, Elbingae et Mariaeburgi mentio, ſed Articulus amneſtiae generalibus verbis, omnia tamen particularia comprehendentibus, concipiatur. Diſputatum eſt hinc inde, quantum patiebatur pacis negotium, et $\frac{7}{17}$ April. hoc modo proiectus et Dn. Mediatori extraditus erat Punctus Amneſtiae cum ſuis §§. omnibus.

Punctus Amneſtiae.

1) Sit vtrimque perpetua obliuio et amneſtia eorum omnium, quae quocumque loco modoque, a quacumque paciſcentium parte, hactenus hoſtiliter facta ſunt, ita vt nec eorum, nec vllius alterius rei cauſſa vel praetextu, vlla pars alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, ſpecie iuris aut via facti, inferat, aut per ſuos vel per alios inferri faciat, aut patiatur.

2) Hac generali amneſtia gaudeant omnes et ſinguli, cuiuſcumque ſtatus, conditionis et religionis fuerint, vt et omnes communitates, quae ab vtrimque partes hoſtiles ſequutae ſunt, aut in hoſtilem poſſeſſionem deuenerant, fruenturque, ita vt vniuerſi et ſinguli, poſſeſſionibus, iuribus, priuilegiis ac conſuetudinibus ſuis generalibus et ſpecialibus, tam in Eccleſiaſticis quam ciuilibus et profanis, quibus ante hoc bellum gauiſi ſunt: nec vlla actio, ratione adhaeſionis hoſti, vel communitatibus vel priuatis intentabitur: neminique licebit ob protectionem hoſtilem ſuſceptam alicui negotium faceſſere, aut eam exprobrare.

3) Iura, priuilegia, libertates, immunitateſque omnium et ſingulorum, qui partes hoſtiles ſequuti ſunt, adeoque communitatum et ciuitatum, quibus ante hoc bellum potiti ſunt, ab vtrimque redintegrabuntur et redintegrantur.

4) Inprimis Sereniſſimus Rex ac Reſp. Poloniae ciuitates Pruſſiae Regalis ac territoria, earumque magiſtratus, communitates, ciues, incolas ac ſubditos, omni meliori modo indemnes praeſtet, omnique clementia ac gratia inpoſterum proſequatur, foueat ac tueatur; gaudeantque et fruantur vniuerſi et ſinguli poſſeſſionibus, iuribus, priuilegiis ac conſuetudinibus ſuis tam generalibus quam ſpecialibus, tum in Eccleſiaſticis et libero religionis Euangelicae exercitio, ſicut hactenus viguit,

et a Sigiſmundi Auguſti temporibus Reges Poloniae illud in vniuerſa Pruſſia conceſſerunt, confirmarunt et decretis roborarunt, tum Politicis ac Secularibus ſine exceptione, quibus ante hoc bellum gauiſi ſunt.

5) Atque inter eas ciuitates, quae in Culmenſi Palatinatu ſitae, et ante hanc pacificationem in poteſtatem S. R. M. Poloniae redactae ſunt, hic comprehendantur: et Thorunium quidem gaudeat inuiolabiliter hiſce omnibus ſupra memoratis, tum in ſpecie S. R. M. Poloniae tempore occupationis adſtipulatis conditionibus, nec vlla ratione ad compenſationem vel reaedificationem deſtructarum ex occaſione huius belli et obſidionis aedium ſacrarum et publicarum, aut refuſionem alteris damni adſtringatur. Eodem iure gaudeant etiam Graudentum et Strasburgum, et per omnia maneant ac conſeruentur in eo ſtatu, quo erant ante bellum.

6) Ciuitas Elbingenſis cum priſtino ſuo territorio, tam in continenti quam in vtraque inſula, inuiolabiliter conſeruetur in eo iure ac ſtatu, quo fuit ante hoc bellum, tum ratione vſus ſigilli terrarum Pruſſiae, tum conſueto ſeſſionis loco, ſaluo item Priuilegio Caſimiri Regis de An. 1454. Valla item ac fortalitia omnia ad vrbem, tum ante hoc quinquennale bellum, tum eo durante exſtructa, maneant ac relinquantur in eo ſtatu, quo nunc ſunt, et in eadem cuſtodia ac praeſidio ciuitatis, vti ante bellum. Munimentorum autem in territorio ciuitatis, hoc bello, exſtructorum ratio ſit eadem, quae fuit ante bellum.

7) Mariaeburgum praeterea exercitio religionis libero, vt ante, ita inpoſterum et nunc quoque fruatur. Aedificia publica et priuata, per iniuriam belli deſtructa, reaedificare ipſi concedatur; pro his vero, quae ſine ſcitu et conſenſu eius ex iuſſu Generalitatis Suecicae demolita ſunt, minime teneatur: ad praeſtanda iura caduca non obligetur: arrhenda et diſpoſitio agrorum et domuum, qua ſub Polonico Regimine vſi ſunt, ipſi quoque in futurum maneat: et tandem cadauera Euangelicorum in locis, vbi ſepulta ſunt, non turbentur.

8) Cunctae actiones vel inquiſitiones aduerſus illos, qui partes Sereniſſimi Regis Succiae hoc bello ſequuti ſunt, aut ſequuti eſſe inſimulantur, quibuſcumque in locis Poloniae, Lithuaniae, Pruſſiae ac Curlandiae

Digitized by Google

landiae habitent, cuiuſcumque etiam ſint ordinis et religionis, ſiue priuati vixerint, ſiue officio publico functi, ac ſeruitiis S. R. M. Sueciae ſago vel toga obſtricti fuerint, inſtitutae et nondum finitae ceſſent: et in quibus ſententia lata eſt, ea abrogetur, omnique careat exequutione in perpetuum: et inpoſterum contra eos nulla vmquam quaeſtio vel actio ex hac cauſſa inſtituetur.

9) Quae durante bello, iure fiſci, vel ex occaſione protectionis aut adhaeſionis alterius partis cuiquam adempta, et vel fiſco illata, vel aliis collata ſunt bona, ſiue Regia ac Reip. ſiue etiam priuatorum ſint, mobilia quidem, ſi tradita ſint, modernis poſſeſſoribus relinquantur; ſi vero eiuſmodi iura caduca hactenus in exequutionem deducta non ſint, antiquis poſſeſſoribus relinquantur: neque vlla actio dehinc, aduerſus communitates aut priuatos, ratione depoſitorum eiuſmodi bonorum intentetur. Bona vero immobilia, quorum donationes et largitiones factae ſunt, ſiue iam ante tradita, ſiue nondum tradita ſint, maneant penes antiquos dominos, ceſſantibus de cetero omnibus actionibus ratione redituum, ſiue ex publicis, ſiue priuatis bonis perceptorum.

10) Si quae bona mobilia vel immobilia, in Regno Poloniae Magnoque Ducatu Lithuaniae annexiſque prouinciis exiſtentia, ſiue nobilibus, ſiue plebeiis, cuiuſcumque religionis, ſtatus ac conditionis, ex occaſione vel praetextu protectionis S. R. M. Sueciae, pendente bello ablata ſunt, illa ſine proceſſu iuris intra ſpatium trium abhinc menſium iis reſtituantur: non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis ac declarationibus, aliiſue iuris vel facti exceptionibus, quae in derogationem huius Articuli allegari poſſent. Nec liceat inpoſterum Suecicam protectionem alicui exprobrare, ſed vnuſquiſque priſtinis ſuis dignitatibus, bonis atque fortunis, quibus antea gauiſus eſt, fruatur.

11) Nec denique vllus ex Diſſidentibus in religione Chriſtiana, ab Eccleſia Catholica Romana, cuiuſcumque ille ſit ſtatus ſeu conditionis, ex cauſſa et occaſione religionis, in vita, bonis, honoreue, vllum patiatur detrimentum, aut aliqua, vel vi vel ſpecie et praetextu iuris, iiſdem inferatur moleſtia, multo minus quidquam conſcientiam adgrauans ab iis requiratur: ſed libertas religionis eiuſdemque exercitia iuxta Confoederationes, pacem inter Diſſidentes de religione ca-

T 2 uentes,

Digitized by Google

uentes, vſumque ante hoc bellum receptum in Regno Magnoque Ducatu Lithuaniae et aliis Reipublicae prouinciis, illibata maneant vigeantque, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium ſancitis.

12) Qui S. R. M. Sueciae Confoederatorum, vtpote Celſiſſimi Principis Tranſſiluaniae et militiae Zaporouianae, partes ſequuti ſunt, illi omnes amneſtia plenarie gaudebunt, nec aduerſus eos actiones vllae eo nomine poſthac inſtituantur, et ſi quae inſtitutae ſunt, caſſentur et abrogentur.

Iam autem ita reformatur.

1) Sit vtrimque perpetua obliuio et amneſtia eorum omnium, quae quocumque loco modoque, a quacumque paciſcentium parte, hactenus hoſtiliter facta ſunt, ita vt nec eorum, nec vllius rei cauſſa vel praetextu, vlla pars alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, ſpecie iuris aut via facti, inferat, aut per ſuos vel per alios inferri faciat, aut patiatur.

2) Hac generali amneſtia gaudeant omnes et ſinguli, cuiuſcumque ſtatus, conditionis et religionis fuerint, vt et omnes communitates, quae ab vtrimque partes hoſtiles ſequuti ſunt, aut in hoſtilem poteſtatem deuenerant. Et ne vlli hoc bellum ſit praeiudicio, et noxae in ſuis iuribus, priuilegiis et confoederationibus, Sereniſſimus Rex et Reſpublica Poloniae relinquit omnes et ſingulos in eo exercitio religionis, quo in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniae, annexiſque prouinciis ſecundum Conſtitutiones Reip. viguit ante hoc bellum, et a Sereniſſimis Poloniae Regibus confirmatum fuit, ita vt vniuerſi et ſinguli poſſeſſionibus, iuribus, priuilegiis ac conſuetudinibus ſuis generalibus ac ſpecialibus, tam in Eccleſiaſticis quam ciuilibus et profanis, quibus ante hoc bellum gauiſi ſunt, in totum fruantur; nec vlla actio ratione adhaeſionis hoſti, vel communitatibus vel priuatis intentetur; nemo etiam ex cauſſa et occaſione religionis, cuiuſcumque ille ſit ſtatus ſeu conditionis, in vita, bonis, honoreue vllum patiatur detrimentum, aut aliqua, vel vi vel ſpecie et praetextu iuris, eidem inferatur moleſtia, multo minus quidquam conſcientiam adgrauans ab vllo requiratur; nec vlli licebit, ob protectionem hoſtilem ſuſceptam, alicui negotium faceſſere, aut eam exprobrare.

3) Iu-

Digitized by Google

3) Iura, priuilegia, libertates, immunitateſque omnium et ſingulorum, qui partes hoſtiles ſequuti ſunt, adeoque communitatum et ciuitatum, quibus ante hoc bellum potiti ſunt, ab vtrimque redintegrabuntur et redintegrantur. Inprimis Sereniſſimus Rex et Reſpublica Poloniae ciuitates Pruſſiae Regalis, quas vel antehac recepit per deditionem aut expugnationem, (quibus tempore occupationis adſtipulatae conditiones inuiolabiliter ſeruabuntur,) vel poſthac in fidem ſuam per hoſce tractatus pacis receperit, earumque territoria, magiſtratus, communitates, ciues, incolas, ſubditos, omni clementia et gratia Regia inpoſterum proſequetur, fouebit ac tuebitur. Inter cetera ipſis, vt aedificia publica et priuata, per iniuriam belli deſtructa, reaedificent, conceditur; pro his vero, quae iuſſu Generalitatis Suecicae demolita ſunt, minime tenebuntur: arrhendae et diſpoſitio agrorum et domuum, qua ſub Polonico Regimine ante hoc bellum vſi ſunt, ipſis quoque in futurum manebunt: et tandem Euangelicorum corpora ſepulta non turbabuntur.

Non minus quam praefatae ciuitates, etiam Maioris et Minoris Inſularum incolae et ſubditi, in ſtatum, qualis ante hoc bellum fuit, reſtituentur; cenſuum vero, partuum et redituum, vel quorumcunque ſeruitiorum, precariae aut decimarum nomine, quia durante bello militiae Suecicae tributi loco illa exſoluere neceſſe fuit, a nemine moleſtabuntur.

4) Cunctae actiones vel inquiſitiones aduerſus illos, qui partes Sereniſſimi Regis Sueciae hoc bello ſequuti ſunt, aut ſequuti eſſe inſimulantur, quibuſcumque in locis Poloniae, Lithuaniae, Pruſſiae ac Curlandiae habitent, cuiuſcumque etiam ſint ordinis et religionis, ſiue priuati vixerint, ſiue officio publico functi ac ſeruitiis Sacrae Regiae Maieſtatis Sueciae ſago vel toga obſtricti fuerint, inſtitutae et nondum finitae ceſſent: et in quibus ſententia lata eſt, ea abrogetur, omnique careat exequutione in perpetuum: et inpoſterum contra eos nulla vmquam quaeſtio vel actio ex hac cauſſa inſtituetur.

5) Si quae bona mobilia vel immobilia, in Regno Poloniae Magnoque Ducatu Lithuaniae, annexiſque prouinciis exiſtentia, ſiue nobilibus ſiue plebeiis, cuiuſcumque religionis, ſtatus ac conditionis, ex occaſione vel praetextu protectionis S. R. M. Sueciae, pendente

 bello

Digitized by Google

bello ablata ſunt, illa ſine proceſſu iuris, intra ſpatium trium abhinc menſium, iis reſtituantur, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis ac declarationibus, aliiſue iuris vel facti exceptionibus, quae in derogationem huius Articuli allegari poſſent: nec liceat inpoſterum Suecicam protectionem alicui exprobrare, ſed vnuſquiſque priſtinis ſuis dignitatibus, bonis atque fortunis, quibus antea gauiſus eſt, fruatur.

6) Quae durante bello, iure fiſci, vel ex occaſione protectionis aut adhaeſionis alterius partis, cuiquam ademta, et vel fiſco illata, vel aliis collata ſunt bona, ſiue Regia ac Reip. ſiue etiam priuatorum ſint, mobilia quidem, ſi tradita ſint, modernis poſſeſſoribus relinquantur; ſi vero eiuſmodi iura caduca hactenus in exequutionem deducta non ſint, antiquis poſſeſſoribus relinquantur. Neque vlla actio dehinc aduerſus communitates aut priuatos, ratione depoſitorum eiuſmodi bonorum, intentetur. Bona vero immobilia, quorum donationes et largitiones factae ſunt, ſiue iam ante tradita, ſiue nondum tradita ſint, maneant penes antiquos dominos, ceſſantibus de cetero omnibus actionibus ratione redituum, ſiue ex publicis, ſiue priuatis bonis perceptorum.

7) Qui S. R. M. Sueciae Confoederatorum, vtpote Celſiſſimi Principis Tranſſiluaniae et Militiae Zaporouianae, partes ſequuti ſunt, illi omnes amneſtia plenarie gaudebunt, nec aduerſus eos actiones vllae eo nomine poſthac inſtituantur, et ſi quae inſtitutae ſunt, caſſentur et abrogentur.

De religione Diſſidentibus multus fuit ſermo: ſed nimium ſe oppoſuit Dn. Mediator, adſerendo, quod Poloni non paſſuros ſe declarauerint, ipſis in ſua Republica ab exteris leges praeſcribi, rogandoque, vt Legationi noſtrae placeat hoc poſtulatum remittere. Dn. Regni Theſaurarius: Nos nolle prodere cauſſam Dei et honorem Regis noſtri, qui patrocinium partes ſuas ſequutis promiſerit: non praeſcribendi leges animum eſſe, ſed vt quiſque in bona, fortunas, honores, ac dignitates, quibus ante bellum gauiſus eſt, reſtituatur, efficiendi. Dn. Mediator: Generali Amneſtia omnes gauiſuros. Noſtri nihilominus, ſed fruſtra, prioribus inſiſtunt. Simili modo Principis Tranſſiluaniae et Coſſacorum fit mentio, atque Amneſtiae Specialis §. inſertus hic ſupra No. 7. cernitur. Mariaeburgenſes quoque petierunt, vt denuo in hoc Inſtrumento Pacis publico caſſentur

Digitized by Google

ſcentur falſarii N. illa Documenta, quae aliquot ante annos is produxit, et multis, praeſertim modo dictae ciuitati Mariaeburgo, imponere adtentauit: ſed non adtenditur, vtpote quod iam antea illa falſa Inſtrumenta pro falſis ſint declarata et caſſata. Inſulanorum autem intereſſe obſeruatum eſt, vt hic ſupra in Puncto ſeu Articulo Amneſtiae, No. ſeu §. 3. videre eſt.

Abierat ad partem alteram, et poſt reditum proponit Dn. Mediator, quod Dnn. Electorales poſtulent reſponſum pro reſtituendis in Pomerania locis. Reſponſum, quod aequius ſit, vt nos pro perdita et deſolata illa prouincia ſatisfactionem acciperemus. Dn. Mediator magis per iocum quam ſerio inſiſtit, et rationem addit, quod praetexant belli expenſas, quia nihil ipſi retineant praefatorum locorum; e contra S. R. M. Dn. noſtro Clementiſſimo Liuonia cedatur. Demonſtratur rationis diſparitas. Deſiſtit, atque ad Articulum de renunciatione ſiue caſſatione pactorum et conuentionum Sueco-Brandeburgicarum in Pruſſia regrediuntur, qui a noſtra Legatione, iam ſecunda hodie vice, hoc modo mutatur. "Et ne occaſione anteactorum lis et diſſidium aliquod oriri poſſit, S. R. M. Sueciae, pro ſe, heredibus ac ſucceſſoribus ſuis, Regibus Regnoque Sueciae, virtute huius Inſtrumenti pacis, quam fieri poteſt validiſſime, in perpetuum et irreuocabiliter renunciat pactis, quae die $\frac{7}{17}$ Iannuarii An. 1656. Regiomonti, item $\frac{15}{25}$ Iunii praedicti An. Mariaeburgi, tum quae $\frac{10}{20}$ Nou. eodem An. 1656. Labiauiae inter Sereniſſimum Sueciae Regem glor. mem. nuper defunctum, et Suam Serenitatem Electoralem confecta ſunt, vt et aliis omnibus conuentionibus, quae illis adiectae, aut ſeparatim, quocumque tempore, loco modoue, durante hoc vltimo bello Polonico, eiuſque reſpectu initae ſunt. Atque ea omnia et ſingula in omnibus et ſingulis clauſulis, conditionibus et Articulis ſuis, irrita et nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum, hoc ipſo et virtute huius pacti, (exceptis Oſnabrügenſibus et Receſſu Limitaneo Stetini concluſo,) penitus in aeternum detrahit, ita vt contra Suam Serenitatem Electoralem Brandeburgicam, eiuſque heredes, agnatos, ſucceſſores, prouincias, vbicumque locorum ſitas, et in ſpecie in Ducatum Pruſſiae, atque eiuſdem Ordines et incolas, aut contra S. R. M. eiuſdem ſucceſſores Reges, Regnumque Poloniae,

ex

ex nominatis et indigitatis ſupra pactis et conuentionibus abolitis nunc et inpoſterum, ſiue ſucceſſionis in Pruſſiam, ſiue vnionis aut quocumque alio praetextu vel cauſſa, nomine Regis, Regum ſucceſſorum ac Regni Sueciae, nihil vmquam allegari, praetendi aut poſtulari poſſit aut debeat. Quare praememoratorum pactorum et conuentionum Originalia quum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis, vtrimque ſciſſis et in cineres redactis habentur, atque in aeternum habebuntur. Quemodmodum et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, in Pruſſia Dux, quam fieri poteſt validiſſime, in perpetuum et irreuocabiliter, vigore huius Inſtrumenti Pacis, pro ſe, heredibuſque ac ſucceſſoribus ſuis profitetur, nihil vel ſe, vel heredes ac poſteros ſuos, ex praedictis pactis et conuentionibus, contra S. R. M. Regnumque Sueciae praetenturum, ac ſupra memoratis pactis omnibus itidem renunciat, et eadem omnia pro retraditis, ſciſſis et in cineres redactis, nunc et in aeternum declarat, et irrita et nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum, hoc ipſo et virtute huius pacti, penitus et in aeternum detrahit."

Facta in mundam chartam ingroſſatione, cum Proiecto hoc ad Dnn. Electorales acceſſit, et rediens Articulum de commerciis adtulit, qui tandem complanatur et ſubſcribitur, vt hic ſequitur: 1) "Inter S. R. M. Sueciae et Suae Serenitatis Electoralis Brandeburgicae Regni, prouinciarum, ſtatuum, ditionum, tam in Imperio Romano, quam extra illud ſitarum, ſubditos et incolas priſtina reſtituantur commercia, atque inpoſterum in pleno vigore conſeruentur. 2) Si quae bona a Suae Serenitatis Electoralis ſubditis, vel eiuſdem ditionum incolis, in R. S. M. Sueciae Regno, prouinciis, ditionibus, aut locis occupatis et hactenus poſſeſſis, ante, vel ſub tempus huiuſce belli depoſita, vel alio quocumque modo eo delata ſunt, ea ſine vlla mora vel effugiis dominis ſuis reſtituantur, niſi iam fiſco adiudicata, atque extradita fuerint."

Hoc facto ad Principiſſae Radziuiliae deſideria recurritur, vbi demum conſenſerunt Poloni, iſque Articulus ſubſcribitur et commutatur huius tenoris: "Sereniſſimus Rex et Reſp. Poloniae, Illuſtriſſimae Principis Annae Mariae, defuncti Illuſtriſſimi Ducis Ianuſſii Radziuilii, Palatini Vilnenſis, filiae vnicae, in adeundis ſecundum legitimas conſuetudines

Digitized by Google

tudines Regni et Magni Ducatus Lithuaniae hereditatibus et bonis paternis ac maternis, vigore Generalis Amneſtiae, praeſenti conuentione omnibus cautae, vt ei ſatisfiat, condignam rationem habituri ſunt.“ Interea Dni Electorales ſuper Concepto Articuli, de caſſatione pactorum, conſultauerunt: quumque nondum totaliter placeret ipſis Proiectum noſtrum hic ſupra proxime praecedens, et praeſertim verba, *Exceptis pactis Oſnabrugenſibus, et Receſſu Limitaneo Stetini concluſo*, quae in parentheſi poſita erant, admittere illi nollent: tandem ſecundum deſiderium eorum, facta hodie huius Articuli mutatione tertia, ille iam ita concipitur, ſine mora in mundam chartam mittitur, Dnoque Mediatori, deletis inter alia verbis modo allegatis, extraditur. Diu quidem contenderunt Suae Excellentiae, atque retinere illa verba voluerunt: inprimis Dn. Legatus Gyldenklau, vt infererentur, ſtuduit, commotus, quod Ablegatus Rautenſteinius hiſce diebus dixiſſet, ſe vidiſſe ſcriptum quoddam ab Electore Brandeburgico, quod valde prodeſſet, illi Receſſus Limitanei obſeruationem parum eſſe cordi: quapropter etiam modo memoratus Ablegatus Neoburgicus Copiam rogatus eſt iſtius ſcripti, ſi poſſet: ſed quum contradictionibus nihil efficeretur vel apud Dn. Mediatorem, vel Dnos Electorales, ne tempus protrahatur amplius, vt modo dictum eſt, deleta ſunt: ſonatque iam Conceptum taliter. “Et ne occaſione anteactorum lis et diſſidium aliquod oriri poſſit, S. R. M. Sueciae pro ſe, heredibus ac ſucceſſoribus ſuis Regibus Regnoque Sueciae, virtute huius Inſtrumenti Pacis, quam fieri poteſt validiſſime, in perpetuum et irreuocabiliter renunciat pactis, quae die $\frac{7}{17}$ Ianuar. An. 1656. Regiomonti, item $\frac{15}{25}$ Iunii praedicti An. Mariaeburgi, tum quae $\frac{10}{20}$ Nou. eodem An. 1656. Labiauiae, inter Sereniſſimum Sueciae Regem glor. mem. nuper defunctum, et Suam Serenitatem Electoralem confecta ſunt, vt et aliis omnibus conuentionibus, quae illis adiectae, aut ſeparatim, quocumque modo, durante hoc vltimo bello Polonico, eiuſque reſpectu initae ſunt. Atque ea omnia et ſingula, in omnibus et ſingulis clauſulis, conditionibus et Articulis ſuis, irrita et nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum, hoc ipſo et virtute huius pacti, penitus et in aeternum detrahit, ita vt contra Suam Serenitatem Electoralem Brandeburgicam, eiuſque heredes, agnatos, ſucceſſores, prouincias, vbicumque

que locorum ſitas, et in ſpecie in Ducatum Pruſſiae atque eiuſdem Ordines et incolas, aut contra S. R. Maieſtatem, eiuſdem ſucceſſores Reges Regnumque Poloniae, ex nominatis et indigitatis ſupra pactis et conuentionibus abolitis, nunc et inpoſterum ſiue ſucceſſionis in Pruſſiam, ſiue vnionis, aut quocumque alio praetextu, vel cauſſa, nomine Regis, Regum heredum ac ſucceſſorum, ac Regni Sueciae, nihil vmquam allegari, praetendi aut poſtulari poſſit aut debeat. Quare praememoratorum pactorum et conuentionum Originalia quum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis, ſciſſis et in cineres redactis habentur, atque in aeternum habebuntur. Quemadmodum et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, in Pruſſia Dux, quam fieri poteſt validiſſime, in perpetuum et irreuocabiliter, vigore huius Inſtrumenti Pacis, pro ſe, heredibuſque ac ſucceſſoribus ſuis profitetur, nihil vel ſe, vel heredes ac poſteros ſuos, ex praedictis pactis ac conuentionibus contra S. R. M. Regnumque Sueciae praetenſuros: ſed Sua Serenitas Electoralis pro ſe, heredibuſque ac ſucceſſoribus, hoc ipſo et virtute huius pacti, ſupra memoratis pactis omnibus renunciat, et eadem omnia pro retraditis, ſciſſis et in cineres redactis, nunc et in aeternum declarat, et irrita ac nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem et effectum penitus et in aeternum detrahit.“ Ac licet ſperaretur fore, vt et ſuper ipſo puncto conueniretur in hac conferentia, non factum tamen eſt; ſed Dn. Mediator diſcedere Dnos Polonos et Confoederatos nunciauit, atque, vt craſtina octaua matutina continuetur congreſſus, petiit. Dn. Regni Theſaurarius nil acceptius eſſe Legationi Suecicae replicauit, quam vt congreſſuum et tractatus fiat continuatio; optare autem eamdem ſimul, vt non tantum continuentur, verum etiam ad finem optatum denique perducantur. Rogatur cooperationem pro dexteritate ac ſtudio ſuo Dn. Mediator; remonſtratur intereſſe Regis Chriſtianiſſimi: ille cuncta promittit; fiunt curialia; abiuimus Sobothum.

Actum Oliuae d. $\frac{10}{20}$ Apr. hor. ab VIII matut. vſque ad dimid. V pomerid.

Dnus Regni Theſaurarius a Dn. Mediatore experitur, num Proiectum puncti Amneſtiae Dnn. Poloni perlegerint, et quae ſit illorum

rum

rum reſolutio? Ille reſpondit: Dn. Polonos nondum adeſſe; hoc ipſo momento tamen exſpectari; ſimul atque aduenerint, ſe eos aditurum. Perrexerunt, et adprobaſſe Dnos Electorales Conceptum noſtrum heſternum vltimum Dn. Mediator dixit: ſubſcriptuſque eſt iſte Articulus de renunciatione pactorum, vti ſub finem heſterno Protocollo inſertus eſt: niſi quod ibi omiſſa ſunt verba, *iam abolitis*, ad verba, *ſupra memoratis pactis omnibus*, in renunciatione Sereniſſimi Electoris, quae verba in charta ſubſcripta poſita inueniuntur. Admodum diu quidem dubitauerat noſtra Legatio iſto in Articulo admittere formulam, auditu et viſu praeduram: quum tamen prae ſe haberent exemplum Tractatus Labiauienſis, quam S. R. M. glorioſiſſimae memoriae ipſa ſubſcripſit, veſtigiis illis inhaerere coacta eſt.

Iuit ad Dnos Polonos Dn. Mediator. Ac Suae Excellentiae heri mentionem fecerant captiuorum apud Caeſarianos et Electorales, concluſerantque, vt Articulus quoad reſtitutionem captiuorum et Praeſidii Strasburgici inſeratur prioribus Articulis. Itaque Dn. Legatus Gyldenklau exiſtimauit, poſt Articulos illos quinque, Confoederatos concernentes, (qui apud Acta Propoſitionum videantur,*) inſeri poſſe: quod etiam factum eſt. Pauca haec verba: Quae de cetero tractanda et concludenda ſunt, vtpote de eliberatione captiuorum et Praeſidii Strasburgenſis, ea poterunt Articulis Polonicis innecti, et hi eo adaptari. Rediit Dn. Mediator, ſecumque tulit in ſchedula Proiectum Dnn. Polonorum, ſuper Articulo ſeu puncto amneſtiae declaratorium, tale: Primum punctum totum acceptabatur. In ſecundo ea reformanda: Hac generali amneſtia gaudeant omnes et ſinguli, cuiuſcumque ſtatus, conditionis et religionis fuerint, vt et omnes communitates, quae ab vtrimque partes hoſtiles ſequutae ſunt, aut in hoſtilem poſſeſſionem deuenerunt, et ne vllis hoc bellum praeiudicio ſit et noxae in ſuis iuribus et priuilegiis, ita vt omnes et ſinguli poſſeſſionibus, iuribus et priuilegiis generalibus et ſpecialibus, tam in Eccleſiaſticis quam in ciuilibus profaniſque, quibus ante hoc bellum gauiſi ſunt, in totum fruantur: nec vlla illis actio ratione adhaeſionis hoſti, ſiue communitatibus, ſiue priuatis intentabitur: nemini praeterea liceat alicui negotium faceſſere ratione adhaeſionis hoſtilis, aut etiam exprobrare.

V 2

* Nos ſupra edidimus, in Actis Publicis Pacific. pag. 129.

brare. Tertio: Redintegrantur praeterea omnia iura, libertates et priuilegia, ciuitatibus Pruſſiae, quae in poſſeſſione hoſtili hoc bello exſtiterunt, quibus ſiue in profanis, ſiue in Eccleſiaſticis ante hoc bellum potiti ſunt, ſaluis per omnia pactis et foedere perpetuo cum Sereniſſimo Electore Brandeburgico Velauiae et Bidgoſciae concluſo, omnesque ciues, incolas et ſubditos dictarum ciuitatum et communitatum S. R. M. Poloniae clementia ſua et gratia Regia inpoſterum proſequetur, fouebit et tuebitur. Pro illis vero, quae militiae Suecicae tributi loco vtriuſque Inſulae ſubditis exſoluere neceſſe fuit, a nemine moleſtia inferetur, ſicut et pro decimis aliiſque cenſibus, quibus ſubditi Inſulani ſatisfacere hoc tempore belli minime potuerunt, non turbabuntur. Quarto: Cunctae actiones aut inquiſitiones, aduerſus illos, qui partibus hoſtilibus adhaeſerunt hoc bello, vel ſequuti eaſdem eſſe inſimulantur, quibuſcumque in locis Poloniae, M. Ducatus Lithuaniae, Pruſſiae, Curlandiae habitent, cuiuſcumque ſtatus, conditionis aut religionis ſint, ſiue priuati vixerint, ſiue officio publico functi aut ſeruitiis S. R. M. Sueciae ſago vel toga adſtricti fuerint, inſtitutae, necdum finitae et ad exequutionem deductae, abrogentur, omnique exequutione careant in perpetuum. Quinto et ſexto: Bona mobilia vel immobilia, in Regno Poloniae et M. D. Lithuaniae annexiſque prouinciis exiſtentia, ſiue ea nobilium, ſiue plebeiorum, cuiuſcumque ſtatus, conditionis, religioniſque fuerint, per iura caduca cuicumque collata, neque hactenus in exequutionem per decreta aut tranſactiones deducta, primis poſſeſſoribus reſtituantur. Talia vero priuilegia caſſantur et abrogantur, omneſque proceſſus, eo nomine intentati et necdum finiti, ſiſtuntur et annihilantur, ſaluis decretis, Comitiorum praeſertim, in quemcumque latis et promulgatis, et in exequutionem deductis: ſaluis quoque Conſtitutionibus Regni et M. D. Lithuaniae. Septimum penitus non admittitur. Ratione cadauerum ſubſcriptus iam Articulus. De depoſitis ſimiliter. Ideo hic non adponuntur. In hoc Proiecto, dum noſtri conferunt, inueniuntur diuerſae differentiae, inprimis, eſſe Punctum ſeu Artic. 1. acceptatum. In 2. Confoederationibus, omiſſum. In §. Et ne vlli hoc bellum etc. imo omiſſam totam fere §phum a verbis: Sereniſſ. Rex et Reſp. Polona relinquit. Item: Conſuetudinibus, omiſſum ante verba: generalibus et ſpecialibus. Item §phum, Nemo autem ex cauſſa religio-

nis

nis etc. omiſſum totum. 3. Reſtrictum tantum ad ciuitates Pruſſiae. In 4. hoſtilibus partibus, pro Sereniſſimi Regis etc. poſitum. Et nondum finitae ceſſent, aliis et contractioribus verbis poſita. In 5. et 6. Saluis decretis etc. adhuc exſtare. 7. Non receptum eſſe.

Declarant noſtri Dni Legati per ſchedulam taliter: Quoad amneſtiae Dnn. Polonorum Proiectum, poſtulat Legatio Suecica §. 2. poſt verba, *pluribus priuilegiis*, addatur: ac conſuetudinibus. §. 3. ita ponatur: "Ordinibus ac ciuitatibus Pruſſiae, quae in poſſeſſione S. R. M. Regnique Sueciae hoc bello fuerunt, manebunt itidem integra omnia iura, libertates et priuilegia, quibus ſiue in profanis, ſiue in Eccleſiaſticis potiti ſunt ante hoc bellum, ſaluo libero, vt ante viguit, Euangelicae Religionis exercitio, earumque territoria, magiſtratus, communitates, incolas et ſubditos, S. R. M. Poloniae eadem, qua olim, clementia et gratia Regia inpoſterum proſequetur, fouebit et tuebitur." Inter cetera ipſis, vt aedificia publica et priuata per iniuriam belli deſtructa reaedificent, conceditur; pro his vero, quae iuſſu Generalitatis Suecicae demolita ſunt, minime tenebuntur. *Pro illis vero* etc. ponatur: Quoad ea, quae militiae etc. §. 4. acceptatur, niſi quod addantur verba: Et inpoſterum etc. Quoad 5 et 6. §. maneat Legationis Suecicae Proiectum, deletis tantum verbis: Nec liceat etc. 7. Quum Polonia ſuos Foederatos eorumque deſideria promoueat, aequum eſt, vt S. M. R. Sueciae ſuorum quoque belli ſociorum rationem habeat. Quod ad demortuorum corpora in §. 3. adtinet, Legatio Suecica declarationem praeſente Proiecto Polonico factam acceptat, ſi de ciuium quoque et aliorum corporibus ſepultis intelligatur. Et ſimilis quoque ſenſus ſit de depoſitis in §. 6. illeque ſubſcriptus et commutatus Articulus ad ſubiectam hic materiam extendatur.

Quumque poſtularet Dn. Mediator, vt in ipſo Proiecto mutarentur mutanda, morem illi geſſit Legatio Suecica, et retentis adhuc retinendis, ita mutauit, vt hic inſertum habet Conceptum, et quidem in §. Nec liceat etc. Art. 5. et §. non obſtantibus etc. in eodem Art. 5. qui §. modo ſubnexus eſt Art. 6. huius Concepti ſuper Amneſtia, et inde pendentiubs Articulis. Datum eſt in munda charta Dno Mediatori, qui iuit rediuitque inter partes, eſtque Conceptum tale: 1) Sit vtrimque etc. — 2) Hac generali amneſtia gaudeant etc. — 3) Iura,

 ra,

ra, priuilegia, libertates etc. — 4. Cunctae actiones etc. — §. 5. Si quae bona mobilia etc. deletus eſt hic totus, et §. non obſtantibus etc. ſubnexus eſt hic infra §. 6. Quae durante bello etc. vt modo dictum. Iam igitur ita ſonat: "Quae durante bello, iure fiſci, vel ex occaſione et praetextu protectionis aut adhaeſionis alterius partis, cuiquam ſiue Nobili ſiue plebeio, cuiuſcumque ſtatus, conditionis ac religionis, ademta, et vel fiſco illata, vel aliis collata ſunt bona, ſiue Regia ac Reip. ſiue etiam priuatorum ſint, mobilia quidem, ſi tradita ſint, modernis poſſeſſoribus relinquentur; ſi vero eiuſmodi iura caduca hactenus in exequutionem deducta non ſint, antiquis poſſeſſoribus relinquantur. Neque vlla actio dehinc aduerſus communitates aut priuatos ratione depoſitorum intentetur. Bona vero immobilia, quorum donationes et largitiones factae ſunt, ſiue iam ante tradita, ſiue nondum tradita ſint, maneant penes antiquos dominos, ceſſantibus de cetero omnibus actionibus, ratione redituum, ſiue ex publicis, ſiue priuatis bonis perceptorum: non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis ac declarationibus, aliiſue iuris vel facti exceptionibus, quae in derogationem huius et priorum Articulorum allegari poſſent. 7) Qui S. R. M. Sueciae Conſoederatorum, vtpote Celſiſſimi Principis Tranſſiluaniae et militiae Zaporouianae partes ſequuti ſunt, illi omnes amneſtia plenarie gaudebunt, nec aduerſus eos actiones vllae eo nomine poſthac inſtituantur, et, ſi quae inſtitutae ſint, caſſentur et abrogentur." Diutiſſime et acerrime diſputatum eſt de his, quae Diſſentientes a religione concernunt, item de §. non obſtantibus etc. Tandem, poſtquam flecti noſtram ad intentionem nequirent Poloni, Articulus, Quae durante bello etc. 15. pertractari coepit ſolus, et quidem pro voce *depoſitorum*, poſitis verbis: eiuſmodi bonorum. Dupliciter in chartam mittitur, ac Dno Mediatori traditur, ſemel cum clauſula, *non obſtantibus*, et ſemel ſine illa.

Interea dum ſupra memorata aguntur, intermiſcentur alia: nimirum traduntur Dno Mediatori Articuli de Militiae deductione per Pillauiam; de libero et ſecuro tranſitu; eiuſdem terreſtri itinere, ſi maritimo id fieri nequeat, per ditiones Sereniſſimi Regis Poloniae et Dn. Electoris Brandeburgici; de ſuſtentatione vſque ad plenariam deductionem; de modo et conditionibus reſtitutionis locorum in Pruſſia

et

et Curlandia, veluti illi Articuli in Proiecto noſtro Inſtrumenti Pacis ſub N. 53. 54. 55 et 56. concepti reperiuntur, eorumque tenor hic eſt: Art. 53. "Deductio militiae Suecicae vna cum bellicis tormentis et inſtrumentis, re armamentaria et impedimentis, fiat Elbinga, dato libero tranſitu per Habum ac portum Pillauienſem, vel Viſtulam eiuſque oſtium ad mare, prouti Generali militiae ac praeſidiorum Praefecto viſum fuerit. Et decedentibus militibus, ſiue pedites ſint, ſiue equites, reique armamentariae inſeruientes, naues atque currus pro omnibus neceſſariis auehendis, a ciuitatibus ac ſubditis Maioris, Minoris et Gedanenſis Inſulae, nec non vtriuſque Neringiae et Warmienſis Epiſcopatus, ſine pretio ſubminiſtrentur. Caueat in poſteriori caſu ciuitas Gedanenſis militiae Suecicae de plena ſecuritate ad ciuitatem commorandi, et ſine periculo conſcendendi naues, quibus inde mari ad Regnum Sueciae aut eiuſdem prouincias alias deuehi poſſit. 54. Quodſi maritimo itineri non poſſit militia Suecica e Pruſſia ſe committere, ſed terreſtri per Liuoniam vel Pomeraniam ſe conferre neceſſum habuerit, Ser. Rex et Reſp. Poloniae, cum Colligatis ſuis, ſufficientibus copiis militaribus ſaluiconducant et praeſtent omnem militiam tam pedeſtrem, quam equeſtrem, cum ſuis Generalibus, Colonellis et Officialibus, tormentis et impedimentis, indemnes atque immunes a periculis et inſultationibus tam clandeſtinis, quam apertis, ad prouinciam et loca deſtinata, et dictae militiae victum, currus et equos, pro auehendis tormentis atque impedimentis, per prouincias, quibus tranſeundum eſt, abſque pretio ſubminiſtrari faciant. 55. Ante vero quam vlla locorum reſtitutio fiat, conuenient Commiſſarii Polonici cum Generali militiae Suecicae Praefecto de certa eiuſdem militiae ſuſtentatione, illico poſt concluſam pacem, et priuſquam Mariaeburgum reſtituatur, vſque ad plenariam deductionem militiae et Elbingae reſtitutionem pendenda, et ſingulis decem diebus anticipanda. 56. Id vero in reſtituendis locis obſeruatur, vt, quam primum Commiſſariis Suecicis tradita fuerit Regis Poloniae ratificatio, nec non interpoſita cautio Senatorum et Commiſſariorum Polonicorum, lege Comitiali ad latus Regis a Rep. Delegatorum, de tradenda primo quoque tempore, et ad ſummum intra ſpatium trium abhinc menſium, Reip. ratificatione, tum Mariaeburgum cum Inſula maiore ac Stuma,

cum

Digitized by Google

cum eorum territoriis, deductis Elbingam praeſidiis Suecicis, reddantur in manus Commiſſariorum Regis et Regni Poloniae: et actutum liber ſit atque non interturbatus, tam mari quam terra, ſicut ante hoc bellum fuit, commerciorum vſus, ac curſus poſtarum et litterarum. Elbingam vero eiuſque territorium et Inſulam minorem, cum fortalitiis ibi exſtructis, nec non in Semigallia Bautſke, retineat Sereniſſimus Rex Regnumque Sueciae, donec ratificatio Reip. Polonae ſuper hac pace ſubſequuta fuerit. Qua tradita, Elbingam quoque, cum munimentis omnibus et Inſula minori et Bautſke, intra dies quatuordecim, deductis ſine damno incolarum praeſidiis, reſtituat." — Porro Articuli hi ſequentes duo, quae in vltimatis noſtris, pro Caeſarianis et Electoralibus, 4 et 5. locum obtinent, paullo extenſius, praeſertim quoad Dn. Comitem Koenigſmarkium, eiuſque bona, concipiuntur, et Dn. Mediatori extraduntur, ita nempe ſonantes: "Senator Regni Sueciae et Campi Mareſchallus, Dn. Comes Koenigſmark, et ſi qui praeterea in prouinciis et ditionibus Ser. Electoris Brandeburgici, bonis ac facultatibus ſuis hoc bello exuti ſunt, in ea, facta hac pace, plenarie et ſine vlla tergiuerſatione reſtituentur, nec competet illis, quibus collata ſunt eorum bona, vlla in ea praetenſio, exnunc et in perpetuum. Inprimis manebit praefato Dn. Comiti ius ſaluum bonorum *Hatensleben, Weſerling*, *Winning* et *Wilsleben*, atque in cauſſa Halberſtadienſi contra ipſum non de facto procedetur, ſed iuſtitiae curſus liber relinquetur, et ideo ipſe in integrum reſtituetur. — Nullis, ſiue Officialibus, ſiue gregariis militibus, qui ſub ſignis Suecicis in hoc bello militarunt, ſiue aliis, qui toga Sueciae obſtricti fuerunt, et ſubditi aut Vaſalli ſunt Sereniſſimi Electoris Brandeburgici, ſit id damno, ſed omnes illi in priſtinum ſtatum, quoad honores atque bona, indilate reſtituentur in ditionibus ac prouinciis Electoris Brandeburgici, gaudebuntque vniuerſi et ſinguli, nullo excepto eorum, plenaria amneſtia et indemnitate, neque quiſquam in eos eorumque bona aliquid vmquam praetendet." — Item facta eſt mentio Praefecturae Belgardenſis, quam Dn. Comes a Wittenberg, iure Hypothecae, a S. Serenitate Electorali poſſidet, eiuſque vero Miniſtri per occaſionem horum motuum eiecti ſunt; dataque et huius rei ſchedula talis: "Hypotheca Belgardenſis in Orientali Pomerania Dn. Comitis Wittenbergii heredibus reſtituatur,

Digitized by Google

tuatur, ipſiſque et eorum Miniſtris ſpoliatis ſatisfactio detur.“ Item rogatu Excellent. Dn. Campi Mareſchalli a Koenigſmark, pro eliberatione filii eius, Dnn. Legati interpoſitione ſua per ſchedulam hanc vſi ſunt: “Filius Dni Comitis a Koenigſmark, concluſa et ſubſcripta pace, intra dies 14. libertati reſtituetur, et ſine lytro dimittetur.“

Dum ad alteram partem abiiſſet, poſt reditum Dn. Mediator ſecum tulit Legationis Electoralis Brandeburgicae Proiectum ſuper punctis amicitiae et amneſtiae, ita ſonans: “Sit itidem pax perpetua, veraque et ſincera amicitia, inter Sereniſſ. Principem ac Dominum, Dn. Carolum, (tot. tit. Regis Sueciae) eius heredes, ſucceſſores ac poſteros, Regnumque Sueciae, eiuſdemque tam in Imperio, quam extra illud ſitas prouincias, ſtatus ac ditiones, et Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dn. Friedericum Wilhelmum, (tot. tit. Elect.) eiuſdemque heredes ac ſucceſſores, prouinciaſque, ſtatus ac ditiones, in et extra Imperium Romanum, ita vt alter alterius honorem, commodum ac vtilitatem ſincere ſerioque promoueat. — Sit etiam vtrimque amneſtia et praeteritorum omnium perpetua obliuio, ita vt, quidquid hactenus quocumque loco et quauis de cauſſa, ſiue in Imperio Romano, ſiue extra illud, ab alterutra partium, vel ſub earum imperio poteſtateque exiſtentibus, abſque vllo perſonarum rerumque reſpectu, geſtum vel admiſſum fuerit, nullo praetextu, via iuris vel facti, directe vel per indirectum, a neutra parte vmquam vindicari poſſit; et nec horum, nec vllius alterius rei cauſſa vel praetextu, alter alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, vel etiam quoad Miniſtros, Officiarios, alioſque et incolas ac ſubditos, ſtatum, bona vel ſecuritatem, vel per ſe, vel per alios, clam vel palam, inferat, vel inferri faciat, aut patiatur, ſaluis nihilominus nominibus ac debitis ciuilibus, inter vtriuſque partis Regni, prouinciarum ac ditionum quarumcumque ſubditos et incolas, ante vel durante hoc bello contractis, quibus ſoluendis vnuſquiſque teneatur. Non derogabit autem hic Articulus vlla in re pactis et foederibus aliis defenſiuis, conſeruandae publicae tranquillitatis cauſſa, ſiue a Sua Maieſtate Sueciae, ſiue a Sua Serenitate Electorali, cum quibuſuis aliis Principibus ac Statibus initis: verum illa omnia integra, ac in pleno robore ſuo permaneant: ne tamen ad alios, quam ipſos contrahentes, eorumdemque heredes ac

Digitized by Google

ſucceſſores, obligatio trahatur." — Vbi perlectum eſſet, facta deliberatione, hoc modo manu Dni Legati Gyldenklauii mutatur, auſcultatumque a Collegio, et in mundam chartam miſſum, Dno Mediatori retraditur: "Sit itidem pax perpetua, veraque ac ſincera amicitia, inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dn. Carolum, (tot. tit. Reg. Suec.) eius heredes, ſucceſſores ac poſteros Reges, Regnumque Sueciae, eiuſdemque tam in Imperio, quam extra illud ſitas prouincias, ſtatus ac ditiones, et Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dn. Fridericum Wilhelmum, (tot. tit. Electoralis) eiuſdemque heredes ac ſucceſſores, prouinciaſque, ſtatus ac ditiones, in et extra Imperium Romanum, ita, vt alter alterius honorem, commodum ac vtilitatem, ſincere ſerioque promoueat. — Sit etiam vtrimque amneſtia, et praeteritorum omnium perpetua obliuio, ita vt, quidquid hactenus, quocumque loco et quauis de cauſſa, ſiue in Imperio Romano, ſiue extra illud, ab alterutra partium, vel ſub earum imperio poteſtateque exiſtentibus, abſque vllo perſonarum rerumque reſpectu, geſtum vel admiſſum fuerit, nullo praetextu, via iuris vel facti, directe vel per indirectum, a neutra parte vmquam vindicari poſſit; et nec horum, nec vllius alterius rei cauſſa vel praetextu, alter alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, vel etiam quoad Miniſtros, Officiarios, alioſque et incolas et ſubditos, ſtatum, bona vel ſecuritatem, per ſe vel per alios, clam vel palam, inferat, vel inferri faciat, aut patiatur, ſaluis nihilominus nominibus ac debitis ciuilibus, inter vtriuſque partis Regni, prouinciarum ac ditionum quarumcumque ſubditos ac incolas, ante, vel durante hoc bello, contractis, quibus ſoluendis vnuſquiſque teneatur. Pacta vero et foedera omnia hoc bello cum aliis Principibus ac Statibus inita, facta iam pace, in ſuo robore permaneant, quatenus hiſce pactis ac pacificationi non aduerſantur."

Poſt reditum Dn. Mediator retulit Articulum de modo conditionato reſtitutionis a nobis locorum: et, quae ab ipſo deſiderantur, (in his, non adeſſe iam Regi Senatores a latere, praeter eos, qui Commiſſariorum ſeu Legatorum Plenipotentiariorum munere in praeſens funguntur, dixit,) mutantur, vt habet hoc Conceptum: "Id vero in reſtituendis locis obſeruetur, vt, quam primum Sereniſſimi Regis Poloniae

niae ratificatio, et Dnn. Commiſſariorum cautio, de tradenda intra tres a concluſa pace menſes, Lege Comitiali a Republica Delegatorum ratificatione, in manus Dn. Mediatoris reddita fuerit, Mariaeburgum cum Inſula maiore ac Stuma, cum eorum territoriis, deductis Elbingam praeſidiis Suecicis, reddantur in manus Commiſſariorum Regis ac Regni Poloniae. Et illico liber ſit atque non interturbatus, tam mari, quam terra, ſicut ante hoc bellum fuit, commerciorum vſus, ac curſus poſtarum ac litterarum, aliorumque itinerantium hominum. Bautſke autem in Semigallia euacuetur, tribus poſt concluſam pacem ſeptimanis. Elbingam vero, eiuſque territorium et Inſulam minorem, cum fortalitiis ibi exſtructis, retineat Ser. Rex Regnumque Sueciae, donec huius pacis ratificatio Comitiali Lege a Republica Delegatorum ſubſequuta et extradita fuerit. Qua tradita, et non exſpectata hac vice ratificatione ipſius Reip. Polonae, in proxime futuris Comitiis generalibus expedienda, Elbinga cum munimentis omnibus et Inſula minore, deductis ſine damno incolarum praeſidiis, in manus Commiſſariorum Regis et Reipublicae Polonae tradatur et reſtituatur." Abiit Dn. Mediator ad alteram partem, et Suae Excellentiae perlegunt Articulum pacis et amicitiae, cum Imperatore fiendae: vbi, poſtquam deliberaſſent, proiicitur in charta, incuruata hoc modo, ita vt quid in Caeſariano deſideretur, eo melius conſpici queat, et quidem quod noſtrum eſt, manu Dn. Legati Gyldenklauii concipitur, et antequam, vti etiam in reliquis omnibus fieri ſolet, ingroſſatur, clara voce perlegitur; ingroſſatumque, priuſquam extradatur, reuiſum eſt.

Caeſareum I.

Eadem ſimiliter Pax, amicitia, et praeteritorum omnium perpetua obliuio, ſub iiſdem clauſulis et vinculis in hocce Inſtrumento contentis, vigeat et in perpetuum ſtabilita ſit, inter Sereniſſimum et Potentiſſimum *a*) Romanorum Imperatorem, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Regem, Archiducem Auſtriae, Ducem Burgundiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Marchionem Morauiae, Ducem Luxemburgiae, ac ſuperioris et inferioris Sileſiae, Wirtembergae ac Teckae, Principem Sueuiae, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Goritiae, Landgrauium

uium Alſatiae, Marchionem Sacri Romani Imperii Burgouiae, ac ſuperioris et inferioris Luſatiae, Dominum Marchiae Slauonicae, Portus Naonis et Salinarum etc. praecipuum Poloniae Foederatum, bellique ſocium, nec non eius heredes ac ſucceſſores, Regna ac prouincias hereditarias; Ac Sereniſſimum et Potentiſſimum Principem, *b*) Dn. Carolum Guſtauum, Suecorum, Gothorum, Wandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiae, Ducem Scaniae, Eſtoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Wandaliae, Principem Rugiae, Dominum Ingriae et Wiſmariae, nec non Comitem Palatinum Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Ducem, eiuſque heredes ac ſucceſſores, *c*) Regnum et prouincias, earumque incolas ac ſubditos, ita vt, quidquid vel ante hoc bellum, vel illo durante, ſiue in Polonia, ſiue extra illam, ſeu ratione auxilii, vigore antiquorum et recentium pactorum, Sereniſſ. Regi ac Reip. Poloniae praeſtiti, ſeu quauis alia de cauſſa, mutuae offenſionis atque inimicitiarum, aut praetenſionum, oriri potuit, perpetuae obliuioni tradatur, neutrique parti, quocumque praetextu, licitum ſit, alterius Regna, Status aut Prouincias, clam aut palam, directe vel indirecte armis impetere, vel vllum in ipſas hoſtilitatis exercere genus, ſed alter alterius commoda ſectetur, et omnia inter vtramque partem, earumque ſtatus ac ſubditos, ad priſtinum prorſus ſtatum, vnionem et fidam correſpondentiam, reſtituta et redintegrata ſint, et nemini ex vtriuſque partis ſubditis *d*) noxae ſit aut praeiudicio, quod alterius partes hoc bello fuerit ſectatus.

Suecicum.

a) Principem ac Dnum, Dn. Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniae etc.

b) Ac Dnum, Dnum Carolum, Suecorum etc.

c) Reges Regnumque Sueciae et ſubiectas prouincias, tum in Imp. Germ. tum extra illud ſitas, eorumque ſubditos et incolas; ita vt, quidquid vel ante hoc bellum, vel illo durante, ſiue in Polonia, ſiue extra illam, ſeu ratione auxilii Sereniſſimo Regi ac Reipubl. Poloniae praeſtiti, ſeu quauis alia de cauſſa etc.

d) Aut Imperii Statibus ac Vaſallis noxae ſit aut praeiudicio, quod alterius partes, hoc bello, ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed vnuſquiſque in priſtinum ſtatum, quoad honores ac bona, tam mobilia quam immobilia, indilate et ſine contradictione reſtituatur, iiſque plenarie gaudeant ac fruantur.

Caeſa-

Digitized by Google

Caeſareum 2.

Vt autem firmioribus fundamentis haec Pax et amicitia ſtabiliri queat, *e*) Sua Caeſarea Regiaque Maieſtas, ex puro pacis amore, cuius ſolo intuitu et fine arma ſuſcepit, loca omnia, quae in Pomerania praeſidiis ſuis inſidentur, in ipſa huius pacis exequutione euacuabit, ac Sereniſſimo Sueciae Regi plenarie reſtituet; loca ſimiliter, quae tunc, quando praedicta exequutio fiet, in Holſatia praeſidiis Caeſareis detinebuntur, prioribus dominis ſuis reſtituentur. *f*) De cetero in iis, quae ad hoc praeſens bellum et huius pacis negotium non pertinent, ſtabitur per omnia diſpoſitione pactorum Oſnabrugenſium, et Conſtitutionibus Imperii; et quidquid circa illas res controuerſiae ſubeſſe vel oriri poterit, iuxta Imperii et Pacis Germanicae leges, abſque ſtrepitu armorum componetur aut decidetur. *g*) Pacta autem omnia et foedera defenſiua, conſequendae tantum publicae tranquillitatis cauſſa inita, a Sua Caeſarea Regiaque Maieſtate, et Sereniſſimo Rege Sueciae, cum

Suecicum.

e) Sua Caeſarea Maieſtas loca, quae in Pomerania ac Megapoli occupata praeſidiis ſuis inſidentur, intra menſem a concluſa et ſubſcripta hac pace, euacuabit, eaque Ser. Regi Regnoque Sueciae; quae vero in Holſatia ac Ducatu Sleſuicenſi, aliiſue his annexis terris ac ditionibus, occupari fecit, intra ſex ſeptimanas Duci Holſ. Gottorp. et prioribus Dnis reſtituet plenarie, cum omnibus tormentis bellicis, re armamentaria, ceteroque adparatu bellico, nec non mobilibus cuiuſcumque generis; item Actis Cancellariae, Archiuis ac litterariis Documentis, quae tempore occupationis vel deditionis inibi reperta ſunt: deductis eodem tempore, e dictis locis ac prouinciis, praeſidiariis militibus, et copiis Caeſareis omnibus: et quidem ad reparandum primo quoque tempore deſtructum, vel ſolo aequatum munimentum Varnemundenſe, Roſtochienſis ciuitas obſtricta erit.

f) Et quum Imperator arma ſua in prouincias ac ditiones S. R. M. Sueciae in Germania ſitas tranſtulerit, in iiſque bellum geſſerit: ideo vt enata animorum bellique diſſidia radicitus euellantur, S. Caeſ. Maieſt. inpoſterum nihil impedimenti aut moleſtiae adferat, aut adferri patiatur Sereniſſimo Regi eiuſque ſucceſſoribus Regibus Regnoque Sueciae, in iis, quae ipſis vi Pacis Germanicae concluſae, et Imperii Legum et Conſtitutionum competunt, ſed Eius Regiam Maieſtatem eoſdemque in iis omnibus conſeruet, conſeruarique faciat.

g) Pacta et foedera omnia, hoc bello cum aliis Principibus ac Statibus inita, facta hac pace, in ſuo robore permaneant, quatenus hiſce pactis ac pacificationi non aduerſantur.

Digitized by Google

quibuſuis aliis Principibus, aut Statibus, ſalua et integra, et in pleno robore ſuo permaneant, quorum tamen obligatio ad alios, quam ad ipſos contrahentes, non extendetur.

Interea Dnn. Poloni viderant Articulum: "Id vero in locis reſtituendis obſeruetur" etc. — Reduceque Dno Mediatore, quae ab illis deſiderantur, hoc modo mutantur: "Id vero in reſtituendis locis obſeruetur, vt intra octiduum, poſtquam Sereniſſimi Regis Poloniae ratificatio, et Dnn. Commiſſariorum Polonicorum cautio, de tradenda Lege Comitiali a Republica Delegatorum ratificatione, in manus Dn. Mediatoris reddita fuerit, Mariaeburgum cum Inſula maiore ac Stuma, cum eorum territoriis, deductis Elbingam praeſidiis Suecicis, reddantur in manus Commiſſariorum Regis ac Regni Poloniae. Et illico liber ſit atque non interturbatus, tam mari quam terra, ſicut ante hoc bellum fuit, commerciorum vſus, ac curſus poſtarum ac litterarum, aliorumque itinerantium hominum. Bautſke autem in Semigallia euacuetur intra octiduum, poſtquam notitia concluſae pacis Generali exercituum, vel eius locumtenenti, in Liuonia innotuerit. Elbingam vero, eiuſque territorium et Inſulam minorem, cum fortalitiis ibi exſtructis, retineat Sereniſſimus Rex Regnumque Sueciae, donec huius pacis ratificatio Comitiali Lege a Republica Delegatorum ſubſequuta extradita et inuicem commutata fuerit. Qua tradita, et non exſpectata, hac vice, ratificatione ipſius Reipublicae Polonae, in proximis futuris Comitiis generalibus expedienda, Elbinga cum munimentis omnibus et Inſula minore, deductis ſine damno incolarum praeſidiis, in manus Commiſſariorum Regis et Reipublicae Polonae tradatur et reſtituatur." Ingroſſatum hoc Conceptum Dn. Mediatori denuo extraditur, qui rediens ſecum adfert, quae Dnn. Poloni ad punctum amneſtiae eiuſque Articulos et §§. demum notarunt: atque haec ſunt: In 3. Saluo libero, vt ante bellum viguit, in praedictis ciuitatibus Catholicae et Euangelicae Religionis exercitio. Pro his vero, quae neceſſitate defenſionis deſtructa ſunt, minime tenebuntur: pro verbis, *quae iuſſu Generalitatis Suecicae.* In 4. *inpoſterum* admittitur. In 5. Siquidem totus hic Articulus eſt in Sexto, proinde omiſſo eo admittitur Sextus in toto, quum agat de mobilibus et immobilibus ſimul, deque his diſponat. — Dum autem et huius diei pondus ac aeſtum conferentia

Digitized by Google

tia portauerat, Dn. Mediator continuationem congreſſus et tractatuum ad craſtinam octauam matutinam, captata beneuolentia et curialibus ſolitis, omnium partium Legationibus intimauit. Reuerſi quiſque ſuas ad ſtationes.

Actum Oliuae d. $\frac{11}{21}$ April. horis ab VIII matutinis vſque ad dimid. VI veſpertinam.

Poſtquam Illuſtriſſimis atque Excellentiſſimis Dnis Legatis noſtris relatum erat, etiam tranſeundo ipſi obſeruare poterant, Carlekouiam, vbi Rex et Regina Aulaque Polonica adhuc commorantur, vallo et munimentis circumdari, nec non tormenta, et, praeter Satellitium Praetorianum, copioſum adhuc Praeſidium adduci; rati ſunt, non poſſe id ſilentio praeteriri, ſed Dn. Mediatori rem deferendam, et cauſſam percontandam eſſe: prius tamen quam grauamen proponatur, certiores ſe eſſe oportere. Itaque miſerunt, qui, forte fortuna locum ipſum tranſeuntes, omnia bene obſeruent. Quum illi ſimul fere ac Suae Excellentiae Oliuae adeſſent, ac certitudinem adfirmaſſent, Dn. Regni Theſaurarius aduenientem Dn. Mediatorem, antequam ſeſſum eſt, adloqui coepit: Non ſine admiratione Legationem Suecicam intelligere, immo iam praetereundo vidiſſe, Aulam Carlekouiae vallis ſe munire, nec tantum tormenta, verum etiam ducentos ſclopetarios Dantiſco adduci feciſſe: neceſſe eſſe, aut vt Aula ab aliis aliquid mali metuat, aut quod calumniator aliquis de nobis rumorem ſparſerit, quo Legatis Plenipotentiariis Suecicis apud Vrbem Gedanenſem odium conciliaret. Si primum in cauſſa: rogari, S. R. M. Legationi hanc gratiam concedat, eique in tempore, quidquid ſit, animaduertat, ſiquidem Sobothi, ſine munimine omnium voluntati expoſiti, ex ſola fide publica ſecuri degamus. Si alterum: peſſimum eſſe hominem oportere, qui calumniis talia efficere non vereatur. In ſe ſuſcepit Dn. Mediator, hac de re, cum Legatione Polonica loqui velle; confirmans ſe aliquid heſterna veſpera comperiſſe; quî autem haec fiant, ignarum. Contulit ſe ad Dnos Legatos Polonicos. Interea Dn. Akakia acceſſit, et de circumuallatione Carlekouiae cum ipſo paucus ſermo inſtituitur. Hic non ſubeſſe aliquid ſe crede-

credere dixit; vidiſſe quidem aggerem et foſſam, ſed vt intelligat eſſe magis exercitium Aulicorum quorundam, quam munimentum pro Rege. Miſſa hac quaeſtione, interrogatur a Dn. Comite Schlippenbachio, num audiuerit ſe dixiſſe Ablegato Neoburgico, quod velit petere audientiam a Rege Poloniae. Id quod hic negat: et quum aduenirct ipſe Ablegatus Rautenſteinius, ſimiliter negauit dictum hoc eſſe. Rediit Dn. Mediator, et retulit, Dnos Legatos Polonos reſpondiſſe, nihil latere ſub aggere effoſſo Carlekouiae, nec aliquid contra fidem publicam nobis metuendum: ſe quoque praeterea loquuturos cum Rege, vt mandet deſiſti. Quibus adquieuit noſtra Legatio. Interea non fuit vanus ab initio metus; quippe Aula Polonica nil niſi abitum toties minitabatur; murmur erat Dantiſci, Suecos pacem nolle, ideo noua ſubinde poſtulata Legatos eos proponere: immo acceſſit, quod nuper a non nemine e Miniſterio Gallico ad aures noſtrae Legationis peruenerat, Polonos metuere ipſos, quod Caeſariani pacis concluſionem vi impedituri ſint. Erant etiam, qui aliquid ſuſpicatam Aulam Polonicam fabularentur, quod altera galeotarum Elbingenſium, cui *Papegoia* nomen eſt, nimis littori Oliuenſi, cui Sobothum et Carlekouia imminent, adpropinquaſſet, quae tamen deinde ad alterum Sobothi latus, Sinum Pucenſem verſus, ſe mouit. Ad rem acceſſum eſt. Et Suae Excellentiae ad notas Dnn. Polonorum heſternas, retento tamen §. de Principe Rakouiae et Coſſacis, ſeu militia Zaporouiana, ex noſtro et Legationis Polonicae Proiecto nouiſſimo tale formant Conceptum puncti amneſtiae, quod Dno Mediatori traditur, et ille ſecum fert ad alterius partis Legatos.

1) "Sit vtrimque perpetua obliuio et amneſtia eorum omnium, quae quocumque loco modoque a paciſcentium parte hactenus hoſtiliter facta ſunt, ita vt nec eorum, nec vllius alterius rei cauſſa vel praetextu, vlla pars alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, ſpecie iuris aut via facti, inferat, aut per ſuos vel per alios inferri faciat aut patiatur. 2) Hac generali amneſtia gaudeant omnes et ſinguli, cuiuſcumque ſtatus, conditionis et religionis fuerint, vt et omnes communitates, quae ab vtrimque partes hoſtiles ſequutae ſunt, aut in hoſtilem poſſeſſionem deuenerunt: et ne vllis hoc bellum praeiudicio ſit et noxae in ſuis iuribus et priuilegiis ac conſuetudinibus generalibus

et

et ſpecialibus, tam in Eccleſiaſticis, quam in ciuilibus profaniſque, quibus ante hoc bellum gauiſi ſunt, in totum fruantur: nec vllis actio ratione adhaeſionis hoſti, ſiue communitatibus ſiue priuatis, intentabitur, ita vt nemini liceat alicui negotium faceſſere ratione adhaeſionis hoſtilis, aut eam exprobrare. 3) Ordinibus ac Ciuitatibus Pruſſiae, quae in poſſeſſione S. R. M. Regnique Sueciae hoc bello fuerunt, manebunt itidem integra omnia iura, libertates, priuilegia, quibus ſiue in profanis, ſiue in Eccleſiaſticis potiti ſunt ante hoc bellum, (ſaluo libero, vt ante bellum viguit, in praedictis ciuitatibus Catholicae et Euangelicae Religionis exercitio,) eorumque territoria, magiſtratus, communitates, ciues, incolas et ſubditos S. R. M. Poloniae eadem, qua olim, clementia et gratia regia inpoſterum proſequetur, fouebit et tuebitur. Inter cetera ipſis, vt aedificia publica et priuata per iniuriam belli deſtructa reaedificent, conceditur; pro his vero, quae neceſſitate defenſionis deſtructa ſunt, minime tenebuntur. Quoad ea vero, quae militiae Suecicae, tributi loco, vtriuſque Inſulae ſubditis exſoluere neceſſe fuit, a nemine moleſtia inferetur, ſicut et pro decimis aliiſque cenſibus, quibus ſubditi Inſulani ſatisfacere hoc tempore belli minime potuerunt, non turbabuntur. 4) Cunctae actiones aut inquiſitiones aduerſus illos, qui partibus hoſtilibus adhaeſerunt hoc bello, vel ſequuti eaſdem eſſe inſimulantur, quibuſcumque in locis Poloniae, Magni Ducatus Lithuaniae, Pruſſiae, Curlandiae habitent, cuiuſcumque ſtatus, conditionis aut religionis ſint, ſiue priuati vixerint, ſiue officio publico functi, aut ſeruitiis S. R. M. Sueciae ſago vel toga adſtricti fuerint, inſtitutae, necdum finitae et ad exequutionem deductae, abrogentur, omnique exequutione careant in perpetuum; et inpoſterum contra eos nulla vmquam quaeſtio vel actio ex hac cauſſa inſtituetur. 5) Quae durante bello, iure fiſci, ex occaſione ac praetextu protectionis aut adhaeſionis alterius partis, cuiquam ſiue nobili, ſiue plebeio, cuiuſcumque ſtatus, conditionis ac religionis, ademta, et vel fiſco illata, vel aliis collata ſunt bona, ſiue Regia ac Reipublicae, ſiue etiam priuatorum ſint; mobilia quidem, ſi tradita ſint, modernis poſſeſſoribus relinquantur; ſi vero eiuſmodi iura caduca hactenus in exequutionem deducta non ſint, antiquis poſſeſſoribus relinquantur. Neque vlla actio dehinc aduerſus communitates aut priuatos ratione eiuſ-

Digitized by Google

modi bonorum intentetur. Bona vero immobilia, quorum donationes et largitiones factae ſunt, ſiue iam ante tradita, ſiue nondum tradita ſint, maneant penes antiquos dominos, ceſſantibus de cetero omnibus actionibus ratione redituum, ſiue ex publicis, ſiue priuatis bonis perceptorum. 6) Qui S. R. M. Sueciae Confoederatorum, vtpote Celſiſſimi Principis Tranſſiluaniae et militiae Zaporouianae, partes ſequuti ſunt, illi omnes amneſtia plenarie gaudebunt, nec aduerſus eos actiones vllae eo nomine poſthac inſtituantur, et, ſi quae inſtitutae ſunt, caſſentur et abrogentur."

Dn. Mediator, poſt reditum, ſe tradidiſſe refert hoc Conceptum, quod illi iam perlegant; Electorales autem maxime vrgere ſuum propter Elbingam deſiderium, vt nempe clauſula peculiaris huic Articulo ſeu puncto amneſtiae inſeratur. Dn. Regni Theſaurarius: Clauſulam Inſtrumento publico inſeri, Legationem Suecicam admittere non poſſe. Deliberant Suae Excellentiae; et concluditur, propter Elbingam pacem impedire non licere: ſi autem ad finem promouendi tractatus cauſſa aliquid faciendum ſit, fieri id oportere per declarationem Articuli ſeparati, eiuſque ſecreti: extrema tamen tentanda eſſe, an diuerti poſſint Electorales, ſiquidem maxime conſentaneum et veroſimile ſit, Polonis ipſis gratum accidere, ſi praefatam ciuitatem tradere non cogantur. Atque hanc ſententiam maxime defendit Dn. Comes Schlippenbach. Adloquuntur Dnum Mediatorem, vt auctoritatem Chriſtianiſſimi Regis interponat, ne pars altera ſalutare opus ex hoc praetextu remoretur. Ille: Nonnullam ſe heri digreſſionem feciſſe, an deflectere illos poſſet a petito ſuo: ſed eos, praeſertim Dnn. Electorales, tenaciter inhaerere poſtulatis, et Dnn. Polonos, ſiquidem Dn. Electori obligati ſint, et pacti Bidgoſciani ſolutione teneantur, contradicere non audere. Dn. Regni Theſaurarius: Quum omnia in priſtinum ſtatum reſtituantur per punctum amneſtiae, conſideret Dn. Mediator, quî fieri queat, vt Legatio Suecica ſibi in eodem Articulo publice contradicat? Dn. Mediator: Se antea temperamentum propoſuiſſe, nimirum, vt Legatio Suecica declaret, ſi Rex Poloniae tradat Dno Electori ex pacto Elbingam, ſe illam traditionem impedire nolle. Repetierunt priora Suae Excellentiae, et Dn. Mediator ſe confert ad alteram partem. Ipſo abſente, denuo deliberant Dnn. Legati, et pro Elbinga, ne tradatur Electo-

Digitized by Google

Electori, multum pugnante Dn. Comite Schlippenbachio, vota tandem omnia erant, ſi declinari non poſſet, Articulum ſecretum declaratorium dandum eſſe. Paullo poſt rediit Dn. Mediator: qui quum interrogaſſet, quid tandem Suae Excellentiae reſoluerint? reſponſum eſt per Illuſtriſſimum Dn. Regni Theſaurarium, quod Legatio noſtra inhaereat declarationi ſuae. Ille: Quinque his diebus ſe propoſuiſſe dixit, tria in fauorem Legationis Suecicae, duo Dnn. Polonorum. Tria illa conceſſa Dnis Suecis: ergo extricemus nos aliquando ex illo puncto Elbingano. Suae Excellentiae adhuc tentant ſuperare hanc difficultatem: ſed Dn. Mediator omnia ſe feciſſe dixit, et quidem horam et amplius heri cum illis egiſſe, deliberantibus inter ſe Polonis, quo medio contenta reddi poſſit Sua Serenitas Electoralis: quum praeter ſolutionem paratae pecuniae quadringentorum mille Imperialium nihil vidiſſent, loquutos ſe eſſe, Elbinga ipſa ſummam iſtam ſoluat, neceſſe eſſe; e contra Regem illis telonea et reditus omnes, quae ſoluere quotannis Regi tenentur, tamdiu remiſſurum, donec plenarie illa pecunia decurtaretur. Coeptus eſt hinc diſcurſus; et noſtri Dnn. Legati regeſſerunt, quod ciuitas Elbingenſis, vti credant, vix tali ſummae pro tempore par ſit, niſi forte Dantiſcum aut Anglicani illis adſiſterent. Redit ad poſtulatum Dn. Mediator; de nouo declarationem categoricam ſerio vrget, addens, ſe ob ſolum hoc rupturam metuere, flecti vlla ratione nolentibus Electoralibus Legatis. Tandem poſt dimidiae horae et amplius diſputationem, vltimam declarationem ſuam Dnn. Plenipotentiarii noſtri Dno Mediatori aperiunt, quod non queant niſi Regi et Reipublicae Poloniae Elbingam reſtituere: quid deinde Polonia fecerit, Sueciam non impedituram. Quibus ille ad Dnos Polonos ſe recepit. Ipſo abſente, ex ſuperfluo inter ſe conferunt ac deliberant Suae Excellentiae, atque dum pro et contra rem ventilaſſent, traditionem impediri a nobis poſſe non vident. Quare ſecretus Articulus per manum Dn. Regni Theſaurarii primum his verbis proiectus eſt: "Quodſi Sereniſſ. Rex et Reſpublica Poloniae Elbingam, quam ſaluis ſuis priuilegiis in omnibus, vt in ipſo Pacis Inſtrumento exprimitur, retradimus, Ser. Electori cedere pro hypotheca voluerit, id pro ruptura pacis a Suecia non interpretatum iri, hiſce declaratur." Dn. Comes Oxenſtierna, vbi perlectum eſſet hoc Proiectum, non abs re eſſe

 monuit,

Digitized by Google

monuit, ſi Elbingenſium Deputati vocarentur. Quaeſitum eſt, an adſint? Quum adfuiſſe quidem ſub initium hodierni congreſſus reſponderetur, ſed ad hoſpitium ſuum illos reuertiſſe, iuſſus eſt noſter Secretarius Legationis, vt per ſchedulam notificatoriam ipſos arceſſeret; id quod hic extemplo fecit, et in hunc ſenſum ſcripſit: Poſtquam hoc momento de ſumma ſtatus ac ciuitatis ipſorum agatur, Illuſtriſſimos atque Excellentiſſimos Dnos Legatos Suecicos exſpectaſſe, vt Secretarius eorum, ſicuti hodie mane Sobothi poſtulatum eſſet, tempus Oliuae obſeruaret. Suas Excellentias igitur iam in mandatis dediſſe, vt ipſis notificaretur, quo ſine mora ipſi huc veniant, aut, ſi abiiſſemus nos ante aduentum eorum, illi Sobothum Excellentias Suas ſequantur. Miſſus eſt cito pediſſequus, qui ad eos haec perferret. Interea Suae Excellentiae loquuti ſunt inuicem, quod certo nunciatum ſit, praefatos Elbingenſium Deputatos, inſalutatis et inſciis Dnis Plenipotentiariis noſtris, amneſtiam particularem apud Regem Poloniae petiiſſe, audientiam obtinuiſſe, ad oſculationem manuum admiſſos, ipſiſque omnem gratiam a Rege promiſſam eſſe. Quod merito aegre feratur a nobis, nec ſilentio, quando aduenerint Deputati, praetereundum. Dn. Mediator quum rediiſſet, rogatur, diſponat Dnos alterius partis Commiſſarios Plenipotentiarios, ad alia quo progrediantur, ſi propter Elbingam amneſtiae punctum hodie concludere nolint: multa adhuc ſupereſſe pertractanda, in his quoque reſtitutionis locorum Articulum. Ille: Quia curſor per expreſſum miſſus ad Dnn. Caeſarianos heri adtuliſſet, illos hodie adeſſe non poſſe, et ſimul nunciaſſe, quod ante craſtinum pomeridianum intereſſe congreſſui nequeant, ideo Dnos Polonos et Electorales nihil de cedendis et euacuandis locis in Pomerania occupatis, praefata Legatione abſente, agere poſſe. Itaque ad minutiora redeundum Dn. Regni Theſaurarius cenſuit, vtpote Dni Ducis Croyani poſtulatum. Dn. Mediator, declaraſſe Dn. Ducis Curlandiae Ablegatum, reſpondit, ſi Polonia ſolutionem praeſtet, Principem ſuum cum Dn. Duce Croyano bonis modis conuenire velle.* Dn. Regni Theſaurarius: Dn. Ducis Curlandiae praetenſionem huc non pertinere: modo Polonia debitum ſoluat, relicto partibus iſtis controuertentibus,

* Conf. DIARIVM CVRON. ad d. XX Apr.

Digitized by Google

tibus, quomodo conuenire velint aut poſſint. Suſcepit Dn. Mediator, ſe cum Dnis Polonis hoc de negotio acturum vlterius. Sed antequam abiit Dn. Mediator, Dn. Regni Theſaurarius denuo inſiſtit, vt amneſtiae punctus hodie complanetur, vſque ad Articulum Elbingam concernentem, qui in craſtinam conferentiam relinqui poſſet. Dn. Mediator ſe tentaturum promiſit: et traditum iam erat Proiectum noſtrum hodiernum. Abiit ad alteram partem.

Nunciatur adeſſe Elbingenſes: qui vocantur, et ſunt Conſul et Vicepraeſes *Meyenreis*, et Senator *Dreſchenberg* cum Secretario.* Dn. Regni Theſaurarius, praemiſſis curialibus, a Dno Mediatore illos intellexiſſe, non eſſe dubium, quod Electorales maxime vrgeant ex pacto Bidgoſciano traditionem Elbingae; iam magis credere eos hoc poſſe, quia iam ipſi adſint, et praeſentes intelligant, quod mutatio ſit futura: interea iimotuiſſe, quod, nobis inſciis, amneſtiam et gratiam Regis ac Reipublicae Poloniae impetrare conati ſint, eamque obtinuerint. Iam Legationem Suecicam cauſſas, cur hoc fecerint, quum illi noſtro, non vero nos illorum conſilio et communicatione indigeamus, latere. Rei cardinem in hoc conſiſtere, quod Dnn. Legati partis alterius categoricam a nobis vrgeant declarationem: quam tandem ipſis, ſiquidem ob hoc punctum ſolum impediri aut retardari pacem minus conueniat vel defenſibile ſit, aperire oporteat. Voluiſſe ſe audire Deputatos in hoc negotio, quo de cauſſa ipſorum agatur; ſperare tamen, ciuitatem Elbingenſem ſe non praecipitaturam, ſed in conſtantia et deuotione ſua erga S. R. M. Dn. noſtrum Clementiſſimum, vſque ad finem perſeueraturam. Conſul Meyenreis poſt recurialia, intellexiſſe Magiſtratum Vrbis Elbingenſis, mutationem metuendam; itaque ſe cum collega ſuo deputatum, vt impetrato Saluo Paſſu a Rege Poloniae, (quo nomine Suis Excellentiis Dnn. Legatis noſtris humillimas agunt gratias,) ad locum tractatuum profecti, pro vtilitate et intereſſe vrbis vigilarent. Audientiam ſe apud Regem obtinuiſſe, et gratiam ipſis promiſſam fatentur, ſperantes, non in malam partem Suas Excellentias hoc, quod tempus praeſens iuſſiſſet, interpretaturas eſſe; conteſtari ſe, quod Magiſtratus Elbingae numquam cogitauerit protectionem

* Conf. PASTORII Diarium pag. 251.

nem Sereniſſimi Electoris amplecti, aut in traditionem conſentire velle; hoc vnicum hactenus optaſſe, vt ſub regimine S. R. M. Sueciae manere potuiſſent, ſiquidem adhuc etiam in mandatis et inſtructione habeant, idem Regiam Legationem Suecicam aſſecurare, rogareque, vt, ſecundum poſſe, efficere velint, quo Elbinga, ſi per pacem reſtituenda ſit, Regi Poloniae et Reipublicae Poloniae retradatur. Dn. Regni Theſaurarius interrogat, num Legationem Brandeburgicam viſitaſſent. Illi: Se quidem ab ipſa vocatos fuiſſe, modeſte tamen recuſaſſe. Dn. Regni Theſaurarius: Num cum Dnn. Legatis Polonicis hac de re communicauerint? Illi; Cum Dno Regni Cancellario Poloniae ſe loquutos eſſe. Dn. Regni Theſaurarius: Quid is diſcurrerit, et num intimius cum illo conſultaſſent? Illi: Dn. Regni Concellarium dixiſſe tantum, quod Sereniſſimus Elector Elbingam praetendat; Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Dnn. Legati Suecici autem eam S. R. M. ac Reipublicae Poloniae hoc modo et cum his priuilegiis, ſicut glorioſiſſima S. R. M. Dn. noſter Clementiſſimus, beatiſſimae et immortalis memoriae, eam acceperit, reſtituant; quid deinde Polonia factura ſit, hoc opus, hunc laborem eſſe. Dn. Comes Oxenſtierna: Hic totum negotium haerere; non perrecturam Legationem noſtram, donec ad ſecuritatem ciuitatis iſte punctus complanetur. Dreſchenbergius: Se Deputatos intellexiſſe, Poloniam ipſam ratione ſuperioritatis haud libenter conſenſuram, vt Elbinga Dno Electori tradatur. Dn. Comes Schlippenbach; Verum hoc, ſed quid conſilii, quum Electoralis Legatio deſiſtere a praetenſione ſua nolit? Dreſchenbergius: Forte inuenirentur media; ciuitas extremas vires ſuas tentet, neceſſe eſſe. Dnn. Legati: Relatum eſſe, quod Deputati iam ad ſolutionem ſummae cccc mille Imperialium erga Dnum Regni Poloniae Supremum Cancellarium ſe declarauerint: licere, vt paullo diſcedentes deliberent, et, quid ipſis videatur, nobis aperiant. Diſceſſerunt. Interea Suae Excellentiae reaſſumunt diſcurſum de hac materia, et proiectum Articulum ſeparatum reuident, paulloque fuſius eum concipiunt. Poſt reditum, Conſul Meyenreis agit gratias humillime pro communicatione: ſe et collegam Deputatos Elbinganos, iſtiuſmodi cum Illuſtriſſimo Dn. Regni Poloniae Supremo Cancellario miſcuiſſe ſermones: rogat obnixe, quo Legatio Suecica ciuitatem hanc ſua

ſub

Digitized by Google

ſub protectione vlterius tueri velint; ſentire ſe etiam eumdem animum ex parte Polonica; ſi hodie non inueniatur medium, forſan hanc noctem illud ſuppeditare poſſe, ita vt craſtino die pergi poſſit. Dn. Regni Theſaurarius aſſecurat Deputatos protectionis S. R. M. Regnique Sueciae vſque ad extremum, inprimis vero manutentionis priuilegiorum ſuorum; ſperare viciſſim ſe, et Dnos Collegas Legatos Plenipotentiarios Suecicos, ciuitatem ſaepe dictam ita ſe adhuc geſturam, vt veterem illam laudem cultae amicitiae Suecicae poſſit retinere. Senator Dreſchenberg: Se Deputatos demonſtraſſe Dno Supremo Cancellario, quodſi Elector ſemel praeſidium ſuum introducat, locum hunc eumdem perpetuo detenturum, et hunc ipſum fore gradum Reipublicae, dum per Elbingae poſſeſſionem Superioritas, (*die Souveraineté*) ipſi nuper conceſſa, ſtabiliretur, et ab ipſo manuteneretur. Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius praelegit Deputatis ex ſchedula Proiectum, quod Sua Excellentia manu propria conceperat. "Quodſi Sereniſſimus Rex et Reſpubl. Poloniae, poſt concluſam pacem, Elbingam, quae ſaluis ſuis priuilegiis in omnibus, vt in Inſtrumento Pacis exprimitur, Poloniae retraditur, Sereniſſimo Electori, ſaluis itidem tamen et integris de cetero iuribus, priuilegiis ſuis et immunitatibus in Eccleſiaſticis et Politicis, cedere pro hypotheca, vſque ad ſolutionem adſtipulatae ſummae pecuniariae, voluerit, qua ſoluta nihil in Elbingam magis praetendere poterit Sereniſſimus Elector, id pro ruptura pacis a Suecia non interpretatum iri, hiſce declaratur." Quo perlecto pergit Illuſtriſſimus, et in hunc modum Articulum praeſentem a nobis concipi alterius partis Dnos Legatos velle dixit: ex omnibus, quae hactenus acta ſint, hoc Proiectum conceptum nobis accidere ingratiſſimum, quum declinari vllo modo nequiuerit: intelligere Legationem Suecicam velle, quid Deputatis videatur? Dreſchenbergius: Latere anguem in herba: ambo deinde haeſitant. Dn. Regni Theſaurarius. Se totumque Collegium omnia, quae ad ſalutem retradendae vrbis facere queant, acturos dixit; periculum autem eſſe in mora. Dreſchenbergius: Rogari Suas Excellentias, quo ad minimum inſeratur cautio, quod Sereniſſ. Elector nihil, praeter ius et naturam hypothecae, praetendere debeat. Praeſidium et priuilegia alia non pertinere ad hypothecam. Dn. Regni Theſaurarius: Communicare Legationem

Digitized by Google

tionem ipſi velle Proiectum; licere, vt, quid ipſis viſum ſit, moneant. Quibus ipſis conceditur in conclaue Cancellariae ſeceſſus, et Secretarius Legationis mandatur, vt cogitationes et mentem ſuam percipiat, ac ſuis Excellentiis referat. Antequam autem Proiecti ipſis fieret copia, per Dn. Regni Theſaurarium poſt verba, *praetendere poterit Sereniſſ. Elector,* adhuc inſerta ſunt ſequentia: "aut ſi ante ratificationum commutationem ſolui poſſit praedicta pecuniae ſumma." Igitur petierunt inſeri illorum Articulo haec verba: "iure tantum hypothecario, citra tamen omne praeſidium, ſaluo inprimis Conſiliariatu,* vt et in Conuentibus Regalis Pruſſiae competente ſeſſionis loco:" vel, "iure tantum hypothecario, citra tamen omne praeſidium, aut diſmembrationem a Regali Pruſſia, ſ. Regalis Pruſſiae: qua ſoluta" etc. Retulit Secretarius, et Suae Excellentiae conſenſerunt, vt inſerantur priora. Concepit ille Articulum hoc modo: "Quodſi Sereniſſ. Rex et Reſpublica Poloniae, poſt concluſam pacem, Elbingam, quae ſaluis ſuis priuilegiis in omnibus, vt in ipſo Inſtrumento Pacis exprimitur, Poloniae retraditur, Ser. Electori, ſaluis itidem tamen et integris de cetero iuribus, priuilegiis ſuis et immunitatibus in Eccleſiaſticis et Politicis, iure tantum hypothecario, citra omne praeſidium, ſaluo inprimis Conſiliariatu, vt et in Conuentibus Regalis Pruſſiae competente ſeſſionis loco, vſque ad ſolutionem adſtipulatae ſummae pecuniariae cedere voluerit, qua ſoluta nihil magis in Elbingam praetendere poterit Ser. Elector, pro ruptura pacis a Succia non interpretatum iri, hiſce declaratur." Ad reuidendum datum eſt Conceptum: et poſtquam perlectum eſſet, ita mutauit Illuſtriſſimus Dn. Regni Theſaurarius: "Quod ſi Sereniſſ. Rex et Reſpublica Poloniae, poſt concluſam pacem, Elbingam, quae ſaluis ſuis priuilegiis in omnibus, vt in ipſo Inſtrumento Pacis exprimitur, Poloniae retraditur, Sereniſſimo Electori cedere voluerit, modo id fiat

* Quippe ab antiquo locum Elbinga habet in Conſilio Pruſſiae Publico; quo nomine Ordines Regalis Pruſſiae maiores comprehenduntur, Epiſcopi videlicet Varmienſis et Culmenſis; Palatini Culmenſis, Mariaeburgenſis et Pomeraniae; Caſtellani Culmenſis, Elbingenſis et Gedanenſis; Succamerarii Culmenſis, Mariaeburgenſis ac Pomeraniae; et tres ciuitates, Thorunium, Elbinga, Gedanum. De quo Conſilio Pruſſico pluribus egit GODOFR. LENGNICHIVS, in peculiari Comment. praemiſſa Hiſt. Pruſſ. T. VI. item in duabus Diſſ. quarum altera

Digitized by Google

fiat ſaluis et integris iuribus, priuilegiis praedictae ciuitatis et immunitatibus omnibus in Eccleſiaſticis et Politicis, citra omne praeſidium, ſaluo itidem inprimis Conſiliariatu, vt et in Conuentibus Regalis Pruſſiae competente ſeſſionis loco, iure tantum hypothecario, vſque ad ſolutionem adſtipulatae ſummae pecuniariae, qua ſoluta vel ante vel poſt ratificationum commutationem, nihil magis in Elbingam praetendere poterit Sereniſſimus Elector: id pro ruptura pacis a Suecia non interpretatum iri, hiſce declaratur." Denuo lectum et in mundam chartam miſſum eſt hoc modo: "Quodſi Sereniſſimus Rex et Reſpublica Poloniae, poſt concluſam et exequutioni plenariae datam pacem, Elbingam, quae ſaluis ſuis priuilegiis in omnibus, vt in ipſo Inſtrumento Pacis exprimitur, tunc Poloniae retraditur, Sereniſſimo Electori cedere voluerit, iure tamen tantum hypothecario, vſque ad ſolutionem adſtipulatae ſummae pecuniariae, qua ſoluta vel ante vel poſt ratificationum commutationem, nihil magis in Elbingam praetendere poterit Sereniſſimus Elector, pro ruptura pacis a Suecia id non interpretatum iri, hiſce declaratur: modo fiat ſaluis et integris iuribus, priuilegiis et immunitatibus omnibus praedictae ciuitatis in Eccleſiaſticis et Politicis, citra omne praeſidium, ſaluo itidem inprimis Conſiliariatu, vt et in Conuentibus Regalis Pruſſiae competente ſeſſionis loco." Redierat identidem more ſolito Dn. Mediator, dum haec agerentur, et cum ipſo communicata ſunt Proiecta praecedentia Articuli ſecreti de Elbinga, tandemque ipſi traditur modo praecedens. Quod quum admittere nollent Dnn Poloni et Electorales, cumprimis propter clauſulam finalem, *citra omne praeſidium* etc. ex antecedentibus eiuſmodi conficitur Conceptum, et Dn. Mediatori traditur: "Quodſi Sereniſſimus Rex et Reſpublica Poloniae, concluſa et exequutioni data pace, Elbingam, quae ſaluis per omnia

ra eſt de norma regiminis Pruſſiae, altera de hodierna Reipubl. Prutenae facie. Conf. *Eiuſd.* Ius Publ. Pruſſiae, p. 34 ſq. Ceterum de loco ſeſſionis, in Conuentibus publicis, Elbingenſes tum ſolliciti erant, quod, qui ipſis competeret, ſuperiori Gedanenſes imminere intelligerent. Ea de re quaedam ſupra dixi ad PASTORII Diarium, pag. 159. n. **** Conf. GEORG. DAN. SEILERI Diſſ. de numero et ordine Ciuitatum in Pruſſia maiorum, (Elbing. 1731.) rec. in ACTIS BORVSS. T. II. P. III. No. 5.

omnia, tam in Eccleſiaſticis quam Politicis, priuilegiis ſuis, ceu in ipſo Pacis Inſtrumento expreſſum eſt, Poloniae retraditur, Sereniſſimo Electori hypothecae loco, quae vltra naturam iuris hypothecarii non extendenda eſt, vſque ad ſolutionem adſtipulatae ſummae pecuniariae concedere voluerit, ita vt, ſoluta illa, nihil in Elbingam Sua Serenitas Electoralis praetendere poſſit amplius, id pro ruptura pacis a Suecia non interpretatum iri, hiſce declaratur." Rediit Dn. Mediator, retulitque Dnos Polonos et Electoralem Legationem malle, vt inſerantur puncto amneſtiae haec verba: "Haec tamen non extendentur ad ea, quae Sereniſſ. Electori a S. R. M. et Republica conceſſa ſunt, iura et loca." Reſponſum eſt, nimis extendi poſſe ſenſum: ſatius et clarius poni in ſeparato Articulo, quae Elbingam concernant. Dn. Mediator reuertitur ad Dnos Polonos. Rediit Dn. Mediator, et Proiectum puncti amneſtiae monſtrauit a noſtro differens, vt ſequitur: 1) Ordinibus ac ciuitatibus etc. deeſt, *Ordinibus*, Articulo 3. Proiecti noſtri, quod nos poſtulamus addi. 2) Adponi illi volunt, *Pruſſiae Regalis*. Quod poſt aliquas concertationes factum eſt. 3) §phus et inpoſterum etc. Artic. 4. plane omiſſus, licet heri admiſſus ſit; id quod ex ſchedula ſub ipſorum Cancellariae manu remonſtratur Dno Mediatori, et, vt adponatur, poſtulatur. 4) Clauſulam ſubnexerunt: *Hic tamen Articulus non derogabit* etc. Quam noſtri Dnn. admittere non potuerunt Plenipotentiarii. Recepit ſe Dn. Mediator ad Dnn. Polonos, et poſt reditum nunciat, illos adponi poſtulare in Articulo primo: *ſecundum Leges Regni.* Dn. Regni Theſaurarius: Addi igitur oportere, *antiquas*. Dn. Mediator, ſuperfluum eſſe, reſpondit. Igitur placuit adponi, quum non aliter niſi de antiquis intelligamus, nec Dn. Mediator hunc ſenſum abnuat: ſed delendus erat §phus *Hic tamen Articulus non derogabit* etc. et regreſſus eſt ad alteros. Statim rediit, et inſeri poſtulare Polonos, *quae priuatis factae ſunt*, pro: aliis factae donationes bonorum immobilium, refert: promittens Dnos Cancellarios Poloniae et Lithuaniae atteſtari velle, nullius bona dedonata eſſe. Contra demonſtratum eſt, nos ob cauſſas certas noſtrum verbum retinere. Iterum abiit. Poſt reditum, additus eſt §. et inpoſterum. Additur: *ſecundum Leges Regni:* tandem vox, *Ordinibus*. Quia tantum iſte Articulus loquitur de ciuitatibus et communitatibus, earumque territoriis; et Articulus primus generalis ſit, et omnes

Digitized by Google

omnes terrarum Pruſſiae Status et incolas comprehendat, omittitur. E contra illorum clauſula vltima: *Hic tamen Articulus* etc. deletur. Reſtabat de verbo *priuatis* etc. complanatio. Satis vbi diſceptatum eſt, concipiuntur illa verba hoc modo a Dn. Mediatore: "Bona vero fiſco adiudicata, ſiue penes fiſcum remanſerint, ſiue eorum donationes et largitiones priuatis factae ſunt. 6.) §. De Principe Rakocio et Coſſacis admittere plane noluerunt Poloni, licet ſaepiſſime et inſtantiſſime noſtrae Legationis poſtularent Excellentiae. Adhuc rogatur Dn. Mediator, non patiatur remoram diu ventilatae rei amplius, ſed procuret, quo tandem punctus amneſtiae complanetur. Abiit relaturus alteri parti. Poſt reditum adtulit a Secretario Legationis Polonicae ſubſcriptum, prouti modo a noſtris conuentum erat. Quum autem tempus non ſupereſſet, (quippe quinta veſpertina audita erat, et altera pars iam abibat,) vt ſimile exemplar mundaretur, et a parte Legationis Suecicae ſubſcriberetur: collatum eſt Polonicum cum Concepto noſtro, et iuſſus Secretarius iſtud ſubſcribere Conceptum, craſtino matutino recepturus, et mundatum autographum Dno Mediatori traditurus. Abiuimus.

Actum Oliuae d. $\frac{12}{22}$ Apr. hor. ab VIII matut. vſque ad dimid. XI noctis.

Articulus amneſtiae ſubſcriptus quoque a noſtro Legationis Suecicae Secretario, commutatur, et iam ſonat taliter: 1) "Sit vtrimque perpetua obliuio et amneſtia eorum omnium, quae quocumque loco modoque, a quacumque paciſcentium parte, hactenus hoſtiliter facta ſunt, ita vt nec eorum, nec vllius alterius rei cauſſa vel praetextu, vlla pars alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, ſpecie iuris aut via facti, inferat, aut per ſuos alioſue inferri faciat. 2) Hac generali amneſtia gaudeant omnes et ſinguli, cuiuſcumque ſtatus, conditionis et religionis fuerint, vt et omnes communitates, quae ab vtrimque partes hoſtiles ſequutae ſunt, aut in hoſtilem poſſeſſionem deuenerunt: nec vllis hoc bellum praeiudicio et noxae ſit in ſuis iuribus, priuilegiis ac conſuetudinibus generalibus et ſpecialibus, tam in Eccleſiaſticis, quam in Ciuilibus profaniſue, quibus ante hoc bellum gauiſi ſunt,

ſunt, ſed iis in totum fruantur ſecundum Leges Regni, nec vllis communitatibus aut priuatis actio ratione adhaeſionis hoſti intentabitur, ita vt nemini liceat alicui negotium faceſſere, ratione illius adhaeſionis hoſtilis, aut eam exprobrare. 3) Ciuitatibus Pruſſiae Regalis, quae in poſſeſſione S. R. M. Regnique Sueciae hoc bello fuerunt, manebunt itidem omnia iura, libertates et priuilegia, quibus ſiue in Eccleſiaſticis, ſiue in profanis potiti ſunt ante hoc bellum, (ſaluo libero, vti ante bellum viguit, in praedictis ciuitatibus Catholicae et Euangelicae religionis exercitio,) eorumque territoria, magiſtratus, communitates, ciues, incolas et ſubditos S. R. M. Poloniae eadem, qua olim, clementia et gratia Regia inpoſterum proſequetur, fouebit et tuebitur. Dabitur iiſdem quoque facultas aedificia publica et priuata, per iniuriam belli deſtructa, reficere et reaedificare. Pro his vero, quae neceſſitate defenſionis deſtructa ſunt, minime tenebuntur. Quoad ea vero, quae militiae Suecicae tributi loco ab vtriuſque Inſulae ſubditis exſoluere neceſſe fuit, a nemine moleſtia inferetur, ſicut et propter decimas, alioſue cenſus, quibus ſubditi Inſulani ſatisfacere tempore belli minime potuerunt, non turbabuntur. 4) Cunctae actiones et inquiſitiones aduerſus illos, qui partibus hoſtilibus hoc bello adhaeſerunt, vel eaſdem ſequuti eſſe inſimulantur, quibuſcumque in locis Poloniae, M. D. Lithuaniae, Pruſſiae Regalis, Curlandiaeque habitent, cuiuſcumque ſtatus et conditionis aut religionis ſint, ſiue priuati vixerint, ſiue officio publico functi, aut ſeruitiis S. M. Sueciae in ſago vel toga adſtricti fuerint, inſtitutae, necdum finitae et ad exequutionem deductae, abrogentur, omnique exequutione careant in perpetuum, et inpoſterum contra eos nulla vmquam quaeſtio vel actio ex hac cauſſa inſtituetur. 5) Quae durante bello, iure fiſci, ex occaſione ac praetextu adhaeſionis aut protectionis alterius partis, cuiquam ſiue nobili, ſiue plebeio, cuiuſcumque ſtatus, conditionis et religionis, ademta vel fiſco illata, vel aliis collata ſunt bona, ſiue Regia ac Reipubl. ſiue etiam priuatorum ſint, mobilia quidem, ſi tradita ſint, modernis poſſeſſoribus relinquantur: ſi vero eiuſmodi iura caduca hactenus in exequutionem deducta non ſunt, antiquis poſſeſſoribus relinquantur, neque vlla actio dehinc aduerſus communitates aut priuatos ratione eiuſmodi bonorum intentetur. Bona vero immobilia fiſco adiudicata, tum quorum donationes

nes et largitiones priuatis factae ſunt, ſiue iam ante tradita, ſiue nondum tradita ſunt, maneant penes antiquos dominos, ceſſantibus de cetero omnibus actionibus ratione redituum, ſiue ex publicis, ſiue ex priuatis bonis perceptorum." Hic notandum, quod in §. 5. Quae durante bello etc. in periodo: Bona vera immobilia etc. poſt verba: *fiſco adiudicata,* non poſuerant Dnn. Poloni comma, ſed ita diſtinxerant: Bona vero immobilia fiſco adiudicata tum (id eſt, tunc) quorum donationes etc. ſed ad noſtrorum Dnn. Legatorum inſtantiam de nouo, antequam commutatio fieret, ingroſſatum eſt, et poſita illa periodus: "Bona vero immobilia fiſco adiudicata, tum quorum donationes" etc. ita vt hoc modo ſit copula, quum alias fuiſſet temporis particula, et ſic aequiuocatio euitata. Conceptum huius Articuli heri propter anguſtiam temporis, loco mundi autographi, ex parte Suecica ſubſcriptum. Dn. Mediator non reſtituit; dicens, quod oblitus ſit adferre Secretarius Polonicus. Dn. Mediator refert, quod petiiſſent Dnn. Electorales, vt proponat, quo Legatio Suecica ſubſcribere velit certas reuerſales ratione Elbingae, quales etiam tradet Sereniſſimus Rex Poloniae: ſe autem dixiſſe, quod Suae Excellentiae non facerent. Dn. Regni Theſaurarius: Bene reſpondiſſe Dnum Mediatorem, nos non poſſe ſubſcribere iſtas reuerſales, vel etiam adnuere tali poſtulato Dnn. Electoralium: amori pacis tamen Legationem Suecicam tribuere velle, quod nolint impedire traditionem Elbingae Electori, ſaluis per omnia eorum priuilegiis in Eccleſiaſticis et profanis. Hoc oblato aequiſſimo Dnn. Electorales adquieſcere poſſe: et Dn. Mediator eos ad aequa diſponere rogatur. Ille ſuum officium promittit, atque ſeceſſit, dato ipſi denuo hoc Concepto, quum acceſſerunt verba, *et commutatas ratihabitiones.* "Quodſi Sereniſſ. Rex et Reſpublica Poloniae, poſt concluſam et exequutioni plenariae datam pacem, et commutatas ratihabitiones, Elbingam, quae ſaluis ſuis priuilegiis in omnibus, vt in ipſo Inſtrumento Pacis exprimitur, tunc Poloniae retraditur, Sereniſſimo Electori concedere voluerit iure tantum hypothecario, vſque ad ſolutionem adſtipulatae ſummae pecuniarae, qua ſoluta vel ante vel poſt ratificationum commutationem, nihil magis in Elbingam praetendere poterit Sereniſſimus Elector, pro ruptura pacis a Suecia id non interpretatum iri, hiſce declaratur: modo fiat ſaluis et integris iuribus,

Digitized by Google

et priuilegiis et immunitatibus omnibus praedictae ciuitatis in Eccleſiaſticis et Politicis, citra omne praeſidium, ſaluo itidem inprimis Conſiliariatu, vt et in Conuentibus Regalis Pruſſiae competente ſeſſionis loco.“

Poſt reditum Dn. Mediator duas difficultates praecipue occurrere inquit: 1) Praeſidii, quod Elector dicat, pro ſua ſecuritate illud concedi ſibi oportere. 2) Quod ad exequutionem pertinere Elbingae traditionem idem exiſtimet, et ideo praetendat, vt ante ipſam exequutionem Suae Serenitati tradatur. Dn. Regni Theſaurarius: Diuerſimode heri proiectum iſtum a nobis Articulum eſſe: declarent tandem expreſſe, quae verba ipſis in Concepto noſtro non placeant, quo demum exſuperata hac odioſa quaeſtione ad alia procedi poſſit: Legationem Suecicam, quouſque liceat, et fieri queat, conſcendiſſe. Diu abſuit Dn. Mediator, exſpectatus non abſque taedio temporis, et nauſea rei, ad ſatietatem odioſae. Hic quum rediret, laetabundus quaſi retulit Suis Excellentiis, poſt longam diſputationem ceſſiſſe concludendae paci Dnos Electorales; de ſua, quam praetendant, intentione remiſiſſe; et quoad Elbingam dediſſe notas, atque ſuper iis, vt partes declarent, petiiſſe. Quae ſunt: Art. 2. Amneſtia laedit iura Sereniſſ. Electoris. Nam ſi omnes et ſingulae communitates etc. gaudere debent iuribus omnibus prioribus, tolluntur, quae Sereniſſ. Electori a Republica ceſſa. Illis igitur tantum quod per Articulum de amneſtia derogari non debeat, hoc vt paciſcentes ſuper hac materia declarare velint, deſideratur. *Poſt concluſam*, in ipſa exequutione pacis, aut vti de eo conueniet. *In omnibus*, niſi quatenus per pacta cum Republica mutata. *Iure hypothecario*, hoc contra pacta.° *Eccleſiaſticis*, de iis in pactis cum Republica cautum.°° *Citra omne praeſidium*, hoc contra pacta.°°° *Saluo* etc. totum hoc pactis cum Republica repugnat. Perlegit noſtra Legatio notas, et vnice fundare ſe Legationem Electoralem in pacto Bidgoſciano depre-

* Sane in pactis Bidgoſcianis Rex Poloniae *Suae Serenitati Electorali ciuitatem Elbingenſem, cum toto eius diſtrictu et territorio, pleno dominii iure ſibi habendam poſſidendamque, vna cum reditibus, qui inde ad Reges Regnumque Poloniae olim deferebantur*, conceſſerat. Vid. Formula Conuentionis, apud PVFENDORFIVM, Rer. Brandeb. Lib. VI. §. 30. pag. 388.

** PACTA BIDGOSC. loc. comm. pag. 389. *Religionis Catholicae et Auguſtanae exercitium Elbingae liberum ſit, ſtatuſque eiuſdem religionis Catholicae idem*

deprehendunt, atque ideo nihil a ſua intentione remiſiſſe. Deliberant inter ſe, atque ad Dn. Mediatorem Dn. Regni Theſaurarius: Nos tradere Elbingam in eo ſtatu, quo fuit, quum accepit S. R. M. Succiae: ſi deinde Polonia velit tradere Electori, ad nos non pertinere; foedus autem ſeu pactum Bidgoſcianum Succiam confirmare, vt ante non ſemel remonſtratum ſit, nec decere, nec concupiſci debere. Iuit rediuitque inter partes deambulando Dn. Mediator, ac modis omnibus conciliationem et complanationem praeſentis Articuli tentauit. Iam maxime vrſit Legatio Electoralis tempus traditionis, et concupiuit, vt in ipſa exequutione detur in manus Serenitatis Suae; itaque delenda eſſe verba, *poſt commutatas ratihabitiones*. Vnice vero deſiderare videbantur, vt effectus pacti ſaepius allegati ſit traditio non in Regis et Reipublicae Polonae, ſed Dni Electoris manus. Dn. Regni Theſaurarius: Noſtrum eſſe reſtituere Elbingam Regi Poloniae, et hoc pendere ab exequutione, quae plenarie ante ratificationem fieri nequeat. Perrexit ad priuilegia Elbingenſium Dn. Mediator, et contendere Polonos atque Confoederatos dixit, quod illi aeque ac reliquae ciuitates Pruſſiae illa amiſerint. Noluerunt noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiae hanc quaeſtionem admittere, ſed plane negando contradixerunt, opponendo, quod Elbinga quoque vi maiori cedere, Rege Poloniae abſente, auxiliis a Republ. ſperatis nullis, praeualentibus victricibus armis glorioſiſſimi Regis noſtri, coacta ſit, eamque vero cum reliquis omnibus, per omnia gaudere amneſtia debere. Arceſſiti ſunt Elbingenſes, et inter alia eos concernentia etiam huius obiectionis participes fiunt. Senator Dreſchenberg: Se Deputatos Regi ipſi ſatisfeciſſe, gratiamque ſpecialem impetraſſe: hoc ergo ipſis non exprobrandum, vel ideo priuilegia infringenda. Pactum illud Bidgoſcianum non valere, vtpote diſponens, quod armis debeat occupare Dn. Elector: iam Succiam cedere Regi Poloniae per pacta: cadere ergo foedus illud.* Dn. Regni

The-

idem erit, prout ante hoc bellum fuit. —

*** In pactis enim iis, quae diximus, diſerte cautum, vt, *quamprimum ex poteſtate Succorum erepta aut recuperata fuerit, nemini, quam Suae Serenitati Elect. vacua illius poſſeſſio tradi debeat, — praeſidio Suae Serenitatis munienda.*

* Quam rationem, inter ſe et Legati Poloni iam ante diſſertauerant, ipſi etiam abhorrentes a diſerta pacti Bidgoſciani commemoratione. Id quod ex Auctoris Anonymi Diario Polono ſupra retu'i, ad PASTORII Diarium, p. 87 ſq. not. *

Digitized by Google

Theſaurarius: Verum eſſe vtrumque. Diſceſſerat Dn. Mediator, ipſique datum erat Conceptum a nobis, in quo omittebantur, quae Dnn. Electorales notauerant, tale: "Quodſi Sereniſſ. Rex et Reſpublica Poloniae, poſt concluſam pacem et commutatas ratihabitiones, Elbingam, quae ſaluis ſuis priuilegiis in omnibus, vt in ipſo Inſtrumento Pacis exprimitur, tunc Poloniae retraditur, Sereniſſ. Electori concedere voluerit, vſque ad ſolutionem adſtipulatae ſummae pecuniariae, qua ſoluta nihil magis in Elbingam praetendere poterit Sereniſſimus Elector, pro ruptura pacis a Suecia id non interpretatum iri, hiſce declaratur: modo fiat ſaluis et integris iuribus, priuilegiis et immunitatibus omnibus praedictae ciuitatis, in Eccleſiaſticis et Politicis." Dn. Regni Theſaurarius et Dnn. Collegae, abſente Dno Mediatore, interrogant Deputatos Elbingenſium, num duorum adhuc menſium ſuſtentationem praeſidii ſciant comparari poſſe. Illi in ciuitate frumentum conſumtum eſſe reſpondent: ſi pecunia adſit, (qua ciuitas quoque deſtituatur,) atque per Sereniſſ. Electorem liceat inuehere, vel Dantiſci vel in territorio Electorali adhuc ſiliginem reperiri poſſe. Diſcurritur hinc inde, et tandem vel hic aquam haerere et conſilium deprehenditur. Interuenit Dnus Mediator, qui, diſcedentibus Elbinganis, interloquitur, ſpem concludendae pacis de nouo dari; adcurriſſe tabellionem Caeſareum, qui nouam Inſtructionem adtuliſſet; conteſtatum ſibi Dn. Lucianum Imperatoris intentionem, nimirum eamdem eſſe propenſionem, quae ſemper fuerit, immo etiam habere Dnn. Caeſarianos in mandatis, compellant Polonos ad ſubſcribendum, ſi nolint, et contra, ſi illi vltro inclinent, negotium non remorentur, ſed omnibus modis ad finem promoueant. Deinde reproducit originalia reformata Salui Conductus et Plenipotentiae pro Legatis Suecicis, de dato Coloniae ad Spream, d. 28 Mart. 1660. quorum defectus iam ante, nimirum $\frac{1}{11}$ menſis inſtantis, in Protocollo notati, et ipſa tunc retradita ſunt, promiſiſſeque eos dixit, quod mutabuntur ſecundum placitum Legationis noſtrae. Pergit, et optare Legatos Caeſareos, vt notae noſtrae ponantur in charta ad Articulum de guarantia, refert. Reſponſum, in nobis moram nec in hoc futuram vllam, modo Legatio Electoralis aequitati ſe ſubmittat in praeſenti Articulo tandem ante omnia complanando. Dn. Mediator cum Suis Excellentiis hinc inde

Digitized by Google

inde diſcurrit, dictumque Articulum complanare ſatagit. Deliberant Suae Excellentiae: concluditur, propter Elbingam ſolam, pacis negotium naufragio non committendum; reſpondendum tamen Dno Mediatori ad ea, quae protulit. Dn. Regni Theſaurarius: Nempe tria obtinenda apud Elbingam: 1) Vt nos reſtituamus Regi Poloniae in ſua libertate: 2) Vt Elector, ſoluta ſumma illa cccc mille Imperialium, nihil praetendere debeat in illam: 3) Et vt tempore, quo poſſideat hypothecae iure, maneat Elbinga in ſuis priuilegiis. Iuſtum hoc eſſe, aequitatique et dignitati Regum conſentaneum. Non potuit negare haec Dn. Mediator; difficultatem tantum, et rupturae, vel ad minimum remorae, quae multum incommodi cauſſari poſſit, metum allegabat. Vocati ſunt Elbingenſes. Et Dn. Regni Theſaurarius: Siquidem Dn. Mediator iam adſit, licere illis, vt intereſſe ſuum ipſi iam demonſtrent: nos tria propoſuiſſe, quae pro ipſis obtinere mens ſit, et repetit modo dicta. Conſul Meyenreis Dn. Mediatori demonſtrat, eſſe hanc ceſſionem plane contra priuilegia ſua et iuramenta Regum Poloniae, immo etiam ipſius moderni Regis, additis rationibus per Dreſchenberg ſupra allegatis. Dn. Mediator: Totam difficultatem in hoc conſiſtere, quomodo poſſint conciliari antiqua priuilegia et pacta Bidgoſcienſia. Eſt autem antiquum priuilegium Regis Caſimiri, ante ducentos annos, de non alienando, ſequeſtrando, vel a corpore ciuitatum Pruſſiae diſmembrando. Illi ſuis inſiſtunt priuilegiis, dolendo fati iniquitatem. Dn. Mediator, pecunia poſſe liberari, dixit: quod illi acceptant. Manuducuntur, vt cum Dnis Polonis negotientur. Dimiſſis illis, Dno Mediatore abſente, paullum interlabitur temporis: et poſt reditum ille adtulit Electoralium praeſcriptam ſchedulam,* adeo iniquam, vt recipi non poſſet, ſed retradi Dno Mediatori illam oporteret. Ille itaque ipſe manu ſua proiecit ſchedulam talem:** "Legatio Suecica declarat, ſe non impedire, quo minus Polonia Sereniſſimo Dno Electori Brandeburgico Elbingam tradat, neque ſe hanc extraditionem pro violatione Tractatus Pacis habituram." Acceptatur, ceteris paribus, cumprimis ſaluis priuilegiis, vt ante habent noſtra Proiecta. Abiit. Poſt reditum, eamdem refert ſchedulam, addita, manu

* Conf. PASTORIVS ad h. d. p. 256. ** Conf. PASTORIVS loc. comm. p. 259.

Digitized by Google

manu *Paſtorii*, hac clauſula: "Non obſtante Articulo amneſtiae, de ciuitatibus Pruſſiae, in praeſenti Tractatu expreſſo." Accipitur ad deliberandum. Elbingenſes redeunt: Se loquutos cum Dn. Regni Supremo Cancellario; reportant illum declaraſſe, quando Electori ſumma cccc mille Imperialium ſoluta eſſet, Electorem reſtituturum eſſe Elbingam. Reditus vrbis, pro colligenda iſta ſumma, Regem ciuitati conceſſurum, etiamſi non tantum quindecim, ſed etiam viginti et amplius anni requirantur. Dimittuntur, poſtquam auditi eſſent, nec hoc expediens diſplicuiſſet nobis, Elbingenſes. Perlectum erat Proiectum, proxime praecedens; et vrgent Suae Excellentiae, vt inſiſtatur noſtro Concepto. Quibus diſceptatis, iterum abiit Dn. de Lumbres. Poſt reditum ille adfert ſchedulam, cauſſam Elbingenſium concernentem, talem: "Legatio Suecica declarat, Sueciam non impedire, quo minus Polonia Sereniſſimo Dno Electori Elbingam tradat, neque ſe hanc extraditionem, vti et ceſſionem Butouienſis et Lauenburgici Diſtrictus, pro violatione praeſentis Tractatus Pacis habituram." Vocati ſunt Elbingenſium Deputati, et per Secretarium Legationis communicata ipſis haec ſunt, Suarum Excellentiarum iuſſu. Illi rogant, vt obſeruentur monita eorum heſterna. Suae Excellentiae, quantum poterant, in id adlaborarunt: ac licet ſpes obtinendi non eſſet, diligentiam tamen Dn. Mediator promiſit: noſtra vero Legatio inſiſtit, vt hoc modo concipiatur Articulus, quo Elbinga ſuis priuilegiis et immunitatibus, tam in Politicis quam Eccleſiaſticis, omnibus fruatur. Itaque Dn. Mediator proiectam ſchedulam recepit, et ad Dnos Legatos Polonicos ſe contulit. Poſt fere vnius horae ſpatium rediens, iterum adtulit aliud Conceptum eiuſmodi tenoris: "Declarant, ea, quae in Inſtrumento Pacis, Articulo ſecundo, de redintegratione iurium dicuntur, debere ſolum concernere ditiones, ciuitates, terras et loca immediate a Sereniſſ. Regibus Poloniae et Sueciae conceſſa, non autem alio trahenda, neque obſtare eumdem Articulum, quo minus S. Serenit. Electorali Elbinga iure competente tenenda tradatur, ſaluis de cetero eiuſdem ciuitatis priuilegiis et immunitatibus." Quo perlecto, vbi Suae Excellentiae deliberaſſent, ad illud haec monentur, quae Dn. Regni Theſaurarius manu ſua primum in ſchedula poſuit. 1) *Immediate:* addatur, hoc vltimo bello etc. 2) *poſſeſſa:* pro, conceſſa. 3) *iure*

com-

competente tenenda: deleatur. 4) *et immunitatibus:* addatur, omnibus, tam in Eccleſiaſticis quam Politicis.

Dn. Mediator cum hiſce monitis ad alteram partem reuertitur; quumque rediret, Proiectum hoc adtulit, in quo quidem verbum *conceſſa* mutatum, et verba, *Omnibus, tam in Eccleſiaſticis quam Politicis,* addita erant; quoad reliquum autem, neque *hoc vltimo bello* inſertum, neque *iure competente tenenda*, omiſſum fuit. "Declarant, ea, quae in Inſtrumento Pacis, Articulo ſecundo, de redintegratione iurium diſponuntur, debere ſolum concernere ditiones, ciuitates, terras et loca, quae immediate a Sereniſſimis Regibus Poloniae et Sueciae nunc poſſidentur, non autem alio trahenda, neque obſtare eumdem Articulum, quo minus Suae Serenitati Electorali Elbinga iure competente tenenda tradatur, ſaluis de cetero eiuſdem ciuitatis priuilegiis et immunitatibus, tam in Eccleſiaſticis quam Politicis." Hinc igitur continuatae diſceptationis materies. Denique poſt longum hinc inde diſcurſum, praehabita deliberatione S. Excellentiarum, Dn. Regni Theſaurarius manu ſua hoc modo concepit Articulum: "Legatio Suecica declarat, ea, quae in Inſtrumento Pacis, Articulo ſecundo, de redintegratione iurium diſponuntur, non extendi ad Butouiam et Lauenburgum, neque obſtare, quo minus Suae Serenitati Electorali Elbinga iure, quod ipſi competere poteſt, tenenda tradatur, ſaluo iure retractus conuentionalis, quoad Elbingam, et ſaluis de cetero in totum eiuſdem ciuitatis priuilegiis et immunitatibus, tam in Eccleſiaſticis quam Politicis." Longum interceſſit ſpatium, dum nocte ingruente Dn. Mediator inter partes deambulauit, et morae taedium diſcurſibus ſuis mitigauit, donec tandem ſuper Concepto Legationis conueniretur,[a] quod hoc eſt: "Legatio Suecica declarat, Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae nomine, ea, quae in Inſtrumento Pacis, Articulo ſecundo, de redintegratione iurium diſponuntur, non debere concernere ditiones, Status, ciuitates, terras et loca, quae a Sua Serenitate Electorali poſſidentur, nec eo trahenda: neque obſtare eumdem Articulum, quo minus Suae Serenit. Electorali Elbinga iure, quod eidem S. Serenit. Electorali competere poteſt, tenenda tradatur, ſaluis de cetero

[a] Conf. PASTORII Diarium pag. 259 ſq.

tero eiuſdem ciuitatis priuilegiis et immunitatibus, tam in Eccleſiaſticis quam Politicis, ſaluo itidem iure retractus conuentionalis Sereniſſ. Regi et Reipubl. Polonae, quoad Elbingam.“ Complanatus eſt igitur ſeparatus ſecretuſque de Elbinga tantopere agitatus Articulus, factaque eius ſubſcriptio vtrimque, a Secretario videlicet Suecico et Electorali, hora decima veſpertina: commutatio autem in craſtinum dilata.

Pro memoria. Obiter quoque aliquoties diſcurſum Dn. Mediator mouerat, quod Dnn. Electorales vectigalium marinorum (*der Licenten*) in Pomerania Orientali communionem valde abhorreant, et quod tentauerint, num ipſe Mediator experiri velit apud Legationem Suecicam, an forte medium hac in re ſuppeditari poſſit. Suae Excellentiae defectum mandati allegarunt; poſſe tamen Dn. Mediatorem, tamquam ex ſeipſo, medium hoc proponere, nimirum, commutationem forte admiſſuros Dnn. Legatos Suecicos pro cccc millibus Imperialium, quae Rex Poloniae propter Elbingam debet, praefecturarum *Loekenitz*, *Vierraden* et *Schwet*, nec non aedium ac proprietatum ſubditorum Electoralium Stetini ceſſione, ita vt Sereniſſ. Elector dictis ſubditis alibi in ſuis prouinciis ſatisfaciat. Propoſuerat Dn. Mediator: ſed illis non adriſit: nec deinde loquuti ſunt hoc de negotio amplius, durante tractatu. Craſtina octaua matutina continuabitur congreſſus.

Actum Oliuae d. $\frac{11}{21}$ April. horis ab VIII matutinis vſque ad dimid. I pomeridianam.

Commutatus Articulus Secretus heri ſubſcriptus. Dn. Mediator interrogat, quae hodie pertractanda? Dn. Regni Theſaurarius: Punctus amicitiae cum Rege Poloniae et Electore, vt et reſtitutionis locorum in Pomerania et Holſatia; item punctum guarantiae ſi abſoluere poſſemus, optimum fore; ſupereſſe et nonnulla intermedia, vt Ducis Croyani, Comitum de Dohna, Wittenbergii, Koenigſmarkiorum poſtulata. Dn. Mediator: Principalia primum eſſe pertractanda. Data igitur ipſi ſunt Concepta Articulorum: 1) Amicitiae cum Rege Poloniae: 2) Amicitiae cum Electore: 3) Reſtitutionis locorum in Pomerania et Holſatia: nimirum Dnn. Electorales punctum amicitiae cum

cum Sereniſſ. Electore hoc modo propoſuerunt: "Sit itidem pax perpetua, veraque et ſincera amicitia inter Sereniſſimum Principem ac Dn. Dn. Carolum, (tot. tit. Regis Sueciae) eius heredes, ſucceſſores ac poſteros, Regnumque Sueciae, eiuſdemque tam in Imperio, quam extra illud ſitas prouincias, Status ac ditiones, et Sereniſſimum Principem ac Dn. Dn. Fridericum Wilhelmum, (tot. tit. Electoralis) vti perpetuum Poloniae Foederatum et huius belli ſocium, eiuſdemque heredes ac ſucceſſores, prouinciaſque, Status ac ditiones, in et extra Imperium Romanum, ita vt alter alterius honorem, commodum ac vtilitatem ſincere ſerioque in perpetuum promoueat. Sit etiam vtrimque amneſtia et praeteritorum omnium perpetua obliuio, ita vt, quidquid hactenus quocumque loco et quauis de cauſſa, ſiue in Imperio Romano, ſiue extra illud, ab alterutro partium, vel ſub earum imperio poteſtateque exiſtentibus, abſque vllo perſonarum rerumque reſpectu geſtum vel admiſſum fuerit, nullo praetextu vel colore, via iuris vel facti, directe vel per indirectum, a neutra parte vnquam vindicari poſſit. Et nec horum, nec vllius alterius rei cauſſa vel praetextu, alter alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, vel etiam quoad miniſtros, officiarios, alioſque et incolas ac ſubditos, ſtatum, bona vel ſecuritatem, per ſe vel per alios, clam vel palam, inferat, vel inferri faciat aut patiatur. Saluis nihilominus nominibus ac debitis ciuilibus, inter vtriuſque partis Regni, prouinciarum ac ditionum quarumcumque ſubditos et incolas, ante vel durante hoc bello contractis, quibus ſoluendis vnuſquiſque teneatur. Non derogabit autem hic Articulus vlla in re pactis et foederibus aliis defenſiuis, conſeruandae publicae tranquillitatis cauſſa, ſiue a Regia Maieſtate Sueciae, ſiue a Sua Serenitate Electorali, cum quibuſuis aliis Principibus ac Statibus initis, verum illa omnia integra ac in pleno robore ſuo permaneant, ne tamen ad alios, quam ipſos contrahentes, eorumdemque heredes ac ſucceſſores, obligatio trahatur." E contra Legatio noſtra denuo tradidit Dn. Mediatori hunc Articulum, ſicuti nudius quartus, h. e. $\frac{18}{8}$ Aprilis, erat a nobis in illorum producto mutatus: qua de re illius diei Protocollum videre eſt. Similiter Legatio Brandeburgica Articulum de reſtitutione locorum Pomeranicorum et Holſatiae, ita per Dn. Mediatorem nobis hodie propoſuit, vt habet oppoſita hic dextrae columna:

 ſed

ſed notas noſtras, quas partim Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius, partim Dn. Legatus Gyldenklauius manu ſua, vbi more conſueto debita deliberatio Collegialis facta eſſet, manibus ſuis proiectarunt, lateris altera pars monſtrat. "Sua Serenitas Electoralis Brandeburgica non ſolum S. R. Imperio, ſed et vniuerſo Orbi teſtatum reddere volens, ſe exorto bello Polonico non niſi reducendae pacis generalis firmandaeque ſecuritatis ac quietis publicae cauſſa, arma tam in Imperio quam in Pruſſia ſumſiſſe, *a*) loca omnia in Pomerania hocce bello occupata, et praeſidiis ſuis inſeſſa, circa pacis generalis exequutionem ſine vlla compenſatione Sereniſſ. Sueciae Regi plenarie reſtituet, *b*) cum omnibus tormentis bellicis, re armamentaria, ceteroque adparatu bellico, nec non mobilibus cuiuſcumque generis; item Actis Cancellariae, Archiuis et litterariis Documentis, quae tempore occupationis vel deditionis inibi reperta ſunt, deductis eodem tempore, e dictis locis ac prouinciis, praeſidiariis militibus et copiis Electoralibus omnibus. Nec minus etiam dominis ſuis *c*) euacuabit, quae in Holſatia ſecuritatis ſuae cauſſa hactenus detinuit, *d*) vbi iidem pactis initis ſtare ſe velle declarauerint, atque Suae Serenit. Electorali de commoda indemnitate cauerint, *e*) ita tamen ne in praememoratis reſtituendis et euacuandis locis vel communitatibus, quae praeſidia Electoralia habuerunt, aut quouis modo *f*) in Suae Serenit. Electoralis fide et poteſtate fuerunt, vel cuiquam priuato, quod partes Suae Serenitatis ſequutus fuerit, vlla ratione noxae fraudique ſit, vel alia in re, quoad priſtina iura, priuilegia, bona, feuda et libertates *g*) quaſcumque, abſque exceptione vel reſeruatione

a) Haec ſuperflua ſunt, quum tantum Inſtrumentum pacis ſcribatur.

b) Nimis durum hoc: et certum tempus determinandum eſt, vt euacuatio et reſtitutio locorum in Pomerania fiat, intra menſem; in Holſatia, inter ſex ſeptimanas, a concluſa et ſubſcripta pace.

c) In primis Regenti Duci Holſatiae Gottorpenſis.

d) Ratio addita itidem ſuperflua.

e) Primum iuſtum videtur: ſecundum, nempe de indemnitate, explicandum.

f) Addatur, *hoc bello.*

g) *Quaſcumque* deleatur, et eo loco ponatur: illi competentes.
Addenda hiſce: Soluant autem ante praeſidiorum deductionem Officiales et ceteri, qui ad praeſidia Electoralia pertinent, debita, quibus ciuibus et incolis ciuitatum et locorum obſtricti ſunt.

Digitized by Google

uatione praeiudicet.“ Verum punctus amicitiae cum Rege Poloniae, hoc modo a noſtris Dnis Legatis conceptus, Dn. Mediatori traditur: “Sit pax vniuerſalis ac perpetua, et vera ſinceraque amicitia inter Sereniſſ. et Potentiſſ. Principem ac Dominum, Dn. Carolum, Regem Suecorum, Gothorum et Vandalorum, Magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. Eiuſque Regiae Maieſtatis ſucceſſores ac poſteros, Reges Suecorum, Regnumque Sueciae atque ſubiectas illis mediate vel immediate et adquiſitas nuper aut ab antiquo ditiones ac prouincias, atque eiuſdem Maieſtatis Confoederatos, ex vna parte; et Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principem ac Dominum, Dn. Ioannem Caſimirum, Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae etc. etc. etc. Eiuſque Regiae Maieſtatis ſucceſſores ac poſteros, Reges Regnumque Poloniae et M. D. Lithuaniae, atque eiuſdem Maieſtatis et Regni Poloniae Confoederatos, ex altera parte: ita vt alter alteri poſthac nihil hoſtilitatis, inimicitiae aut moleſtiae, clam aut palam, directe vel indirecte inferat, vel inferri faciat aut patiatur, neque alterius hoſtibus, ſpecie amicitiae, foederis aut protectionis, vel quocumque alio de nomine ac praetextu, auxilia praeſtet, nec cum alterius hoſtibus foedera huic paci aduerſa ineat, ſed initis renunciet; nec quidquam in alterius ſtatus ac ſecuritatis praeiudicium et diminutionem, per ſe vel per alios moliatur aut tentet, tentariue faciat, ſed vtraque pars alterius vtilitatem, honorem atque commodum promoueat, et fidam inuicem vicinitatem, pacem et amicitiam ſerio colant et ſeruent.“ Hic lis ſuper renunciatione foederum: vbi longum poſt horarum ſpatium a Suis Excellentiis, Dnis Legatis noſtris, per manum Dni Gyldenklauii, verba, *Nec cum alterius hoſtibus foedera huic paci aduerſa ineat, ſed initis renunciet*, mutantur, et verbis, *colant ac ſeruent*, haec ſubnectitur periodus: “Pacta vero et foedera omnia hoc bello cum aliis Principibus ac Statibus vtrimque inita, non obſtante hac pace, in ſuo robore permaneant, quatenus hiſce pactis ac pacificationi non aduerſantur.“ Recepit ſe ad Dnos partis alterius Legatos Dn. Mediator, et antequam reuerteretur, ſatis prolixum interceſſit ſpatium. Dn. Mediator poſt reditum: Dnos Polonos vidiſſe, qualem velint Dnn. Legati Suecici propoſitum Articulum amicitiae cum Rege Poloniae; non ineſſe multas difficultates, modo petere eos, vt ad verbum, *Foederatos*, addatur, perpetuos. Deinde

poſt

poſt verba, *Inferre faciat*, vox, *patiatur*, omittatur.* Dum inſiſtitur noſtro Concepto, ille regeſſit, *actiones* hic debere poni, non paſſiones, ſiquidem ratione velimus agere: nimirum ſuffiicere, ſi Rex Poloniae hoſtilitatem, inimicitiam, aut moleſtiam non inferat, vel inferre faciat: quae fiant ipſo non iubente, vel ſubordinante, illi imputari non poſſe. Dn. Regni Theſuararius: Fuiſſe obſeruatum in aliis Tractatibus.** Dn. Mediator: Interdum etiam fuiſſe cauillationes. Dn. Legatus Gyldenklau: A parte Suecica numquam poſitas cauillationes: allegat exempla Bothii et Cracouii, illius in Liuoniam, huius in Pomeraniam, irrumpentium.*** Dn. Mediator Mansfeldii exemplum, in Galliam qui irruperit, allegat;**** nec Gallos, etiamſi per Germaniae prouincias militem duxerit, conqueſtos eſſe de rupta pace, quia non habuerint rationem. Nullum enim aequum iudicem poſſe arguere, quae quis non iuſſu aut conniuentia patiatur. Si exercitus Germanicus per fines Galliae non ſatis potens ſit, irrumpat in Belgium, quis imputaret Regi Galliae, ſi id conniuentia eius non factum eſſet. Dn. Regni Theſaurarius: Hanc fore vim maiorem; diſtinguendum eſſe inter vim eiuſmodi maiorem et conniuentiam, adtulitque tale exemplum: Si Moſcus per Liuoniam inuadere vellet Poloniam, et nos eſſemus pares, nos non paſſuros: ſi cum magno exercitu per vim id efficere tentaret, tum rupturam pacis non futuram cum Suecia. Dn. Mediator addendum itaque cenſuit: *ſi poſſit impedire.* Et hic rationes pro et contra adlatae ſunt. Igitur Dn. Mediator iterum recepit ſe cum primo Concepto noſtro ad Dnn. Polonos, tentaturus, an eo adquieſcere velint. Poſt reditum: *Foederatos perpetuos*, vt omittatur, contentos ſe reddere velle: deinde admitteze, *per ſuos patiatur;* ſed de extraneis non poſſe reſpondere. Dn. Regni Theſaurarius allegat Inſtrumentum Oſnabrugenſe; tutiſſimum eſſe, maneamus in iis terminis, qui iam toties

* Conf. PASTORIVS ad h. d.

** Velut in Oſnabrugenſi: de quo dixi ad PASTORII Diarium p. 261. n.***

*** De Hermanno Bothio, vid. PVFENDORFIVS, Rer. Suecic. Lib. X. §. 61. p. 389. De Cracouio, ibid. Lib. XV. §. 20. pag. 514 ſq.

**** Rem iuuat paullo penitius cognoſcere ex PVFENDORFIO Rer. Suecic. Lib. I. §. 39. p. 15. *Mansfeldius — Bullionaei pollicitationibus adlectus, per Lotharingiam in Metenſem Tractum vna cum Chriſtiano Brunſuicenſi ducit, magno per Galliam terrore dato, ne partitibus*

Digitized by Google

toties mundi adprobationem meruerunt. Poſt longam diſputationem placuit, vt Dn. Mediator primum monſtret Dnis Polonis verba praememorati Inſtrumenti Pacis Oſnabrugenſis: ſi deinde nolint, promouendi negotii pacis cauſſa deleatur vox, *patiatur.* Quibus abiit Dn. Mediator, ſed hodie nihil amplius actum iri poſſe dixit, quia iam abituri ſint Dni Poloni; loquuturum tamen adhuc eſſe cum illis. Redux retulit, Dnn. Polonos craſtina octaua matutina praeciſe adfuturos; rogare ſe, vt Dnn. Legatorum Suecicorum Excellentiis idem placeat. Dn. Regni Theſaurarius: Eos in tempore adeſſe velle. Cras igitur Articulus guarantiae pertractabitur: qui vbi primum finietur, progredientur ad hodie pertractatum Articulum de amicitia: praeter quod hodie nihil actum eſt.

Actum Oliuae d. $\frac{14}{24}$ Aprilis, horis ab VIII matutinis vſque ad dimid. XI veſpert.

Poſtquam aliqui diſcurſus praeceſſiſſent, de guarantia loqui coeperunt, quam Dn. Mediator valde vrſit, retulitque, Dnos Caeſarianos ſeria, hac de re, mandata habere, addens, quia Dnn. Poloni vlterius tractare nolint, ceu nudius tertius iam declararint ipſi, antequam Dnn. Sueci ad guarantiam ſe obligent, rogare ſe, vt velint explicare mentem ſuam: ad amicitiae punctum, et reliqua ante non progreſſuros eſſe. Dn. Regni Theſaurarius: Neceſſariam et conuenientem guarantiam non renui; ſed iſtam, qualem Dnn. Poloni et Foederati in Proiecto ſuo conceperint, nimis extendi. Eſt autem illorum huius Articuli Proiectum eiuſmodi;* ſed ſuper tali Concepto noſtri tractare noluerunt. "Hanc Tranſactionem ac Pacem, omneſque eius Articulos, capita et clauſulas, Partes ſupra memoratae, tam principales quam foederatae

tibus Hugenottorum, quos bello nunc in ordinem redigere Ludouicus Rex laborabat, accederet. Sed inani Gallis tractatu illudens, an ipſe illuſus, quum validas aduerſus ſe copias colligi videret, ad Batauos tranſire conſtituit. Eam irruptionem factam fuiſſe anno ſuperioris ſeculi ſecundo et viceſimo, ſatis conſtat. Conf. GRIFFETI Hiſt. Ludouici XIII. Regis Galliae, quae DANIELIS Hiſt. Franc. acceſſit, T. XVII. p. 420 ſqq.

* Id ipſum inſertum eſt Pacis Formulae, a Polonis exhibitae: quam ſupra dedimus in Actis Publ. Pacific. p. 107.

deratae, ac belli ſociae ſancte et inuiolabiliter ſe obſeruaturas promittunt, et, ne inpoſterum impune violari queant, ſe inuicem ad guarantiam et euictionem, iis, quae ſequuntur, conditionibus, ex omni parte obſtringunt. Inprimis inuitabuntur, ex conſenſu partium omnium, ab vtraque parte eorumdem Foederati, Cognati, Reges, Principes, aliique Status, vt ſecuritati huius pacis cauere, eamdemque contra violatorem eiuſdem armis ſuis tueri velint. Si quis vero hanc pacem quocumque vnquam tempore, vllumue ex paciſcentibus armis inuadendo, aut iura eiuſdem vel mari vel terra vi turbando, violet atque infringat, in eum ſequentes poenae communi conſenſu omnium hic paciſcentium decretae ſunt. 1) Excidat beneficio huius pacis et amneſtiae. 2) Publicus hoſtis aliorum omnium hic paciſcentium ipſo iure cenſeatur, quemadmodum et hoc ipſo pro tali declaratur, et proinde ſimul atque vni ex paciſcentibus bellum quocumque locorum mouerit, pacem cum omnibus paciſcentibus rupiſſe cenſebitur, atque omnes non ſolum laeſo ferre ſuppetias, ſed laedentem etiam, abſque locorum aut ditionum exceptione, armis proſequi debebunt. 3) Habebitur ſemper adgreſſor pro renunciante omnibus beneficiis ac defenſionis mediis, quibus alias atque alibi ex aliis pactis gaudere poſſit. 4) Excidat idem adgreſſor iure eorum omnium, quae ipſi hoc pacis Inſtrumento conceſſa ſunt. 5) Adigatur, auxiliante Deo, commúnibus armis ad reparationem iniuriarum et ſatisfactionem ſumtuum et damnorum, quibus tali ratione cauſſam dederit. Quodſi vero ſine violentia armorum quiſquam ex paciſcentibus iniuria afficiatur, aut alia cauſſa, quae bellum poſt ſe trahere poſſet, praebeatur, non licebit tamen laeſo propterea ad arma ſtatim recurrere, ſed antea amicabilis componendarum eiuſmodi controuerſiarum ratio obſeruanda erit: videlicet caſu, quo talis controuerſia inter partes oriatur, quae iam aliquem modum prioribus inter ſe pactis praeterminandis litibus ac diſſidiis publicis habeant ſtabilitum, illi deinceps inhaerebunt, et iuxta hunc procedent; caſu vero, quo haec inter partes contingant, quae inter ſe nullam quoad hoc praecedentem conuentionem habuerint, tunc laeſus, accepta iniuria, de ea vel per internuntium, vel per Legatum vnum aut plures, (quibus omnis vbiuis locorum praeſtanda erit ſecuritas,) vel per litteras queratur, ac ſatisfactionem petat, pariter quoque

omnes

omnes paciſcentes de iniuria ſibi facta moneat, qui adhibitis officiis laedentem ad aequam ſatisfactionem praeſtandam intra ſpatium quatuor menſium ad ſummum inducere conabuntur. Si vero tam in primo, quam in ſecundo caſu per hoſce allegatos modos pars laeſa iuſtam ſatisfactionem conſequi non potuerit, tunc inſtitui debebit commiſſio generalis omnium paciſcentium ad laeſi confinia intra ſpatium quatuor menſium, et ex parte ſingulorum Commiſſarii deputari, qui inter ſe negotium diſcutiant, et omnes amicae compoſitionis quaerant et proponant modos, et, ſi poſſibile ſit, controuerſiam ad ſummum intra quatuor menſes terminent, ita tamen, ne vnus aut alter vel aliqui paciſcentium ſibi ius interpretandi hanc pacis tranſactionem in dubiis prae aliis arrogent, vel arbitrium praetendant, ſed ſi quod dubium oboriatur, id communi paciſcentium ſententia officiiſque ſopiatur. Si vero laedentem refractarium ad aequa, quae ab ipſis proponentur, media deprehenderint, nec ſatisfactionem, quae ipſis Commiſſariis iuſta videbitur, laeſo procurare vlla ratione potuerint: tunc demum, facta prius tamen legitima belli denunciatione, id armis perſequi licebit, et tum bellum communi conſilio et viribus contra laedentem et debite ſatisfacere detrectantem gerere tenebuntur, illudque tamdiu proſequi, donec iniuria competenter reparata, et pax communi conſenſu reſtituta fuerit. Quiſquis autem contra hoſce praeſcriptos modos, quacumque licet iniuria non armata laceſſitus, aut quauis praetenſione vel cauſſa belli fretus, non ſeruato hoc procedendi modo in quemcumque hic paciſcentium ius ſuum, ſiue verum ſiue praetenſum, ſiue ex hac tranſactione, ſiue aliunde ortum, vi armorum et facti proſequi tentauerit, aut alium in iure ſuo turbauerit, is pro publico huius pacis infractore ac communi omnium hoſte, pariter ipſo facto et abſque vlla inquiſitione de iuſtitia cauſſae habebitur, et poenas contra violatorem pacis ſupra ſtatutas incurret. Si vero mutuae ſint et reciprocae praetenſiones aut iniuriae non armatae, is, qui prior ad arma confugit, neglectis amicabilis compoſitionis rationibus praeſcriptis, pro hoſte communi et perturbatore pacis habendus erit. Ab hac tamen communi regula excipiuntur caſus illi, qui in Romano Imperio emergere poſſent, videlicet, ſi aliquis paciſcentium ipſum Imperium, vel aliquod eius membrum in hac pace non comprehenſum, armis inuaderet:

Digitized by Google

hoc enim caſu licebit aliis paciſcentibus, qui Imperii membra ſunt, iuxta Pacis et Guarantiae Germanicae praeſcriptum, ſalua et illaeſa hac praeſenti pace, procedere. Quodſi vero, ſolummodo tuendorum limitum cauſſa, turbationes vi contrariiſque actibus retundantur, actus eiuſmodi pro violatione pacis non habebuntur; ipſa autem ſuper limitibus controuerſia modis ſupra deſcriptis terminabitur. Quaecumque ſuperius dicta ſunt, vel de reſignatione iurium, vel de ceſſione prouinciarum aut reſtitutione locorum, tam a parte Poloniae, quam a parte S. Caeſ. Maieſtatis et Suae Serenit. Electoralis, ad totum et vniuerſum ſingulaque ſupra dicta eo tantum caſu valorem ſuum ſunt habitura, ſi cetera omnia, tam Polonica, quam Caeſarea et Brandeburgica poſtulata, concluſa et complanata fuerint. Quodſi id non fiat, ea quoque omnia promiſſa et quaſi conceſſa exnunc caſſantur, et pro non dictis habentur, eaque de re omnes partes omni meliori modo proteſtantur: Saluo denique iure in omnibus ſupradictis mutandi, addendi vel demendi, vt ex re videbitur. Datum Dantiſci, d. xı Martii 1660."

Dn. Mediator: Dnos Polonos igitur petere Dnn. Suecicorum declarationem, quid placeat? quid non placeat? Dn. Regni Theſaurarius: Promiſiſſe Dnum Mediatorem heri obiter, quod Dn. Morſtynius elaboraturus eſſet hunc Articulum. Dn. Mediator: Promiſiſſe quidem ſibi Dn. Morſtynium, ſed iam excuſaſſe, quod aliis impeditus non feciſſet. Deliberare iam Dnos alterius partis Commiſſarios; placeat Dnis Suecicis etiam ſuas notas adiicere. Placuit, et Dn. Mediator abiit. Legitur itaque Articulus ex Inſtrumenti Proiecto Polonico, adhibito Oſnabrugenſi Inſtrumento; atque deliberatum eſt et quaeſitum, num guarantia iſta euitari poſſit? Dn. Regni Theſaurarius et Dn. Comes Oxenſtierna ſtatuunt, quod non additis rationibus, ſi in illam conſentire Suecia nolit, non tantum Polonos et Foederatos adprehenſuros, et eo interpretaturos, quod pacem conſeruare nolimus, ſed etiam rupturam metuendam. Statum noſtrum indigere firma et ſecura pace; ſummam vero ſecuritatem in iſta mutua guarantia conſiſtere;

* Id quod Gyldencloulo credimus eo lubentius, quo propius Guſtaui Adolphi, Regis maximi, mores, ingenium, pectoris etiam altos receſſus introſpexerat. Eum praeterea tum in Germaniam erat ſequutus. Ceterum, vt ne id praetermit-

ſtere; moris et obſeruantiae eſſe, vt partes tractantes illam ſibi inuicem praeſtent, allegantque exemplum Oſnabrugenſe et Bromſebroenſe; ſi Gallia non teneretur ad id, quod hactenus praeſtitit, ex capite guarantiae, res noſtras adhuc anguſtiores eſſe. Dn. Comes Schlippenbach diſputat contra guarantiam, dicens, liberas nobis manus retinendas; foedera potius ineunda, cum quibus placuerit; ſi guarantia mutua concluderetur, obſtrictos nos fore ad auxilia partis laeſae; at quis Poloniae, vel Auſtriae, vel Electori copias auxiliares mittat? Dn. Regni Theſaurarius, et Dn. Comes Oxenſtierna: Quid ſi illi guarantiam ſibi inuicem praeſtent, nobis excluſis? Quis nobis auxilio futurus eſſet, in caſum fractae contra nos pacis ab Electore, vel Auſtria, vel Polonis? Dn. Comes Schlippenbach: Inuitandas eſſe exteras Poteſtates, nec obligandos nos Polonis, quorum Confoederatus etiam Elector Brandeburgicus. Voluntarium eſſe quid guarantiam. Dn. Regni Theſaurarius, et Comes Oxenſtierna: Melius eſſe conſulere ſecuritati noſtrae, et inuiolabiliter ſeruare pacem, Electoremque in ſuo ſtatu quietum relinquere, quam ob vindictam contra illum bello vel periculo Sueciam intricare. Galliam quoque rogari ab altera parte in guarantiam: aequum itaque eſſe, vt a nobis quoque inuitetur, quia ipſius mediatione pax concluderetur. Dn. Legatus Gyldenklau, qui in reliquis per totum Dno Regni Theſaurario et Dno Comiti Oxenſtierna ſe conformat, addit, quod Guſtauus Magnus incomparabilis memoriae hanc habuiſſet *Status Maximam*, vt Imperator maneret Imperator, Elector Saxoniae et Elector Brandeburgicus Electores Saxoniae et Brandeburgi, Princeps Megapolitanus, talis etc.* h. e. quemlibet in ſuo ſtatu, neque vt nobis noceat, neque vt ipſius ruina ab alio illi acceleretur. Diu diſceptatum eſt, et Dn. Comes Schlippenbach obtinere voluit, quod guarantiam inter ſe illis concludere liberum ſit, nobis excluſis, et voluntati noſtrae, quem velimus exterum guarantantem, relicto: idque ne alienis negotiis implicemur. Remonſtratum, quod euitari non poſſit, vel ob periculum rupturae, et anſam calumniandi

mittam, hoc ſapientiſſimi atque aequiſſimi Principis dicto error retunditur IOH. BAPTISTAE BVRGI, aliorumque, qui eum tradiderunt voluiſſe Ferdinandum Imperio pellere, idque ſibi adſerere. Qua de re quaedam dixi ad vitam Guſtaui Adolphi, ab WALTERO HARDTIO diligenter perſcriptam.

alteris datum iri, pacem nos nolle. Igitur per maiora concluſum eſt pro guarantia, et proiectus eſt a nobis Articulus, vt ſequitur: "Quo firmior, ſtabilior et ſecurior pax haec coaleſcat, et ab omni parte intemerata duret, promittunt ſupra memoratae partes paciſcentes omnes, tam principales, quam foederatae, ſe hanc Tranſactionem ac Pacem, omneſque eius Articulos, capita et clauſulas, ſancte et inuiolabiliter obſeruare et velle et debere, et, ne inpoſterum violari queat, ſe inuicem ad generalem guarantiam et euictionem mutuam ac defenſionem reciprocam omni ex parte obſtringunt; hiſce quam fieri poteſt firmiſſime promittentes, vt, ſi contingat, vnam partem ab altera, vel plures partes a pluribus, contra moderna pacta bello impeti, vel grauiſſimis iniuriis vexari, altera reliquaeque paciſcentium partes parti laeſae tum amica primum interpoſitione apud laedentem, tum denique, ſi amicabilis ratio locum apud eum reperiri nequeat, coniunctis cum laeſa parte armis illi adeſſe et adſiſtere, et bellum tamdiu proſequi, donec pax communi omnium partium conſenſu reſtituta fuerit, inuicem teneantur. Haec guarantia autem non extendetur extra hanc pacem, aut ad pacta ſeparata inter partes iam ante concluſa, neque impediat, quo minus partibus integrum ſit inire cum aliis Regibus, Principibus ac Statibus foedera defenſiua, et quae hiſce pactis non contrariantur. Quodſi vero turbationes vi contrariiſque actibus retundantur, ſolummodo tuendorum limitum cauſſa, actus eiuſmodi pro violatione pacis non reputabuntur. Ipſa autem ſuper limitibus controuerſia modis amicabilibus terminetur. Et, ſi caſus aliqui hoſtiles in Imperio Romano Germanico emergere poſſint, illi ab hac guarantia excipiantur, et procedatur in iis iuxta praeſcriptum Pacis et Guarantiae Germanicae." Interuenit Dn. Mediator, et ipſi Dn. Regni Theſaurarius dixit, quod in ſuo Proiecto Dnn. alterius partis Legati ſuper guarantiae Articulo poſuerint; velle iam nos proiicere, quid noſtra mens ſit, non animo praeſcribendi, ſed nos declarandi. Dn. Mediator, quae hodie recenſuerat, repetit, quod Dn. Colbert Vienna ſcripſerit, et de Liſola quoque litteras ſuas ipſi Dno Mediatori communicauerit, curſorem, qui nudius tertius Dnn. Caeſarianis adueniſſet, adtuliſſe, concluſum fuiſſe in Aula Imperatoria, ne vllo modo tractatus continuaretur, niſi a parte Suecica conſentiretur guarantia, qualem Caeſariani et Electorales

poſtu-

Digitized by Google

poſtularent. Dum igitur Dni Plenipotentiarii noſtri ſatis clare perſpicerent, intentionem Foederatorum Poloniae et ſtudium eſſe, per Articulum iſtum occaſionem abrumpendi tractatum captandi, quod non credant, nos in illum conſenſuros eſſe, confirmati ſunt, (conformante ſe quoque iam Dn. Comite Schlippenbachio, quod euitari non poſſit, vidente,) vt guarantia mutua ſtipuletur: et propterea Dno Mediatori dixerunt, quod hodie non abire velint, antequam ſuper hoc ſit conuentum; declarantes, nobis nihil aliud praeter realitatem ſincerae pacis cordi eſſe. Dn. Mediator abiit, et paullo poſt Dn. Akakia ſuperuenit, nuncians, Regem et Reginam Poloniae optare, vt Dnn. Suecici Legati non velint eſſe alieni a concludenda pace propter guarantiam.

Poſt reditum, Dno Mediatori traditur modo memoratum Proiectum noſtrum, et remonſtratur ipſi, magis e dignitate partium fore, ſi hoc modo concipiatur. Proiecta porro eſt clauſula ad Articulum iſtum pertinens talis: "Et quum pax moderna concluſa ſit, opera et mediatione Regis Chriſtianiſſimi, confidunt partes paciſcentes omnes, Regiam Eius Maieſtatem conſeruationem horum pactorum adſerturam, et contra violatores eorum arma ſua vireſque cum parte laeſa iuncturam, atque ita partem laedentem ad aequam pacem obſtricturam." Hanc clauſulam, vbi Rex Chriſtianiſſimus ad guarantiam inuitatur, in ſeparata dari charta Dn. Mediator cupit: quod factum eſt. Abiit. Poſt reditum Dn. Mediator retulit, dediſſe Dnis alterius partis Legatis Proiectum noſtrum, et non nihil obſtupuiſſe Confoederatos ob conſenſum in guarantiam; iam autem ſuper Proiecto illos deliberare. Quibus iterum abiit. Poſt reditum fere duarum horarum retulit, Dnos Foederatos iam reſoluiſſe, quod guarantiam nolint, tamquam ipſis haud proficuam. Remonſtratum eſt Dno Mediatori, quod ipſi propoſuerint. Fatetur, ſed ipſos ita iam ſe declaraſſe Dnis Polonis. Nos inſiſtimus. Dn. Mediator: Deliberent Suae Excellentiae: et abiit. Ipſo abſente, diſcurſum et deliberatum eſt inter Dnn. Plenipotentiarios noſtros, et concluſum, quodſi Foederati guarantiam ab ipſiſmet propoſitam iam recuſent, vrgendam eam eſſe cum Polonis: neceſſe eſſe, vt aut acceptent, aut recuſent: ſi primum, nos etiam recipere velle; ſi alterum, nos ſimiliter mittere poſſe, et abſque guarantia concludere.

Pranſi

Pranſi ſumus breue prandium. Poſt illud Dn. Mediator rediit, et interrogatus, quid concluſerint Dni alteri, reſpondit illos adhuc declaraſſe, ſe iam guarantiam nullam deſiderare, inprimis mutuam: ſi autem neceſſe duxerint, ſe inuicem guarantaturos. Se remonſtraſſe illis, quod non integrum ſit reſilire ab eo, quod ipſi propoſuerint: ſed nihil reſpondiſſe. Se igitur exſpectare, quid Legatio Suecica iam reſoluere exiſtimet? Dn. Regni Theſaurarius: Inter partes ergo principales paciſcentes, id eſt, nos et Poloniam, guarantiam fieri poſſe. Dn. Mediator: Non credere ſe, quod Polonia hoc ſit factura, quia admodum inſtent Foederati, ne ſe ab ipſis illa ſeparet: nec ſatis commodum inter duos tantum guarantari. Dn. Regni Theſaurarius: Si tres quatuorue poſſint inter ſe guarantiam pangere, cur non duo, et quidem partes principales? Dn. Mediator: Non ſe Poloniam a Foederatis ſeparaturam, vt iam dixerit. Dn. Regni Theſaurarius: Quid ergo ſecuritatis Sueciae? et quae ſpes pacis generalis? Ad hoc nihil reſpondit Dn. Mediator. Diſcurſum eſt obiter, quod Confoederatis Gallia armiſtitium obtulerit, donec adpareat, quo res inclinent: et Dn. Mediator recuſaſſe illos dixit. Ad ſubiectam materiam regrediuntur, et Dn. Regni Theſaurarius ſuo et Dnn. Collegarum nomine declarat, ſi inter ſe Poloni et Foederati guarantiam pangant, liberum illis eſſe; et e contra nobis integrum quoque manere, quem velit Suecia in guarantiam rogare. Placeat Dno Mediatori diſponere Dnos Polonos, cum ipſorum Confoederatis, ne remorarentur pacem vlterius: Legationem Suecicam condeſcendiſſe in id, quod illi ipſi adeo vrſerint: ignorari, quomodo haec variatio ſit interpretanda. Si forte nos dixiſſemus, quod a guarantia alieni eſſemus, illos ſine dubio extreme inſtituros fuiſſe, immo totum mundum tum conclamaturum, Suecos eſſe eos, qui pacem nolint, aut concluſam non ſeruare cogitent. Audiuit haec omnia Dn. Mediator, et abiit relaturus. Ille poſt reditum: Adhuc deliberaſſe Dnos alteros, ſed in eadem permanere ſententia; velle ſe adhuc experiri mentem eorum. Et iterum abiit. Poſt reditum, illos ſe inuicem ipſos guarantaturos retulit, non obſtante, quid iis remonſtrauerit: credere expediturum, ſi differatur vſque ad diem Lunae huius rei vlterior pertractatio, praeſertim quum tempus lapſum ſit, et iam hora veſpertina ſexta inſtaret. Dn. Regni Theſaurarius:

Digitized by Google

rius: Non videri poſſe, qua ratione retractare queant Dni Confoederati, quod heri et hodie propoſuerint ipſi, nempe in tractatu ſe progredi nolle, niſi a nobis conſenſa guarantia. Aperire illos iam vultum, quod ſtudium pacis numquam cordi fuerit ipſis; nos hodie aut complanaturos iſtum Articulum, aut materiem nacturos toti mundo demonſtrandi iuſtitiam cauſſae noſtrae. Dn. Mediator: Pacem Polonicam non eſſe in dubium trahendam, ſed de pace generali ſe dubitare. Deliberent Dnn. Legati Suecici vſque ad diem Lunae. Dn. Regni Theſaurarius: Etiamſi graues haberemus cauſſas inſiſtendi guarantiae ab ipſis Dnis Polonis propoſitae, tamen promouendi pacis negotii cauſſa condeſcendere velle in guarantiam cum Polonia, libero relicto Foederatorum arbitrio: ſed interrogari merito, cur iam reſiliant illi a ſuo propoſito? Dn. Mediator: Aliam cauſſam ſe dare non poſſe, niſi quod non receperimus, vt proiectus ab ipſis erat, in omnibus hunc Articulum. Dn. Regni Theſaurarius: Non modum, ſed rem ipſam hodie diſputatam; ſi quid deſideretur in clauſulis, per tractatum conueniri poſſe; rogari, vt, quid ipſis graue ſit, dicant. Dn. Mediator loquuturus cum illis, ſeceſſit. Poſt reditum horae amplius ille adtulit, ſe nihil adhuc reſponſi accepiſſe; proiicere tamen Dn. Cancellarium aliud Conceptum guarantiae. Diſcurſum eſt de aliis rebus per horae quadrantem, quum Dn. Mediator euocaretur ad alteram partem, et nunciaretur, Dn. de Colourat iam abiiſſe. Poſt reditum adtulit Proiectum Dnn. Polonorum et Confoederatorum tale: "Quo firmior, ſtabilior et ſecurior pax haec coaleſcat, et ab omni parte intemerata duret, promittunt memoratae partes paciſcentes omnes, tam principales quam foederatae, ſe hanc Tranſactionem et Pacem, omneſque eius Articulos, capita et clauſulas, ſancte et inuiolabiliter ſeruare velle et debere, et, ne inpoſterum impune violari queat, ſe inuicem ad generalem guarantiam et euictionem mutuam ac defenſionem reciprocam omni ex parte obſtringunt: hiſce quam fieri poteſt firmiſſime promittentes, vt, ſi contingat, vnam partem ab altera, vel plures a pluribus, terra vel mari, bello impeti, adgreſſor ipſo facto pro infractore huius pacis ab omnibus habeatur, eiuſdemque beneficio excidat, et tum altera reliquaeque paciſcentium partes parti laeſae eidem communibus armis adſiſtere, et bellum tamdiu contra adgreſſorem, abſque locorum diſ-

tinctione, proſequi, donec pax communi omnium partium conſenſu reſtituta fuerit, inuicem teneantur. Si vero contingat, vnam partem ab altera, vel plures a pluribus, graui aliqua iniuria, citra tamen vim armorum vexari, non licebit ideo laeſo ad arma ſubito recurrere, ſed ante amicabilis componendarum huiuſmodi controuerſiarum ratio ineunda erit: videlicet, vt laeſus, accepta iniuria, ſi immediate cum laedente conuenire nequeat, alios paciſcentes moneat, et commiſſio generalis omnium paciſcentium inſtituatur ad laeſi confinia, intra ſpatium quatuor menſium, in quo inter deputatos vtrimque Commiſſarios negotium diſcutiatur, et, ſi poſſibile erit, intra quatuor ad ſummum alios menſes terminetur. Si vero laedentem refractarium ad aequa, quae proponentur, media deprehenderint, tunc laeſo licebit, facta tamen prius legitima belli denunciatione, ius ſuum armis proſequi, et reliqui paciſcentes laeſo ſuppetias ferre, et bellum, vt ſupra ſtatutum eſt, laedenti inferre tenebuntur. Integrum etiam ſit paciſcentibus, cum aliis Regibus, Principibus, ac Statibus foedera defenſiua, et quae hiſce vel prioribus pactis non contrariantur, inire. Quodſi vero turbationes vi contrariiſque actibus retundantur, ſolummodo tuendorum limitum cauſſa, actus eiuſmodi pro violatione pacis non reputabuntur: ipſa autem ſuper limitibus controuerſia modis amicabilibus terminetur, iuxta Articulum, ſuperius ea de re poſitum.“ Perlegitur, et deliberatione facta, proiiciente quidem in charta ipſo Dn. Regni Theſaurario, adnotantur ſequentia: *Impune*, deleatur. *Promittentes*: ponatur, ſpondentes. *Contra moderna pacta*, addatur. *Abſque locorum diſtinctione:* addatur, extra Imperium. *Vel prioribus pactis*, deleatur. Omiſſa aliqua in fine ponentur. “Haec guarantia autem non extendetur extra hanc pacem, aut ad pacta ſeparata inter partes iam ante concluſa. Quodſi caſus aliqui hoſtiles in Imperio Romano Germanico emergere poſſint ex alia cauſſa, quam quae originem trahit ex hac pacificatione, illi ab hac guarantia excipiantur: et ſpondetur in iis iuxta praeſcriptum Pacis et Guarantiae Germanicae.“ Abiit Dnus Mediator. Poſt horam fere rediit, et adhuc deliberare illos dixit, manſitque apud Dnos Plenipotentiarios per dimidiam horam, et quaeſitum miſit Secretarium, an parati ſint declaratione ſua Dni Confoederati? Dum ſemel atque iterum miſiſſet, tandem ipſe iuit. Et rediens aliam ſchedulam proie-

Digitized by Google

proiectam adtulit, plane a priori differentem. Interrogatus, cur non retinuiſſent priorem, et notas noſtras adtendiſſent? reſpondit, quia mutua guarantia nimium habeat difficultatis, ideo ſimplicius Proiectum concepiſſe. Examinata eſt illa ſchedula, et declaratio data Dn. Mediatori, quod retinere velit Legatio Suecica Articulum, vti ante erat conceptus, ſed additis notis et clauſulis noſtris: aut, ſi tandem malint poſterius modo productum Proiectum, tum per expreſſa verba reſtringendum eſſe ad praeſentem pacem: non enim Dnn. Suecos poſſe iis, quae ab hoc tractatu et moderno bello Polonico aliena, et inter alios acta ſunt, ſe implicare, et inde guarantiam praeſtare. Quibus iterum abiit Dn. Mediator. Sed quum paullo longius abeſſet, et hora iam decima veſpertina inſtaret, miſſus eſt pediſſequus, qui Secretarium eius arceſſeret. Is quum adueniſſet, Legatio Suecica per eumdem nunciauit Dno Mediatori, quia hac veſpera ſine dubio nihil effectui daretur, ſe abire iam velle, dilata in craſtinum vel Lunae diem hac controuerſia; interea deliberationibus vtrimque tempus relinqui. Quo nunciato, Dn. Mediator accurrit, retulitque, Dnos Polonos et Foederatos habere iam nouam propoſitionem, quam quidem nondum reſoluiſſent: nimirum, quum videant tantam difficultatem, ſe guarantiam nullam cupere, ſed fiat in hoc tractatu, vt in aliis obſeruatum ſit, vt pars altera alteri promittat, ſe bona vel ſincera fide, quidquid concluſum et pacificatum eſſet, ſeruaturam. Paullo deliberant Dni Legati noſtri: et ne quid ſuperſit, quod pars aduerſa praetexere poſſit, vel nobis moram imputare, etiam in hoc conſentit Legatio, et ſimul abire cupit. Dn. Mediator rogat, quo adhuc paucillum impendant morae, et abiit. Poſt reditum, adtulit nihilominus ſchedulam Articuli guarantiae, et quidem prius conceptam, ſed iam addito, et *pace moderno*, et deletis, quae de Imperio Romano loquuntur. Acceptatum eſt a Legatione noſtra, modo pro *moderna pace* poneretur, *haec pax*, et Rex Chriſtianiſſimus a nobis in guarantiam inuitaretur. Aſt quum nimis ſera eſſet veſpera, et fere vndecima noctis, hodie non mundatum vel ſubſcriptum eſt. Verum Dn. Mediator Conceptum hoc retinuit, vſque ad conferentiam proximam.

Digitized by Google

Actum Sobothi d. $\frac{15}{25}$ Aprilis.

Hodie Oliuae non eſt habitus non tam ob Diei Dominicae feſtiuitatem congreſſus, quam quod Articulus guarantiae vtrique parti, (licet reſolutus et declaratus ac complanatus eſſet,) adhuc ſubſcriptione grauis videretur: conuenerunt tamen recepto ordine Suae Excellentiae ad prandium, in aedibus Illuſtriſſimi Dn. Regni Theſaurarii, atque audita concione, ante et poſt illud diſcurſus neceſſarii de negotio pacis ſunt commiſti: de praefata guarantia autem ſtetit ſententia, vt in heſterno Protocollo notatum adparet.

Actum Oliuae d. $\frac{16}{26}$ April. horis ab VIII matutina vſque ad veſpertinam.

Dn. Mediator adfert punctum guarantiae a Legationis Polonicae Secretario ſubſcriptum, prouti nudius tertius conuentum, et apud Dn. Mediatorem Conceptum depoſitum erat: quod mundatur, et a noſtra quoque parte ſubſcribitur ad commutandum, eſtque huiuſmodi, quod ſequitur: "Quo firmior, ſtabilior et ſecurior pax haec coaleſcat, et ab omni parte intemerata duret, promittunt ſupra memoratae partes paciſcentes omnes, tam principales, quam foederatae, ſe hanc Tranſactionem et Pacem, omneſque eius Articulos, capita et clauſulas, ſancte et inuiolabiliter ſeruare velle et debere, et, ne inpoſterum violari queat, ſe inuicem ad generalem guarantiam et euictionem mutuam ac defenſionem reciprocam omni ex parte obſtringunt: hiſce quam fieri poteſt firmiſſime ſpondentes, vt, ſi contingat, vnam partem ab altera, vel plures a pluribus, terra vel mari, bello contra hanc pacificationem impeti, adgreſſor ipſo facto pro infractore huius pacis ab omnibus habeatur, eiuſdemque beneficio excidat, et tum altera reliquaeque paciſcentium partes parti laeſae, ad ſummum intra duos menſes a requiſitione partis laeſae, eidem communibus armis adſiſtere, et bellum tamdiu contra adgreſſorem proſequi, donec pax communi omnium partium conſenſu reſtituta fuerit, inuicem teneantur. Si vero contingat vnam partem ab altera, vel plures a pluribus, graui aliqua iniuria, citra

tamen

tamen vim armorum vexari, non licebit ideo laeſo ad arma ſubito recurrere, ſed ante amicabilis componendarum huiuſmodi controuerſiarum ratio incunda erit: videlicet, vt laeſus, accepta iniuria, ſi immediate cum laedente conuenire nequeat, alios paciſcentes moneat, et commiſſio generalis omnium paciſcentium nomine inſtituatur ad laeſi confinia intra ſpatium quatuor menſium, in quo inter deputatos vtrimque Commiſſarios negotium diſcutiatur, et, ſi poſſibile erit, intra quatuor ad ſummum alios menſes terminetur. Si vero laedentem refractarium ad aequa, quae proponentur, media deprehenderint, tunc laeſis licebit, facta tamen prius legitima belli denunciatione, ius ſuum armis proſequi, et bellum, vt ſupra ſtatutum eſt, laedenti inferre. Quodſi vero turbationes vi contrariiſque actibus retundantur, ſolummodo tuendorum limitum cauſſa, actus eiuſmodi pro violatione pacis non reputabuntur: ipſa autem ſuper limitibus controuerſia modis amicabilibus terminetur, iuxta Articulum, ſuperius ea de re poſitum.“

Deinde de aliis adhuc reſiduis punctis et Articulis ſermo fuit, praeprimis amicitiae, reſtitutionis locorum in Pomerania et Holſatia: Articuli iam pridem conuenti de captiuis, et iis, qui inuiti nomina ſua militiae dederunt, de Ducis Croyani, Comitum de Koenigſmark, Dohna, et propter hypothecam Belgardenſem Wittebergii. Dn. Mediator ad iſta intermedia reſpondit, quod punctus amicitiae primum ſit complanandus: Articulum tamen de captiuis ſecum adſumſit. De reſtitutionis potiſſime Articulo, quod Confoederati loca, priuſquam Elbinga reſtituta eſſet, non euacuare velint, propoſuit. Reſponſum per Dn. Regni Theſaurarium, quod non omnia ſtatim loca reſtitui petamus; retineri poſſe vſque ad plenariam exequutionem pacis fortalitia Damm et Iulinum; omnia autem loca vſque ad Elbingae euacuationem illos retinere aequum non eſſe, nec fieri poſſe. Abiit hiſce Dn. Mediator. Ipſo abſente, admiſſi ſunt Elbingenſium Deputati, implorantes, ne euacuatio eius ciuitatis aliter fiat, quam hiſce diebus fuiſſet promiſſum. Non fieri debere aliter, (nempe tradi debere Regi Poloniae,) adſecurati ſunt a Legatione noſtra, et praeterea omnis opera promiſſa. Conqueſti ſunt quoque de diuerſis exceſſibus militiae noſtrae Elbingae, diſpoſitique ad patientiam, et ſpes data breui ſubſequuturae pacis. Rediit Dn. Mediator, (ſtatim ſecedentibus Elbingenſibus,)

Digitized by Google

et Articulum de guarantia, ſicut nudius tertius vtrimque, vt ſupra dictum eſt, complacitus et in manus ipſius depoſitus, hodie vero vtrimque ſubſcriptus erat, reproduxit, nuncians, quod Dnn. Confoederati petant, quia in Pactis Germanicis, quoad limites, certi modi eſſent expreſſi, qui cum his, quae per amicabilem amicitiam Succiam et Poloniam concernunt, nihil habeant commune, deleantur verba in ſubſcripto iam Articulo: *iuxta Articulum*, *ſuperius ea de re poſitum:* et addatur, *modis amicabilibus*, vox *ciuilibus*, vel, *via iuris*. Placuit Legationi Suecicae addi: *Et citra vim armorum terminetur*. Tandem Confoederatis placuit, vt ponatur, *citra vim armorum:* et deleantur verba, *modis amicabilibus:* item, *iuxta Articulum, ſuperius ea de re poſitum*. Conſenſum eſt, et tandem in ipſis Originalibus facta tali mutatione commutatus eſt hic de guarantia Articulus, ſonatque iam §phus Quodſi vero etc. hoc modo: "Quodſi vero turbationes vi contrariiſque actibus retundantur, ſolummodo tuendorum limitum cauſſa, actus eiuſmodi pro violatione pacis non reputabuntur; ipſa autem ſuper limitibus controuerſia citra vim armorum terminetur." Poſtea, quum abiiſſet, et iterum mox rediiſſet Dn. Mediator, retulit, quod de Duce Croyano duas exceptiones opponant de nouo Dnn. Poloni: nempe ſe ad hoc non habere plenipotentiam a Republica, deinde, non probari debitum per Originalia, ſed productis tantum Copiis poſtulatum inſtitui. Demonſtratum eſt per Ducis mandatarium, quod debitum ſemper fuerit agnitum; Originalia propter periculum huc adduci non potuiſſe, praeſto tamen futura ad ſolutionem debiti. Quum inſiſteret Dn. Mediator probationi omni exceptione maiori, Dnn. Plenipotentiarii noſtri rogant eumdem, demonſtrare ex antedictis ne grauetur Dnis Polonis omni meliori modo, et eos diſponere, quo, ſi non in totum, tamen in quantum, ſcilicet quouſque Dux Croyanus probare poterit, agnoſcant, et in proximis Comitiis ſatisfactum iri Duci declarent. Promiſit ſe facturum. Poſt reditum ille: Dnos Polonos reſpondiſſe, quod in futuris Comitiis quoad debitum, ſi ſatis probari poſſit, non adeo magna difficultas futura ſit; ſe autem iam, ob mandati defectum, nihil agnoſcere vel ſtipulare poſſe. Deinde etiam controuerti de quanto, quum Dn. Dux Croyanus praetendat totum, et Dn. Dux Curlandiae partem to-

tius

Digitized by Google

tius dimidiam: quidquid tamen hoc ſit, ad Comitia hanc rem remitti. Dnn. Plenipotentiarii noſtri Suecici vrgent declarationem in ſcripto, ſi non inſerendam Inſtumento Pacis, tamen in Separato Articulo dandam. Negat et hoc facturos Dn. Mediator; operam tamen ſuam promittit. Dni Ducis Croyani mandatarius, *Schueder* vocatus, inſiſtit iuſtitiae cauſſae Principis ſui: ſed nihil aliud hac vice, praeter modo dicta, concludi potuit. Igitur ad alia, pacis negotium concernentia, progreſſi ſunt Dni Legati. Primum vbi, vt ſupra dictum eſt, commutatus eſſet tandem guarantiae Articulus, reaſſumtus eſt Articulus de captiuis Suecico-Brandeburgicis, de quo hic ſupra mentio facta eſt; poſtea Articulus de debitis inter ſubditos, item Officiariorum. Qui vterque ſubſcriptus eſt Articulus, et commutatus huius tenoris: "Captiui huiuſce belli, cuiuſcumque conditionis ac ſtatus, liberi et ſine ſoluto vllo pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum Tractatum ab ipſis conuentum fuerit, dimittentur, priſtinaeque libertati reſtituentur, ſolutis tamen ab Officiariis impenſis, in victum eorum factis, et debitis in captiuitate ab eis contractis. Ceterum captiuis quoque adnumerandi, et ab vtraque parte reſtituendi ſunt, qui inuiti militiae alterius partis nomina dederunt. Debita inter vtriuſque partis ſubditos et incolas, tum etiam a ducibus et Officiariis belli vbicumque contracta, vtrimque bona fide ſoluentur; ſi quae vero hoc bello vltimo obligationes et recognitiones extortae ab vtrimque ſint, in totum caſſantur, nullumque pondus habere declarantur." Erat iam fere hora duodecima meridiana, quum Dn. Mediator referret, quod ab alterius partis Dnis Commiſſariis ſuper puncto amicitiae deliberaretur. Circa ſecundam pomeridianam rediit Dn. Mediator, et diuerſa per ſchedulas, in puncto amicitiae §. de foederibus, propoſuit a parte altera: tandem recepta ſunt verba: "Pacta vero et foedera omnia, inter partes alioſque Principes et Status vtrimque inita, non obſtante hac pace, in ſuo robore permaneant, quatenus hiſce pactis et pacificationi non aduerſantur:" Et ſicut nuper declaratum eſt, Dnn. Legati noſtri conſentiunt, deleri verbum *patiatur* poſſe, et poni tantum, *inferri faciat*. Quibus abiit Dn. Mediator. Poſt horae ſpatium rediit, et Dnos Electorales nolle ita conceptam illam clauſulam dixit, ſed hoc modo: "Pacta vero et foedera omnia, quae partes paciſcentes inter ſe ſancita habent, quoad omnia ſua puncta,

Digitized by Google

puncta, clauſulas et Articulos, integra et in pleno robore ſuo permaneant, ita tamen, vt per ea praeſens Tranſactio Pacis nullum praeiudicium patiatur.“ Mirata eſt Legatio Suecica inconſtantiam in re, quae ſemel et quidem ab ipſiſmet propoſita placuerat: ſed quum non ita alienum eſſet a priori, et per hanc clauſulam reciproce noſtri Foederati, veluti Coſſaci et Rakozius, includantur, conſenſit: modo addatur, *alioſque Principes et Status.* Recepit ſe ad illos Dn. Mediator, et poſt dimidiam horam rediens, adhuc deliberare dixit. Vbi per quadrantem horae ſediſſet, et alia quaedam ex nouellis diſcurſa eſſent, aduenit Dni Mediatoris Secretarius, adferens proiectum punctum amicitiae, Poloniam et Foederatos ſimul concernens tale: “Sit pax vniuerſalis ac perpetua, et vera ſinceraque amicitia inter Sereniſſimum ac Potentiſſ. Principem ac Dn. Dn. Ioannem Caſimirum, Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae etc. etc. etc. Eiuſque Regiae Maieſtatis ſucceſſores ac poſteros, Reges Poloniae, Magnos Duces Lithuaniae, Regnumque Poloniae et M. D. Lithuaniae, atque ſubiectas illis ditiones ac prouincias, atque eiuſdem Maieſtatis et Regni Poloniae Confoederatos, inprimis Ser. et Potentiſſ. Principem ac Dn. Dn. Leopoldum, Electum Ro. Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae Regem, Archiducem Auſtriae etc. Eiuſque Maieſtatis heredes ac ſucceſſores, prouincias ac ditiones, intra vel extra Imperium Romanum ſitas, et Sereniſſ. Principem ac Dn. Dn. Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandeburgicum, S. Romani Imperii Principem Electorem et Archi-Camerarium, in Pruſſia Ducem Magdeburgique etc. etc. Eiuſque Serenitatis heredes ac ſucceſſores, prouincias ac ditiones, in vel extra Romanum Imperium ſitas, ab vna; atque Sereniſſimum Principem ac Dn. Dn. Carolum, Suecorum, Gothorum et Vandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. eiuſque Maieſtatis ſucceſſores ac poſteros, Reges Suecorum Regnumque Sueciae, atque ſubiectas illis intra vel extra Imperium ſitas ditiones ac prouincias, ab altera parte: ita vt altera pars alteri poſthac nihil hoſtilitatis aut inimicitiae, clam aut palam, directe vel indirecte, inferat, vel per ſuos inferri faciat, aut patiatur, nec alterius hoſtibus auxilia quocumque nomine praeſtet, nec cum alterius hoſtibus foedera huic paci contraria ineat, nec quidquam

in

in alterius ſtatus et ſecuritatis diminutionem, per ſe vel per alios, moliatur aut tentet, vel tentari faciat, ſed vtraque pars alterius vtilitatem, honorem ac commodum promoueat, et fidam inuicem vicinitatem, pacem et amicitiam ſerio colant. Pacta vero et foedera omnia, quae partes paciſcentes inter ſe, vel cum aliis Principibus vtrimque ſancita habent, quoad omnia ſua puncta, clauſulas et Articulos, integra et in pleno robore ſuo permaneant, ita tamen, vt per ea praeſens Tranſactio Pacis nullum praeiudicium patiatur." Noſtri monent ſequentia, vt addantur: Et Potentiſſimum Principem ac Dn. Dn. Carolum. — Nihil hoſtilitatis, inimicitiae aut moleſtiae, clam etc. — Aut per alios — quocumque nomine ac praetextu — colant ac ſeruent — Principibus ac Statibus. — Quum iam abire videretur, de guarantantibus Poteſtatibus ſermonem coepit Dn. Mediator, et interrogat, num Galliam, Hiſpaniam, Angliam et Daniam Legatio Suecica in guarantiam adſciſcere velit? Deliberarunt ſatis Dni Plenipotentiarii noſtri, et tandem concluſerunt, tres Status rogandos eſſe, Galliam, Angliam, et Status Generales Foederati Belgii, ſi prius res ſint compoſitae nos inter et Batauos. Poloniae et Confoederatis liberum eſſe, quos illi velint, vel etiam, an ſimul nobiſcum conſentire in eoſdem ipſis placeat. Declarata haec ſunt Dno Mediatori. Quibus ille ad Dnos alteros Legatos receſſit.

Poſt reditum Dn. Mediator adtulit Arliculum de amicitia, vbi Dni Poloni et Confoederati acceperunt notas noſtras, praeter voces, *moleſtiae*, et *praetextu*. Quum videretur parum intereſſe, inſerantur iſta verba, nec ne: conformarunt ſe Dni Suecici Dnis Polonis ac Confoederatis: ac iuſſum eſt munda in charta ingroſſari, et poſtquam hinc inde ſubſcriptum eſſet, commutatio facta eſt, ſonatque punctus hic taliter: "Sit pax vniuerſalis ac perpetua, et vera ſinceraque amicitia inter Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principem ac Dn. Dn. Ioannem Caſimirum, Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae etc. etc. etc. eiuſque Regiae Maieſtatis ſucceſſores ac poſteros, Reges Poloniae, Magnos Duces Lithuaniae, Regnumque Poloniae et M. D. Lithuaniae, atque ſubiectas illis ditiones ac prouincias, atque eiuſdem Maieſtatis et Regni Poloniae Confoederatos, inprimis Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principem ac Dn. Dn. Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorem, ſem-

per Auguſtum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae Regem, Archiducem Auſtriae etc. etc. etc. eiuſque Maieſtatis heredes ac ſucceſſores, prouincias ac ditiones, intra vel extra Imperium Romanum ſitas, et Sereniſſimum Principem ac Dn. Dn. Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandeburgicum, S. R. Imperii Principem Electorem et Archi-Camerarium, Magdeburgi, Pruſſiae etc. etc. etc. Ducem, eiuſque Serenitatis heredes ac ſucceſſores, prouincias ac ditiones, in vel extra Imperium Romanum ſitas, ab vna; atque Sereniſſ. Principem ac Dn. Dn. Carolum, Suecorum, Gothorum et Vandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. eiuſque Maieſtatis ſucceſſores ac poſteros Reges Suecorum, Regnumque Sueciae, atque ſubiectas illis intra vel extra Imperium ditiones ac prouincias, ab altera parte: ita vt altera pars alteri poſthac nihil hoſtilitatis aut inimicitiae, clam aut palam, directe vel indirecte, vel per ſuos aut per alios, inferri faciat, nec alterius hoſtibus auxilia quocumque nomine praeſtet, nec cum alterius hoſtibus foedera huic paci contraria ineat, nec quidquam in alterius ſtatus et ſecuritatis diminutionem, per ſe vel per alios, moliatur aut tentet, vel tentari faciat, ſed vtraque pars alterius vtilitatem, honorem ac commodum promoueat, et fidam inuicem vicinitatem, pacem et amicitiam ſerio colat ac ſeruet. Pacta vero et foedera omnia, quae partes paciſcentes inter ſe, vel cum aliis Principibus ac Statibus vtrimque ſancita habent, quoad omnia ſua puncta, clauſulas et Articulos, integra et in pleno robore ſuo permaneant, ita tamen, vt per ea praeſens Tranſactio Pacis nullum praeiudicium patiatur.“ Ad Articulum de reſtitutione locorum deuentum eſt, et Dn. Mediator explicat mentem Caeſarianorum per Proiectum, ab ipſis conceptum. Duo autem illos deſiderare: 1) Reuerſales Ducis Holſatiae, ad modum, quales Duci Curlandiae ſint praeſcriptae. 2) Ne in prooemio huius Articuli, in Inſtrumentum Pacis inſerendi, mentio fiat, quod Imperator ruperit pacem in Germania,* vt alia talia. Dn. Regni Theſaurarius ad primum reſpondit, Ducem Holſatiae non fuiſſe captum; igitur talibus non opus eſſe Reuerſalibus, vtpote quae de non vindicanda captiuitate dari ſolent. Ad ſecundum, nihil verborum eiuſ-

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 270. et n. *

eiuſmodi inſertum a nobis iri. Perlegit Dn. Regni Theſaurarius Articulum: et quum inuenirentur multae differentiae, additum eſt, quod illi omiſerant, et formatum Conceptum tam ex noſtro, quam illorum Proiecto, nuper hinc inde traditis, retentis plurimis ex alterius partis praefato Proiecto. Sunt autem notae noſtrae, vti Illuſtriſſimus Dn. Regni Theſaurarius manu ſua concepit, ſequentes, quae additae ſunt nouo Concepto: Fuerit ſectatus ſago vel toga, ſed vnuſquiſque etc. vſque ad finem. — Ac Varnemundam in Megapoli, quae reſtaurari debet, et ſi quae alia loca ibi occupata eſſent.. — *Amore pacis*, deleatur. — Omnia loca occupata euacuanda erunt intra menſem a concluſa et ſubſcripta pace, exceptis Damo et Wollino, quae loca remaneant Dnn. Confoederatis Poloniae, vſque ad euacuationem Elbingae, et tum eadem die, de qua conuenietur, praeſidia ex omnibus locis erunt abducenda. — Se his pactis omnibus etc. — Re armamentaria ceteroque adparatu bellico, nec non mobilibus cuiuſcumque generis, item Actis Cancellariae etc. — De quo inter Generales ſine mora. — Et copiis Caeſaris omnibus. — *Partis conuentum fuerit*, addatur. — Vt enata animorum etc. vſque ad finem. — *Faciat*, addatur. — Et quidquid circa res Imperii etc. ad finem. Poſtquam igitur hodie non poſſent, audita iam nona veſpertina, progredi vlterius, tradita non tantum ſunt Dno Mediatori modo memoratum Proiectum, ſed etiam de ceſſatione hoſtilitatis, item de fluitatione per Viſtulam et Nagot, ac Hauptii demolitione, per Dn. Legatum Gyldenklau concepti Articuli, item de Comitibus a Dohna fienda refuſione. "Ceſſent omnes hoſtilitatis actus inter partes paciſcentes, tum principales tum foederatas, earumque exercitus, a die concluſae et ſubſcriptae huius pacis computando, in Pruſſia exactis quatuor, in Pomerania et Megapoli decem, in Curlandia et Liuonia quatuordecim, et in Holſatia atque Sleſuicenſi Ducatu exactis viginti diebus; et commercia ac poſtae priſtinae libertati et vſui eodem quoque die in ſingulis praememoratis locis reſtituantur. Defluitatio mercium e Polonia per Viſtulam in flumen Nagot ad Elbingam non impediatur, ſed potius cum debito et vigore Commiſſionis de An. 1612. competente triente aquarum iſtius fluminis, ad facilitandam defluitationem promoueatur; nec noua vlla telonia terreſtria et aqualia, aliaque onera cuiuſcumque generis, mercibus ad Elbingam

 deue-

deuehendis, imponantur. Hauptium autem ſolo aequetur." Quoad Dnn. Comitum a Dohna poſtulatum, vtrimque declaratur, quod ſumma illa pecuniaria liquida a Rege et Republ. Poloniae ſoluetur. Quod vero bona immobilia concernit, de his, quantum ad Dnn. Comites, qui Polonici aut Electorales ſunt ſubditi, in Comitiis Regni Poloniae proximis agetur, eorumque ratio habebitur; ſed Dno Chriſtophoro Delphico a Rege et Regno Sueciae ſatisfiet, ſecundum ſuam in praedictis bonis portionem. Quae omnia Dn. Mediator accepit, et ab altera parte ad deliberandum accepta eſſe retulit. Nos abiuimus Sobothum; reliqui ad ſuas ſtationes.

Actum Oliuae d. $\frac{17}{27}$ Aprilis, horis ab VIII matutina vſque ad dimid. X veſpert.

Abſente Dno Comite Oxenſtierna vſque ad hor. dimid. 10 antemerid. et abeunte Dn. Comite Schlippenbach, hor. 3 pomerid. — Ad continuandum tractatum iter Oliuam repetiuimus ſolitum. In via obuii nobis facti ſunt Dn. Palatinus Poſnanienſis, Leſſinski, et paullo poſt Dn. Regni Supremus Cancellarius Praſmowski, ad Regem Carlecouiam euntes; carpentis quilibet ſuis inſidentes ſalutarunt humaniter non tantum primarium, quo noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiae vehebantur, ſed etiam omnia carpenta noſtra reliqua. Excepit more conſueto Legationem Dn. Mediator, et, vt plerumque hactenus factum eſt, a diſcurſibus initium factum eſt, referentibus Suis Excellentiis modo memoratam ex improuiſo factam obuiationem, et humanam inuicem, licet cominus, ſalutationem: id quod Dn. Mediator bonum omen et ſignum interpretabatur. Ceſſatio hoſtilitatis, reſtitutio locorum in Pomerania, Holſatia et Megapoli, Ratificatio pacis pertractanda erant. Quum abeſſent dicti duo Dni Legati Polonici apud Regem, reliqui et Confoederati reditum illorum prius exſpectare voluerunt, antequam aliquid nobiſcum inciperent. Quapropter meridies fere adpropinquauit, egreſſuſque et regreſſus eſt ſaepiuſcule Dn. Mediator: nec hoc hodie

* Qua de controuerſia, quum fruſtra conſuluerim non modo rerum talium ſcriptores, verum etiam eos, qui data opera de Iuliacenſi ſucceſſione expoſuerunt, rem

hodie prima vice factum, quia in praeteritis conferentiis multae interdum horae exſpectando ſunt conſumtae. Vt autem aliquid fieret, Dn. Regni Theſaurarius monuit Dn. Mediatorem, eſſe, quae Legatio vel Caeſarea, vel Electoralis poſſit tractare abſque Polonis. Abiit promoturus: et quum rediret Dn. Mediator, ſubſcriptus eſt Articulus amicitiae et amneſtiae cum Electore, qui talis eſt: "Sit itidem pax perpetua, veraque ac ſincera amicitia inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dn. Dn. Carolum, (tot. tit. Regis Sueciae) eius heredes, ſucceſſores et poſteros Reges Regnumque Sueciae, eiuſdemque tam in Imperio quam extra illud ſitas prouincias, ſtatus ac ditiones, et Sereniſſimum Principem ac Dn. Dn. Fridericum Wilhelmum (tot. tit. Electoralis) Poloniae Foederatum bellique ſocium, eiuſdemque heredes ac ſucceſſores, prouinciaſque, ſtatus ac ditiones, in et extra Imperium Romanum ſitas, ita vt alter alterius honorem, commodum et vtilitatem ſincere ſerioque in perpetuum promoueat. Sit etiam vtrimque amneſtia et praeteritorum omnium perpetua obliuio, ita vt, quidquid hactenus quocumque loco et quauis de cauſſa, ſiue in Imperio Romano, ſiue extra illud, ab alterutra partium, vel ſub earum Imperio poteſtateque exiſtentibus, abſque vllo perſonarum rerumque reſpectu, geſtum vel admiſſum fuerit, nullo praetextu, via iuris vel facti, directe vel per indirectum, a neutra parte vmquam vindicari poſſit. Et ne horum, nec vllius alterius rei cauſſa vel praetextu, alter alteri poſthac quidquam hoſtilitatis aut inimicitiae, vel etiam quoad miniſtros, officiarios, alioſque, et incolas ac ſubditos, ſtatum, bona vel ſecuritatem, per ſe vel per alios, clam vel palam, inferat, vel inferri faciat. Pacta vero et foedera omnia, quae partes paciſcentes inter ſe, vel cum aliis Principibus ac Statibus vtrimque, ſancita habent, quoad omnia ſua puncta, clauſulas et Articulos, integra et in pleno robore ſuo permaneant, ita tamen, vt per ea praeſens Tranſactio Pacis nullum praeiudicium patiatur." Hic notandum, quod diſputatio oriebatur ſuper titulo *Iuliaci, Cliuiae et Montium*, quem vtraque pars alteri negabat:* ideo, ne remora iniiceretur ſubſcriptioni praeſenti, expediens placuit, vt in pa-

 rentheſi

rem ipſe, quantum licet, perquiram. De titulo iſto inter Principem Electorem Brandeburgi, ac Palatinum Comitem ad Rhenum, Neoburgi Ducem, Iuliacenſium dun-

rentheſi notaretur tantum (tot. tit. Regis Sueciae) et e contra (tot. tit. Electoralis) atque haec quaeſtio vſque ad compoſitionem Inſtrumenti Pacis in medio relinqueretur. Poſtquam commutatus hic Articulus fuiſſet, Dn. Mediator diſcurſum incepit de viſitationibus, quod hinc inde Legati ſeſe nondum viderint. Obiectum eſt ipſi, moram non eſſe noſtram; alterius partis Legatos noſtris debere primam viſitationem, vtpote priores in loco tractatuum; qua in re ipſorum ipſa declaratio vltima ipſos conuincat. Ille digreditur, et, ipſum Regem tale a Legatis Suecicis exſpectare, haud obſcure indigitat, tandem in ſpecie Illuſtriſſimum Dn. Regni Theſaurarium nominat. Hinc viſitatio Regi danda quaeritur an? et num ſollemnis collegialiter, vel particularis? et quomodo fieri poſſit? Quam quaeſtionem Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius propoſuit, qui, quum Rex adeo ſit in propinquo, minus ciuile exiſtimabat, pace fini proxima, eum non viſere. Tacuerunt praeter Dn. Comitem Schlippenbach Dnn. Legati reliqui. Quum vero Dn. Mediator abiiſſet ad Legationes alteras, ad vota deuenerunt. Dn. Comes Oxenſtierna: Pacis tractatibus finem iam imminere, et concluſionem optatam ſperari: videri poſſe inciuilitatem, ſi Dnn. Plenipotentiarii, quam-

duntaxat terrarum poſſeſſores, nulla ante contentio. Quin potius in pacto, inito Duſſeldorpii An. MDCXXIV. (cuius formula exſtat in LONDORPII Actis Publ. T. II. p. 815.) conuentum, vtraque vt pars titulis inſignibuſque Iuliacenſibus vterentur. Quod item altero pacto ibidem ſancito, An. MDCXXIX. repetitum confirmatumque. Exemplum, ex LEONIS AB AITZEMA Hiſtoria Pacis, pag. 57. deſcriptum, legi poteſt apud ROVSSETVM, in Hiſt. Succeſſ. Iuliac. T. II. p. 94-106. Hoc loco ſuffecerit, verba inde haec repetere: *Vtrique Celſitudini, Eiuſdemque heredibus et ſucceſſoribus, ad totius rei deciſionem aliumue Contractum perpetuum, ſiue ad annorum viginti ſupra quinque iam memoratorum exſpirationem, omnes ac ſinguli Ducum Iuliaci, Montium, Cliuiae, eorumque pertinentium Comitatuum, dominiorum, ditionumque tituli et gentilitia ſigna concedentur; iiſdemque ſe mutuo tam in litteris, quam in ſermonibus inſignire tenebuntur.* — Idque dein etiam Bipontini Duces ad ſe pertinere ſunt rati. Ideo Carolus Guſtauus, Sueciae Rex, e Bipontinis ortus, iſtos ſibi titulos adſumſit. Nec tamen vſus iiſdem eſt in foedere, icto Mariaeburgi cum Electore Brandeburgico, nec in Labiauienſi: quamquam in illo priore Princeps Elector Iuliacenſes titulos ſibi ſumſerat. Iam in Oliuenſi Pacificatione Sueci ac Brandeburgici, vehementer ſibi inuicem aduerſi, quum nihil non ad viuum reſecarent, hos quoque titulos in diſputationem vocauerant. Praeterea iſtos tum et Imperator Regi Sueciae denegabat: prouti Auctor DIARII infra refert.

* In Stumſdorfianis videlicet: ad quos princeps Legationis Suecicae miſſus Petrus

Digitized by Google

quamuis non tamquam Legati, tamen velut priuati, Regem, praeſertim adeo propinquum, non viderent: ſed non habere Legationem hac de re vllum mandatum; metuendum, ne in Suecia ſiniſtre interpretentur; in memoria eſſe exempla, in prioribus tractatibus,° Dni Comitis Petri Brahe, moderni Drotzeti Regni, item Dni Comitis Iacobi de la Gardie, Regni Mareſchalli, beatae memoriae, qui etiam poſt pacem concluſam, et accipiente Rege Poloniae, viſitationem illi non feciſſent: exiſtimare ſe, differri ad minimum oportere, donec pax fuerit concluſa. Dn. Comes Schlippenbach: Se fuiſſe Carlekouiae apud Regem: facile iudicare poſſe, quid ille ſit dicturus: credere ſe, quod Dn. Regni Theſaurarius, abſque vlla contradictione vel imputatione, particulari viſitatione Regem honorare poſſit: ſe, ſicut ſemper quaeſiuerit, vt bonae praeſumtiones de nobis inprimerentur Polonis, ita etiam hoc apud Regem et Reginam hac vice feciſſe. Dn. Legatus Gyldenklau: Facile cogitari poſſe, antequam pax concluſa et ſubſcripta et ratificata ſit, viſitationem non conuenire. Si Rex viueret, certum ſe eſſe, quod numquam paſſurus fuiſſet; iam in Aula noſtra domi, ſine dubio haud bene acceptum iri. Dn. Regni Theſaurarius: Se exiſtimare,

trus Brahius, Comes, erat. Iacobus Gardius autem, Sueciae tum Archiſtrategus, *cum inſtructo exercitu*, prout ait LOCCENIVS Hiſt. Suec. Lib. IX. p. 653. *in ipſo diſceptationis et compoſitionis de pace actu, in Boruſſiam praeter omnem Polonorum exſpectationem acceſſit: quem, ſenio confectum, ne equum quidem adſcendere poſſe, et Sueciam viribus prorſus eneruatam eſſe, credebant.* Concluſa pactione, etiam Suecos Legatos adiiſſe Regem Poloniae, haud dubitauerim, motus teſtimonio CAROLI OGERII Ephemerid. p. 399. vbi *Legatos omnes ad caſtra Regis Poloniae ſe contuliſſe, ſeparatamque audientiam habuiſſe*, refert. Adfuiſſe certe Hermannum Vrangelium, Campi Suecici Mareſchallum, diſertis verbis ſcribit. De Gardio autem ſingulare eſt, quod commemorat. *Quum me ſummo mane,* inquit, *Mariaeburgum contuliſſem, inuiſi Legati* (Auauxii) *nomine Generalem de la Garde, cui de hac honorifica pace gratulatus ſum. Comiter ille mihi reſpondit, interque res varias ac graues, quas Legato perferendas dabat, dolere ſe mihi dixit, quod filium* (Magnum Gabrielem) *non adduxiſſet in Boruſſiam, vt illum ad Generalem Poloniae* (Konieſpolium) *ſalutandum mittere potuiſſet, a cuius filio ſalutatus fuerat. At*, (inquit ille,) *filius meus illius filio doctior eſt, meliuſque Latine loquitur, tametſi iunior etiam ſit. — Idem ipſo die congreſſus Legato teſtatus fuerat, optaueratque, magna mercede filii ſui praeſentiam emere potuiſſe, vt illum Generali Polonico viciſſim exhiberet: cuius quidem neque comitatum maiorem, neque grandiores equos ac phaleras inuiderat, ſed tam celebrem educendi ac quaſi ventilandi filii ſui occaſionem.*

Digitized by Google

re, quod pace ſubſcripta et a Rege ratificata, ipſe ſine aliquo praeiudicio Regem adire et Reginam poſſit. Diſcurſum hinc inde eſt amplius, inhaerente ſuis quolibet voto et rationibus. Igitur Dn. Regni Theſaurarius redeuntem Dn. Mediatorem rogat, vt ex cauſſis modo allegatis excuſet. Ad tractatum regrediuntur: at Dn. Mediator adtulit ſecum a Legatione Polonica acceptam Dan. Legatorum Caeſarianorum declarationem ad Articulum amicitiae, amneſtiae, reſtitutionis locorum, et quantum Suecia habet in Imperio cum Caeſare. Eſtque iſta: 1) Et nemini ex vtriuſque partis ſubditis aut Imperii Statibus ac Vaſallis noxae ſit aut praeiudicio, quod alterius partes hoc bello ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed quicumque ex ſola cauſſa huius belli de fortunis aut ſtatu ſuo decidiſſet, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores ac bona immobilia, nec non etiam quoad bona mobilia, ſi fiſco nondum extradita ſint, indilate et ſine contradictione reſtituatur, iiſque plenarie gaudeat ac fruatur. 2) Vt autem firmioribus fundamentis haec pax et amicitia ſtabiliri queat, S. Caeſ. Maieſtas loca omnia, quae in Pomerania occupata praeſidiis ſuis inſidentur, Sereniſſimo Regi ac Regno Sueciae, ea vero, quae in Holſatia et Ducatu Sleſuicenſi, Duci Holſatiae Gottorpienſi, (praeuia tamen declaratione et cautione, ſe pactis initis ſtare velle,) amore pacis reſtituet plenarie, cum tormentis bellicis ipſorum propriis, re armamentaria, ceteroque adparatu bellico, nec non mobilibus cuiuſcumque generis, item Actis Cancellariae, Archiuis ac litterariis Documentis, prout ea omnia, tempore occupationis vel deditionis, inibi reperta ſunt, et adhuc non diſtracta exſtant: quae euacuatio fiet, locorum ſcilicet Pomeraniae, excepto Vollino, Dam et Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas, a die permutationis ratihabitionum computandas; Vollinum vero, Dam et Greiffenhagen, intra alias duas hebdomadas; loca autem Holſatiae et Ducatus Sleſuicenſis intra ſex hebdomadas a die ſupra memoratae permutationis euacuabuntur: deductis eodem tempore, e dictis locis, militibus et copiis praeſidiariis Caeſareis, ea ratione et modo, de quo inter Generales vtriuſque partis, vel eorum locumtenentes, intra tempus ratihabitionibus commutandis praefinitum conuentum fuerit. Ceterum quidquid circa res Imperii controuerſiae interceſſerit, iuxta Imperii et Pacis Germanicae leges, abſque

ſtrepitu

ſtrepitu armorum componetur aut decidetur, et ſtabitur ab vtraque parte per omnia diſpoſitione Pactorum Oſnabrugenſium, et Conſtitutionibus Imperii.“ Vbi perlecta ſunt, et facta deliberatio, Dnn. Legati noſtri haec addunt monita, quae Dn. Gyldenklauius concepit. 1) Art. 2. poſt verbum *inſidentur*, adiiciantur: vna cum Varnemunda in Megapoli, et facultate reſtaurandi munimenti. 2) *Amore pacis*, excludatur. — Poſt verbum, *computandas*, ponatur: intra quod tempus Elbinga quoque Poloniae reſtituetur. Vollinum vero, Dam et Greiffenhagen, nec non loca Holſatiae et Ducatus Sleſuicenſis, intra alias duas ſequentes hebdomadas a die ſupra memoratae permutationis euacuabuntur; deductis eodem tempore, e dictis locis, praeſidiariis militibus, et e prouinciis Pomerania, Megapoli, Holſatia et Sleſuicenſi Ducatu copiis omnibus. Exhibetur quoque Saluus Conductus nouus Polonicus pro Dnis Legatis noſtris, ad S. R. M. modernam adplicatus, ſub dato $\frac{12}{22}$ Aprilis huius anni, in quo contra vſitatum ſtilum, mutatur titulus ac praedicata Regis Sueciae, dum 1) ponitur: *Sereniſſimus et Potentiſſimus Conſanguineus et vicinus noſter Dn. Carolus, Suecorum* etc. 2) Etiam titulus Regis abbreuiatur, ſiſtendo circa titulum Bauariae, excluſis titulis *Iuliaci, Cliuiae et Montium.* Deinde ſcribitur, *Regem Sueciae in Pruſſia negotia pacis pariter tractare velle;* non ſecus ac ſi acceſſoria pars, non principalis paciſcens horum tractatuum eſſet. Remonſtratum eſt Dno Mediatori, vt retineantur, quae ſunt obſeruantiae et ſtili recepti, omittaturque vox *pariter.* Interea diploma non retraditur, atque ille ſperat iam finem futurum negotii, quo Saluo Conductu non ſit amplius opus. Abiit ad Dnn. Legatos Polonicos.

Interea proiicitur Articulus ratificatorius inter Sueciam et Poloniam, qui reduci Dno Mediatori traditur; et ille accipit ad proponendum parti alteri: quod tale eſt: “Pax haec ratihabeatur a Sereniſſ. Rege Sueciae, ab vna; ac Sereniſſ. Rege Poloniae, nec non Republica Polona, eiuſque Foederatis, ab altera parte; qua de re ad modum ſequentem conuenit, primo, vt Inſtrumentum Pacis huius, manibus ac ſigillis Dnn. Commiſſariorum vtriuſque partis roboretur, et inuicem tradatur. Deinde, vt Sereniſſimus Rex Poloniae idem quantocyus confirmet, et antequam vllius loci fiat reſtitutio, ſuam confirmationem a praeſentibus ad latus Regis Senatoribus Regni ſubſcriptam tra-

dat in manus Dni Mediatoris. Tertio, vt Sereniſſ. Rex Sueciae ſollemni Inſtrumento haec pacta, nomine ſuo et Regni Sueciae, per ſubſcriptionem Sereniſſimae Reginae Regentis et Dnn. Regni Sueciae Adminiſtratorum, rata habeat. Quarto, vt Lege Comitiali a Republ. Delegati nomine Reipubl. haec pacta ſubſcriptione et ſigillatione ſua adprobent, et de tradenda primo quoque tempore Reipubl. ratificatione caueant. Quinto, vt Reſpubl. Polona idem Inſtrumentum in proximis Comitiis Regni Generalibus, primo quoque tempore celebrandis, ſollemniter et plenarie confirmet ac roboret, confectoque Inſtrumento Ratificationis pactorum, nec non peculiari ceſſionis Liuoniae Septentrionalis diplomate, pariter ratificet. Sexto, vt Inſtrumenta haec ſollemnia, tum S. R. M. Sueciae, tum dictorum Reipubl. Delegatorum ab vtriuſque partis Commiſſariis, vna cum ratificatione Sereniſſimi Regis Poloniae, ab Illuſtriſſimo Dn. Mediatore in manus Dnn. Commiſſariorum Suecicorum, intra ſpatium duorum vel ad ſummum trium abhinc menſium, ad limites territoriales inter Elbingam et Mariaeburgum, ſine vlla excuſatione reddi vtrimque et recipi debeant. Septimo, vt S. Caeſ. M. et Sereniſſ. Elector ratihabitiones ſuas itidem eodem tempore et loco tradi faciant. Octauo denique, vt dicta tum Sereniſſ. Regum, tum Reipubl. Polonae ac eius Confoederatorum Inſtrumenta ratificationum ad conuentam et praeſcriptam formulam, quoad titulaturam et ſigillationem aliaque requiſita, nulla voce aut ſyllaba mutata, conficiantur et reciproce commutentur. Dum hora horam excipit, exſpectando quid in his, quae ſub manu ſunt, et pertractanda reſtant, reſoluant cum Confoederatis Dnn. Poloni, dies veſperam reſpicere coepit: ac noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiae litteras ad S. R. M. Dn. noſtrum Clementiſſimum, reſoluunt, quibus notificent, quod in pleriſque iam conuentum ſit cum Polonis; ſperare breui quoque finem in reliquis poſtulatis, in quibus etiam ſit illud, quod militiae deductionem ſpectat. Cum Caeſarianis et Electoralibus quoque factum eſſe initium, adeo vt non dubitent primis quoque diebus pacem generalem concludere, vbi effectus bona iam verba ſequetur. Quum autem magna difficultas reſtituendorum locorum in Pomerania, Megapoli et Holſatia, traditioni Elbingae a Polonis Electori fiendae adhaereat, nihil adhuc certi de dicta pacis concluſione ſcribi poſſe, ſed ſpem tantum

adhuc

adhuc pro lucro haberi. Interea in ſeparatum Articulum, praefatam vrbem Elbingam concernentem, ſe conſentire coactos, quod videlicet pro ruptura pacis non habebitur, ſi Rex Poloniae Elbingam Electori tradat, modo id fiat integris, tam in Eccleſiaſticis quam Politicis, ciuitatis priuilegiis et immunitatibus omnibus; eamque ad reſolutionem Dnn. Legatos compulſos, quum viderint, loca Pruſſiae diutius manuteneri amplius non potuiſſe, ſed praedam illam fieri hoſtibus, ſi maturare pacem deſiiſſent, oportuiſſe. Porro quoad negotium Danicum, Polonos et Confoederatos in proiecto ſuo Inſtrumento reliquiſſe ſpatium: hinc ſe metuere, ne, quum artificium aliud nullum adhuc ſuperſit, illi hac re ſint vſuri: ferri enim Dantiſci per relata, quae heri ex freto Oreſundico adpulerint, quod Batavi ſe hoſtes contra Sueciam denuo declarauerint. Tandem repetunt id, quod nuper cauſſa ſuſtentationis praeſidiariorum in Pruſſia ſubiectiſſime monuerant, addentes iterum, quod alias neceſſario ruere illa penitus oporteat. Imminebat nona veſpertina, quum Dn. Mediator referret, videri Dnn. Caeſarianos notam noſtram tertiam ad Articulum amicitiae et amneſtiae admiſiſſe; primum autem et ſecundum, non item: adieciſſe etiam in §pho, Nemini quoque etc. verbis, *bona mobilia, ſi fiſco nondum extradita ſint*, vocem, *adiudicata:* monſtratque Conceptum, quod iam eſt eiuſmodi: 1) "Et nemini ex vtriuſque partis ſubditis aut Imperii Statibus ac Vaſallis noxae ſit aut praeiudicio, quod alterius partes hoc bello ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed quicumque ex ſola cauſſa huius belli de fortunis aut ſtatu ſuo decidiſſet, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores ac bona immobilia, ſi fiſco nondum adiudicata et extradita ſint, indilate et ſine contradictione reſtituatur, iiſque plenarie gaudeat ac fruatur. 2) Vt autem firmioribus fundamentis haec pax et amicitia ſtabiliri queat, S. Caeſ. M. loca omnia, quae in Pomerania occupata praeſidiis ſuis inſidentur, Sereniſſ. Regi ac Regno Sueciae; ea vero, quae in Holſatia et Ducatu Sleſuicenſi, Duci Holſatiae Gottorpienſi, (praeuia tamen declaratione et cautione, ſe pactis initis ſtare velle,) reſtituet plenarie, cum tormentis bellicis ipſorum propriis, re armamentaria, ceteroque adparatu bellico, nec non mobilibus, cuiuſcumque generis, item Actis Cancellariae, Archiuis ac litterariis Documentis, prout ea omnia, tempore occupa-

tionis vel deditionis, inibi reperta ſunt, et adhuc non diſtracta exſtant: quae euacuatio fiet locorum ſcilicet Pomeraniae, exceptis Vollino, Dam et Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas a die permutationis ratihabitionum computandas; quo tempore Elbinga quoque Poloniae reſtituetur; Vollinum vero, Dam et Greiffenhagen, nec non loca Holſatiae et Ducatus Sleſuicenſis, intra alias duas ſequentes hebdomadas a die ſupra memoratae permutationis, euacuabuntur; deductis eodem tempore, e dictis locis, praeſidiariis militibus, et e prouinciis ad Sereniſſimum Regem Sueciae et Ducem Holſatiae Sleſuicenſem ſpectantibus, copiis omnibus, ea ratione et modo, de quo inter Generales vtriuſque partis, vel eorum locum tenentes, intra tempus ratihabitionibus commutandis praefinitum conuentum fuerit. Ceterum, quidquid circa res Imperii controuerſiae interceſſerit, iuxta Imperii et Pacis Germanicae leges abſque ſtrepitu armorum componetur, aut decidetur, et ſtabitur ab vtraque parte per omnia diſpoſitione Pactorum Oſnabrugenſium, et Conſtitutionibus Imperii." Vbi autem ſimul nunciaret Dn. Mediator, reliquas Legationes iam currus conſcendere, et nos reuerſi ſumus ad ſtationes Sobothianas.

Actum Oliuae d. $\frac{18}{28}$ April. horis ab VIII matutina vſque ad IX veſpertinam.

Dn. Mediator vrget, quo inſertio Articulorum ſubſcriptorum, et inde confectio Inſtrumenti Pacis fiat. Dn. Regni Theſaurarius: Inſertionem fieri haud difficulter poſſe; promoueat Dn. Mediator complanationem Articulorum, vtpote Caeſarianorum de amicitia, amneſtia etc. formulas ratificationum, ceſſationem hoſtilitatis, inclusionem Principum exterorum etc. item extenſiones Articuli renunciationis et ceſſionis Liuoniae etc. Dn. Mediator: Fieri iſta ſimul poſſe, donec ingroſſatio fiat. Dn. Regni Theſaurarius: Faciant initium Dn. Poloni; nos ſimiliter facturos: et extemplo mandatur Secretario noſtro, vt habeat Articulos omnes ad manus. Adeſſe ille reſpondit. De ordine inſertionis iam quaeritur. Haeret Dnus Mediator. Rogatur, ipſe concipiat, quo ordine vnumquodque poſſit inſeri: et dantur ipſi munda, eaque vidimata apographa omnium ac ſingu-

ſingulorum Articulorum hactenus ſubſcriptorum. Recepit ſe ad Legationem Polonicam. Interea Suae Excellentiae ingroſſari iubent Articulum cum Imperatore, qui conficitur ex priori Concepto, et hinc inde adiectis notis: qui quum eſſet in mundam chartam miſſus, et denuo a Suis Excellentiis reuiſus, ſubſcribi a Secretario iubetur, Dominoque Mediatori, quum rediret, traditur, quo per Dnos Polonos promoueat quoque Legationis Caeſareae, per eorumdem Secretarium, ſubſcriptionem: eſtque talis Articulus: "Eadem ſimiliter pax, amicitia, amneſtia et praeteritorum omnium perpetua obliuio, ſub iiſdem clauſulis et vinculis, in hocce Inſtrumento contentis, vigeat et in perpetuum ſtabilita ſit inter Sereniſſ. et Potent. Principem ac Dn. Dn. Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae Regem, Archiducem Auſtriae, Ducem Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchionem Morauiae, Ducem Lucemburgi, ac ſuperioris et inferioris Sileſiae, Virtembergae ac Teckae, Principem Sueuiae, Comitem Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Goritiae, Landgrauium Alſatiae, Marchionem Sac. Rom. Imp. Burgouiae, ac Superioris et Inferioris Luſatiae, Dnum Marchiae Slauonicae, Portus Naonis et Salinarum etc. praecipuum Poloniae Foederatum bellique ſocium, nec non eius heredes ac ſucceſſores, Regna et ſubiectas prouincias, tam in, quam extra Imperium Romanum, eorumque ſubditos et incolas; ac Sereniſſ. et Potentiſſ. Principem ac Dn. Dn. Carolum, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiae, Ducem Scaniae, Eſtoniae, Liuoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae, Principem Rugiae, Dn. Ingriae et Viſmariae, nec non Comitem Palatinum Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae, Montium Ducem, eiuſque heredes ac ſucceſſores Reges Regnumque Sueciae, et ſubiectas prouincias, tum in Imperio Germanico tum extra illud ſitas, eorumque ſubditos et incolas: ita vt, quidquid vel ante hoc bellum, vel illo durante, ſiue in Polonia, ſiue extra illam, ſeu ratione auxilii Sereniſſimo Regi ac Reipubl. Poloniae praeſtiti, ſiue quauis alia de cauſſa, mutuae offenſionis atque inimicitiarum aut praetenſionum oriri potuit, perpetuae obliuioni tradatur, neutrique parti quocumque praetextu licitum ſit, alterius Re-

Digitized by Google

gna, Status aut prouincias, clam aut palam, directe vel indirecte, armis impetere, vel vllum in ipſas hoſtilitatis genus exercere, ſed alter alterius commoda ſectetur, et omnia inter vtramque partem, earumque Status ac ſubditos, ad priſtinum prorſus ſtatum, vnionem et fidam correſpondentiam reſtituta et redintegrata ſint, et nemini ex vtriuſque partis ſubditis aut Imperii Statibus ac Vaſallis noxae ſit aut praeiudicio, quod alterius partes, hoc* bello, ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed quicumque ex ſola cauſſa huius belli de fortunis aut ſtatu ſuo decidiſſet, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores ac bona immobilia, nec non etiam quoad bona mobilia, ſi fiſco nondum adiudicata et extradita ſint, indilate et ſine contradictione reſtituatur, iiſque plenarie gaudeat ac fruatur. Vt autem firmioribus fundamentis haec pax et amicitia ſtabiliri queat, S. C. M. loca omnia, quae in Pomerania occupata praeſidiis ſuis inſidentur, vna cum Varnemunda in Megapoli, et facultate reſtaurandi munimenti, Sereniſſ. Regi ac Regno Sueciae; ea vero, quae in Holſatia et Ducatu Sleſuicenſi, Duci Holſatiae Gottorpienſi, (praeuia tamen declaratione et cautione, ſe pactis initis ſtare velle,) reſtituet plenarie cum tormentis bellicis ipſorum propriis, re armamentaria, ceteroque adparatu bellico, nec non mobilibus cuiuſcumque generis, item Actis Cancellariae, Archiuis ac litterariis Documentis, prout ea omnia, tempore occupationis vel deditionis, inibi reperta ſunt, et adhuc non diſtracta extant: quae euacuatio fiet, locorum ſcilicet Pomeraniae, exceptis Vollino, Dam et Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas a die permutationis ratihabitionum computandas, quo tempore Elbinga quoque Poloniae reſtituetur; Vollinum vero, Dam et Greiffenhagen, nec non loca Holſatiae et Ducatus Sleſuicenſis, intra alias duas ſequentes hebdomadas a die ſupra memoratae permutationis, euacuabuntur, deductis eodem tempore, e dictis locis, praeſidiariis militibus, et e prouinciis ad S. R. M. Regnumque Sueciae et Ducem Holſatiae Sleſuicenſem ſpectantibus, copiis omnibus, ea ratione et modo, de quo inter Generales vtriuſque partis,

* Ita vulgo exiſtimant, non Sueci tantum, ſed ipſi adeo noſtri ſcriptores, etiam recentiores, veluti STRVVIVS, KEMMERICHIVS, et inprimis BOECLERVS, cuius peculiaris Diſſ. de adquiſito et amiſſo Imperii iure in Liuoniam, verſatur in manibus doctorum hominum. Ceterum, quod Auctor huius Diarii

partis, vel eorum locum tenentes, intra tempus ratihabitionibus commutandis praefinitum, conuentum fuerit. Ceterum quidquid circa res Imperii controuerſiae interceſſerit, iuxta Imperii et Pacis Germanicae leges abſque ſtrepitu armorum componetur aut decidetur, et ſtabitur ab vtraque parte per omnia diſpoſitione Pactorum Oſnabrugenſium et Conſtitutionibus Imperii.“ Rediuit, et diſputari dixit Dn. Mediator, quod mentio facta fuiſſet Varnemundae; id quod illi plane admittere nollent: item velle illos, vt adponatur cautio Ducis Holſatiae de non vindicando. Deliberarunt Dnn. Legati noſtri, et libentiſſime volebant ſe extricare. Dn. Comes Oxenſtierna exiſtimauit, offenſum iri Principem Holſatiae, ſi ponatur, modo caueat de non vindicando vel offendendo. Dn. Legatus Gyldenklau: Si euitari nequeat, ponenda eſſe illa verba. Dn. Regni Theſaurarius: Oportere, vt ſcribatur ad Ducem, et, quomodo euitari nequiuerit, remonſtretur: metuiſſe enim Legatos, ſi Sua Celſitudo hac pace non includatur, ne nimis futuri graues eidem deinde ſoli ſint Caeſariani et Electorales. Quoad Varnemundam, ad extrema ſubſiſtit Legatio Suecica: quum vero obtineri non poſſet, ſed tandem poſt verba: *In Pomerania* etc. Legatio Caeſarea adderet: *Et Megapoli* etc. conſentitur, et conceptus eſt hic periodus hoc modo: „S. Caeſ. M. loca omnia, quae in Pomerania et Megapoli occupata ſuis praeſidiis inſidentur, Sereniſſ. Regi ac Regno Sueciae; ea vero, quae in Holſatia et Ducatu Sleſuicenſi, Duci Holſatiae Gottorpienſi, (praeuia tamen cautione de non vindicando,) reſtituet“ etc. Atque ſic tandem ſubſcriptus eſt Articulus hic amicitiae, amneſtiae et reſtitutionis locorum, vt et rerum in Germania cum Imperatore. Vbi notandum, quod Imperatoris Legati in ipſo Articulo non mouerunt quaeſtionem ſuper titulo vel Sueciae vel Liuoniae, (quum *Scaniae* tam ipſi, quam Poloni et Electorales, hiſce diebus negare praeſumſiſſent,) ſed per Secretarium ſuum Legationis ſubſcribi fecerunt, atque ita primi Liuoniae titulum S. R. M. Sueciae, Dno noſtro, quod felicis ominis eſto! vel inuiti tribuerant. Bis igitur° iam Romanum

Diarii ſcribit *Crucigeris* auxilium ab Romano Imperio denegatum fuiſſe, id rerum harum periti haud prorſus probauerint. Super ea re quid Ferdinandi I. Imp. temporibus, quibus Moſcouitico bello Liuonia cum maxime flagrabat, actum ſit in Comitiis Imperii Auguſtanis, diligenter commemorat THVANVS Lib. XXII. et CHYTRAEVS in Saxonia, ad An. 1559.

num Imperium Liuonia ſe abdicauit: primum, quum auxilia verſus Moſcouitam Crucigeris non ferret; iam, quum Imperator ipſe per Legatos ſuos in ceſſionem, a Polonia Sueciae factam, hoc modo conſentiat.

Ad Reuerſales Holſatiae Ducis deuenerunt, vbi Caeſariani et Confoederati primum voluerunt in §pho de reſtitutione locorum in Holſatia, Articuli modo praecedentis, verba haec inſeri: "praeuia cautione, ſe pactis neutralitatis initis ſtare velle." Sed quum Legatio Suecica demonſtraſſet, quod, quum pacta neutralitatis cum bello ipſo exſpirare debeant, non poſſit eorum hic fieri mentio: placuit, vt, quo modo ſupra videre eſt, ponatur: *praeuia declaratione de non vindicando* etc. Formula autem declarationis, ſiue cautionis, conſenſu Collegii ipſius manu Dni Gyldenklauii proiicitur eiuſmodi: "Nos N. N. Dei gratia heres Noruegiae, Dux Sleſuici, Holſatiae, Stormariae et Dithmarſiae, Comes in Oldenburg et Delmenhorſt, notum teſtatumque facimus, quod quum pace inter Regem Poloniae, eiuſque Foederatos Imperatorem et Electorem Brandeburgicum, ex vna, et Regem Sueciae ex altera parte, inita, de reſtituendis vno poſt commutatas Pactorum ratificationes menſe, locis et ditionibus ad nos ſpectantibus cautum ſit; Nos ob bellum geſtum in prouinciis noſtris et inde perpeſſa damna, nulla ratione, clam vel palam, directe vel indirecte, per nos vel per alios, contra S. Caeſ. M. eiuſque Regna, terras ac prouincias, et Sereniſſ. Regem Rempublicamque Poloniae, tum quoque Dn. Electorem Brandeburgicum, eiuſque terras et prouincias, in vel extra Imperium, nihil vmquam belli iſtius et expeditionis praedictae cauſſa moturos, aut damnorum compenſationem petituros: quorum in fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas Sigillo noſtro Ducali roborari fecimus. Dabantur etc.— Antequam autem extraderetur haec formula, quod demum circa octauam veſpertinam factum eſt, Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius manu ſua deleuit verba: *Aut damnorum compenſationem petituros.* Noua difficultas, oritur in ſubſcribendo Articulo reſtituendorum locorum, ab Electore, volentibus nimirum Legatis Dnn. Brandeburgicis, vt in Articulo pro verbis, *Quo tempore quoque Elbinga reſtituetur*, ponatur: "Quo tempore Elbinga quoque, Poloniae reſtituta, Sereniſſimo Electori Brandeburgico tradetur." Sed Legatio noſtra neutiquam conſentire voluit,

Digitized by Google

voluit, quin potius Suae Excellentiae Dn. Mediatorem rogant, ipſe conſideret, Legationique Electorali demonſtret, ne, per quaeſitum in ſcirpo nodum, pacem remorentur. Igitur poſtea hoc modo ſubſcribitur hic Articulus: "Sereniſſimus Elector Brandeburgicus etc. loca omnia, quae in Pomerania hocce bello occupata, praeſidiis ſuis inſidentur, S. R. M. et Regno Sueciae; ea vero, quae in Holſatia et Ducatu Sleſuicenſi, Celſiſſimo Principi et Duci Holſatiae Gottorpienſi, (praeuia tamen cautione de non vindicando iuxta formulam, de qua hic conuenit,) reſtituet plenarie, cum tormentis bellicis ipſorum propriis, re armamentaria, ceteroque adparatu bellico, nec non mobilibus cuiuſcumque generis, item Actis Cancellariae, Archiuis et litterariis Documentis, prout ea omnia, tempore occupationis vel deditionis, inibi reperta ſunt, et adhuc non diſtracta extant. Quae euacuatio fiet, locorum ſcilicet Pomeraniae, exceptis Vollino, Dam et Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas a die permutationis ratihabitionum computandas: quo tempore quoque Elbinga reſtituetur. Vollinum vero, Dam et Greiffenhagen, nec non loca Holſatiae et Ducatus Sleſuicenſis, intra alias demum duas ſequentes hebdomadas a die ſupra memoratae reſtitutionis euacuabuntur, deductis eodem tempore, e dictis locis, praeſidiariis militibus, et e prouinciis ad Sereniſſ. Regem Sueciae et Ducem Holſatiae et Sleſuici Regentem ſpectantibus, copiis omnibus, ea ratione et modo, de quo inter partis vtriuſque Generales, vel eorum locum tenentes, intra tempus ratihabitionibus commutandis praefinitum, conuentum fuerit: ita tamen, ne in praememoratis reſtituendis et euacuandis locis vel communitatibus, quae praeſidia Electoralia habuerunt, aut quouis modo, hoc bello, in S. Serenit. Electoralis fide et poteſtate fuerunt, vel cuiquam priuato, quod partes S. Serenitatis ſequutus fuerit, vlla ratione noxae fraudique ſit, vel alia in re quoad priſtina iura, priuilegia, bona, feuda et libertates illi competentes abſque exceptione vel reſeruatione praeiudicet." Proiicitur a nobis inuitatio vel potius ſtipulatio Regis Chriſtianiſſimi ad guarantiam eiuſmodi: "Et quum pax moderna concluſa ſit, opera et mediatione Regis Chriſtianiſſimi, recipit ac promittit Regia Eius Maieſtas, ſe armis quoque ſuis exequutionem horum pactorum adſerturam, et contra violatores eorum conſilia vireſque ſuas parti laeſae iuncturam."

Digitized by Google

Quae ſchedula perlecta hoc modo mutatur: "Et quum pax moderna concluſa ſit opera et mediatione Regis Chriſtianiſſimi, recipit ac promittit Regia Eius Maieſtas, ſe exequutionem horum pactorum omni meliori modo, quo fieri poteſt, adſerturam, et contra violatores eorum arma vireſque ſuas parti laeſae iuncturam." Et communicatur quidem Dno Mediatori, ſed nondum extraditur, qui poſt elapſum aliquod temporis ſpatium, produxit talem ab altera parte in hac materia formulam: "Quum autem, pro maiori ſecuritate huius pacificationis, tam Sereniſſ. Rex — quam Sereniſſ. Rex — poſtularunt, vt Sereniſſ. ac Potentiſſ. Princeps ac Dn. Ludouicus, Galliarum et Nauarrae Rex Chriſtianiſſimus, cuius ope ac ſtudio Tractatus hic promotus, et mediatione ad optatum finem perductus eſt, exequutionis et obſeruationis illius inter praenominatos Reges fideiuſſor exiſtat, Sua Maieſtas Chriſtianiſſima poſtulationibus et votis illis adnuens, eodemque animo pacis huius perpetuitatem exoptans, quo eam procurauit, ſpondet ac promittit etc." Hoc Proiectum vbi fuiſſet perlectum, noſtra Legatio mutat hoc modo: "Quum autem, pro maiori ſecuritate huius pacificationis, tam Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Sueciae, quam Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex Poloniae poſtularunt, vt Sereniſſimus ac Potentiſſ. Princeps ac Dn. Ludouicus, Galliarum et Nauarrae Rex Chriſtianiſſimus, cuius ope ac ſtudio Tractatus hic promotus, et mediatione ad optatum finem perductus eſt, exequutionis et obſeruationis illius inter praenominatos Reges fideiuſſor exiſtat, Sua Maieſtas Chriſtianiſſima poſtulationibus et votis illis adnuens, eodemque animo pacis huius perpetuitatem exoptans, quo eam procurauit, ſpondet ac promittit, ſe exequutionem horum pactorum omni meliori modo, quo fieri poteſt, adſerturam, et contra violatores eorum arma vireſque ſuas parti laeſae iuncturam. Integrum quoque erit partibus paciſcentibus, alias quoque ad eamdem guarantiam inuitare Poteſtates."

Vrſit iterum Dn. Mediator confectionem Inſtrumenti Pacis, adſerens, quod Rex Poloniae dixerit ipſe, vereri ſe, ne, poſtquam cum Aula ſe mouerit, Confoederati totum negotium hactenus actum peſſumdare praeſumant. Dn. Regni Theſaurarius nomine Legationis vrget, quo Dn. Mediator Regis Poloniae ratificationem procuret euentualem, et quum iam adſit Dn. Briemski, illum tamquam Senatorem a late-

re

re poſſe ſubſcribere. Non eſſe hunc Senatorem a latere Regis, reſpondit. Dn. Regni Theſaurarius: Igitur Legatos Suecicos de futura Reipublicae ratificatione certos eſſe non poſſe, quum deputati ab ea non directe ad hoc negotium ſint ratificandum, ſed ad alias quoque cauſſas in genere. Dn. Mediator, promiſiſſe ratificationem ſuam euentualem Regem Poloniae, dixit; de Reipublicae ratificatione non eſſe dubitandum; loquutum ſe eſſe cum Dnn. Plenipotentiariis Polonicis, qui adſecurarint, quod a Republica, tam a Senatorio, quam Equeſtri Ordine, ad ratificandum haec pacta in ſpecie ſint deputati. Abiit ad alteras Legationes Dnus Mediator. Interuenit Ablegatus Neoburgicus. Varii diſcurſus cum eo habiti ſunt: inter alia quoque loquuti ſunt de ratificatione Reipublicae. Ille Regem Poloniae verbo Regio declarare dixit, quod Reipublicae Deputati in optima forma pacem concluſam ratificaturi ſint. Concipitur a nobis, ac Dno Mediatori traditur formula extenſionis, ſuper punctis renunciationis Suecicae ac ceſſionis Liuoniae talis: 1) "Sereniſſ. ac Potentiſſ Princeps ac Dn. Dn. Ioannes Caſimirus, Rex Poloniae, pro ſe et heredibus poſteriſque ſuis, amore pacis, vigore huius Inſtrumenti pacis, ſollemniter exnunc et in perpetuum renunciat omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae, M. Principatum Finlandiae, et alias ipſis ſubiectas prouincias, regiones, ditiones, ciuitates, caſtra et munimenta, ſiue haec omnia nuper, ſiue ab antiquo adquiſita ſunt, nec non in bona auita in Regno Sueciae dictiſque prouinciis ſita: In Regnum Sueciae dictaſque prouincias et bona praeſentibus vel futuris temporibus nihil quidquam praetenſurus. Quoad titulos et inſignia ita conuentum eſt, quod Ser. Rex Poloniae prout hactenus, ita inpoſterum ad dies vitae ſuae vtetur integris titulis, et ſigillis, inſignibuſque Regni Sueciae in Polonia et ad omnes Principes, Status et priuatos extra Sueciam, ſine vllo tamen plenariae ſupradictae renunciationis praeiudicio. Dictis vero titulis et inſignibus non vtetur ad Sereniſſ. Reges Regnumque Sueciae in litteris aliiſue diplomatibus aut ſcriptis: ſed obſeruabitur ab vtrimque receptus hactenus modus abbreuiandorum titulorum cum etceterationibus, ita vt poſt verba, *M. Princeps Finlandiae*, tres etceterationes in titulo Sereniſſ. Regis Sueciae, et viciſſim poſt verba, *M. Dux Lithuaniae*, tres etceterationes in titulo moderni Sereniſſ. Regis Poloniae adiiciantur: inſignibus autem Regni

Digitized by Google

Sueciae in ſigillis Regis et Reipublicae Polonae, dum in Sueciam ſcribetur, penitus omiſſis. Poſt obitum vero moderni Sereniſſ. Regis Poloniae, ſucceſſores eius et Reſpublica Polona in titulos et inſignia Sueciae nihil vmquam praetendent, ſed vtrimque Reges et Regna ſuis quiſque titulis et inſigniis tantum plenarie gaudebunt et vtentur. 2) Sereniſſimus Rex et Status Ordineſque Regni Poloniae, M. D. Lithuaniae a modo et in perpetuum cedunt vi huius pacificationis Sereniſſimo Regi Sueciae, eiuſque ſucceſſoribus Regibus Regnoque Sueciae, omnem illam Liuoniam trans Dunam, quam Suecia hactenus per tempus induciarum tenuit et poſſedit, vt et partes Ciſdunanas omnes et Inſulam Runen in mari ſitam, quas per idem tempus induciarum Suecia tenuit et poſſedit; nec non quidquid iuris Regibus et Reipublicae Polonae in Eſthoniam et Oſiliam hactenus vllo modò competere poterat: atque haec quidem omnia et ſingula, cum omnibus ſuis pertinentiis terreſtribus et maritimis, vrbibus, arcibus, propugnaculis, bonis et prouentibus, nec non iuribus, iuriſdictionibus, Regalibus et ſuperioritatibus, tam in Eccleſiaſticis, quam in Politicis, nullis penitus exceptis, in plenum dominium et proprietatem Regum Regnique Sueciae transferunt; Ordineſque et ſubditos in illa Liuonia eiuſque recenſitis partibus, omni erga Regem et Rempublicam Polonam obedientiae vinculo et fidelitatis ſacramento exſoluunt, nihil vmquam in eos ac dictam Liuoniam, eiuſque pertinentias poſthac praetenſuri. Cis Dunam autem Sereniſſimi Reges Regnumque Sueciae non vlterius, quam hactenus, fines ſuae poſſeſſionis in Curlandia aut Semigallia promoueant, aut ſeruitutes a ſubditis Illuſtriſſimi Curlandiae Ducis exigant, aut vllum ius lignandi aliudue quoduis in Curlandia aut Semigallia praetendant. Commiſſarii vero ad declarandos et determinandos, ab vtraque parte, fines ab vtrimque deputabuntur, et Commiſſio haec intra quatuor ſeptimanas a ſubſcripto Tractatu inchoetur, et intra duas expediatur." In hac extenſione libenter voluiſſent S. Excell. vt in principio fieret huiuſmodi ingreſſus: "Quo omnis inpoſterum cauſſa et fomes belli ac diſſenſionum radicitus tollatur, et amicitia inter vtroſque Reges ac Regna Sueciae et Poloniae, et M. D. Lithuaniae, maiori cum emolumento reſtauretur, Sereniſſimus" etc. — Item vt poſt verba primi huius §. *nihil quidquam praetenſurus*, ſubnecteretur clauſula: "Et neminem pro Rege Regibuſque Sueciae

Digitized by Google

ciae agniturus, praeter Sereniſſimum Principem Dn. Carolum, modernum Succiae Regem, eiuſque ſucceſſores Reges Succiae. Item, quo ante §ph. Cis Dunam autem etc. poneretur clauſula: "Prouti Reſpublica Polona in proxime futuris Comitiis generalibus haec omnia peculiari diplomate Ceſſionis ad formulam conuentam confirmabit." Sed Dn. Mediator primum iudicauit ſuperfluum; alterum nimis durum; tertium poſſe ad Articulum, qui de ratificationibus loquitur, reſeruari. Itaque poſt aliquot diſceptationes deleta ſunt iſta. Deinde proiicitur a noſtra parte formula pro ingreſſu, Inſtrumento Pacis praemittenda, ac Dno Mediatori traditur eiuſmodi: "Nos Sereniſſimi et Potentiſſimi Principis ac Dn. Dn. Caroli, Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque deſignati Regis ac Principis hereditarii, Magni Principis Finlandiae etc. etc. etc. Dni noſtri Clementiſſimi, Regnique Succiae Commiſſarii et Legati Plenipotentiarii, Magnus Gabriel de la Gardie, Comes in Lecköö et Arensburg, Liber Baro in Ekholmen, Dn. in Habſal, Magnushoff et Hoegendorp, Suae Maieſtatis Regnique Succiae Senator et Theſaurarius, Generalis Gubernator Liuoniae, et Locum tenens per Eſthoniam, Liuoniam et Ingriam, militiae Generalis, Iudex Prouincialis Veſtrogothiae et Daliae, nec non Academiae Vpſalienſis Cancellarius; Benedictus Oxenſtierna, Comes in Korsholm et Vaſa, Liber Baro in Moreby et Lindholmen, Dominus in Coporium et Roſersberg, S. M. Regnique Succiae Senator et Cancellariae Conſiliarius; Chriſtophorus Carolus Schlippenbach, Comes in Scheuede, Liber Baro in Liuſala, Dn. in Salinge, S. M. Regnique Succiae Senator et Conſilii bellici Praeſes; et Andreas Gyldenklau, Conſiliarius Status, et per Pomeraniam Regiam Regiminis ac Conſilii Status, vt et Supremae Curiae iuſtitiae Praeſes, hereditarius in Schonela-Ekebes, Hylinge et Hulterſtat: Notum teſtatumque facimus, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, vniuerſis et ſingulis, quod, quum ad ſopiendum hoc diuturnum ac funeſtum bellum, geſtum primo quidem inter Ser. ac Potent. Principem ac Dn. Dn. Carolum Guſtauum, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. glorioſae memoriae, ac deinde praetactum Eius M. Filium vnicum, modernum Succiae Regem, Dn. noſtrum Clementiſſimum, Regnumque Succiae et Foederatos, ex vna; et inter Sereniſſimum ac

Potentiſſ. Prinipem ac Dn. Dn. Ioannem Caſimirum, Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae etc. etc. etc. ac Rempublicam Polonam, eiuſque Foederatos, vtpote Sereniſſ. et Potentiſſ. Principem ac Dn. Dn. Leopoldum, Electum Romanorum Imperatorem, Semper Auguſtum, Germaniae, Hunganiae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Slauoniae Regem, Archiducem Auſtriae etc. etc. etc. nec non Sereniſſ. Principem Dn. Fridericum Wilhelmum, Marchionem Brandeburgenſem, Romani Imperii Archi-Camerarium et Principem Electorem etc. etc. ex altera parte: Sereniſſ. atque Potentiſſ. Princeps ac Dn. Dn. Ludouicus XIV. Franciae et Nauarrae Rex Chriſtianiſſimus, ſuum Conſiliarium Status atque Ordinarium in Polonia Legatum, Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dn. de Lumbres, Equitem, miſiſſet, et per eumdem ſtudio omni, ac ſingulari dexteritate reducendae pacis eo rem deduxiſſet, vt congreſſi cum praedicti Sereniſſimi Regis ac Reipublicae Polonae auctoritate Comitiali deputatis Dnis Commiſſariis et Legatis Plenipotentiariis, Illuſtriſſimis, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis, Dn. Ioanne, Comite de Leſno, Palatino Poſnanienſi, Reginalis M. Supremo Aulae Praefecto ac Mareſchallo, Mariaeburgenſi, Corſunenſi Gubernatore; Dn. Georgio Lubomirski, Comite in Viſniz et Iaroslau, Supremo Regni et Campi Marſchallo, Generali Krakouienſi, Scepuſienſi, Chmielnicenſi, Pereaslauienſi, Caſimirienſi; Olſtinenſi Gubernatore; Dn. Nicolao de Prazmow Prazmowsky, Supremo Regni Cancellario, nominato Epiſcopo Luceorenſi et Oreſtenſi, Abbatiae Sieſiechouienſis Adminiſtratore perpetuo, Praepoſito S. Michaelis Eccleſiae Collegiatae in Arce Krokouienſi; Dn. Chriſtophoro Pac, Supremo M. D. Lithuaniae Cancellario, Vilcouienſi, Oſtrinenſi, Amerſtienſi, Viſtinenſi et Nemonouenſi Gubernatore; Dn. Ioanne Andrea Morſtyn, Referendario Regni, Coualenſi et Zauichoſtenſi Gubernatore; Dn. Vladiſlao Rey, Reginalis Maieſtatis Cancellario, Corcinenſi et Libuſtienſi Gubernatore; Dn. Ioanne Gninski, Succamerario, Gneſnenſi Gubernatore; nec non Sereniſſ. Potentiſſimique Imperatoris Dnis Commiſſariis et Legatis Plenipotentiariis, Illuſtriſſ. Illuſtribus ac Generoſis, Dn. Franciſco Carolo, Comite et L. B. a Colourat in Richenau, S. Caeſ. Regiaeque Hungariae et Bohemiae M. Conſiliario, Camerario et Praeſide Appellationum in Arce Pragenſi; Dn. Franciſco L. B. de Liſola, a Thi-

a Thiſe et Marienfeld, Conſiliario et Camerali Aulico; et Sereniſſimi Electoris Brandeburgici, atque in Pruſſia Ducis, Dnis Commiſſariis et Legatis Plenip. Illuſtribus, Magnificis et Generoſis, Dn. Ioanne ab Houerbecke, Hereditario in Lickmedien, Baranouen, Geierſualde et Domkou, S. Serenit. Conſiliario Status, Electoratuſque Dapifero Hereditario, Hohenſteinenſi Praefecto; Dn. Laurentio Chriſtophoro a Somnitz, Hereditario in Grumſdorf et Prenow, Suae Serenitatis Conſiliario Status, et Orientalis Pomeraniae Cancellario, eiuſdemque Ducatus Camerario Hereditario, Lauenburgenſi et Butouienſi Praefecto; Dn. Alberto ab Oſtau, Hereditario in Narpken, Suae Serenit. in ſupremo Ducalis Pruſſiae Appellationum iudicio Conſiliario: Tractatus pacis ante aliquot menſes auſpicaremur, et interea temporis multum agitaremus, tandem, Diuino fauente Numine, in mutuas pacis et amicitiae leges ad modum tenoremque ſequentem ex omni parte conſenſimus, conuenimus et concluſimus.“ — *Inſerantur Pacta.* — Hic primum inſerebantur toti omnium Poteſtatum tituli: ſed quum conuentioni contrarietur, integris titulis Reges Sueciae et Poloniae inuicem vti, poſitae ſunt vbique tam in S. R. M. Dn. noſtri Clementiſſimi, et Regis Poloniae, quam Imperatoris et Electoris Brandeburgici titulis, cum tribus etceterationibus abbreuiaturae. Poſtea concipiuntur a Legatione noſtra (idque per manum Dn. Legati Gyldenkauii) formulae ratificationum, quales a nobis, vt illi ſubſcribant, deſiderantur, nempe:

Formula Ratificationis Regiae.

Ioannes Caſimirus, Dei gratia Poloniae Rex, M. Dux Lithuaniae etc. etc. etc. ſignificamus omnibus et ſingulis, quorum intereſt, dediſſe nos Commiſſarios noſtros plena poteſtate ac mandatis inſtructos ad tractandum, interueniente mediatione Chriſtianiſſ. Regis, de pace perpetua cum Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principe ac Dn. Dn. Carolo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege et Principe hereditario, Magno Principe Finlandiae etc. etc. etc. Conſanguineo noſtro, et Regno Sueciae: qui congreſſi cum Serenitatis Eius et Regni Sueciae Commiſſariis, ſequentia pacta, vti verbotenus infra ſunt expreſſa et inſerta, inierunt, ſtatuerunt et concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Ioannes

nes Caſimirus, Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc. etc. etc. promittimus et recipimus nomine noſtro, Succeſſorum ac poſterorum noſtrorum et Reipubl. Polonae, ſingula et vniuerſa capita, Pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona et Regia fide adprobare, ſicuti hiſce adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtratibus aut aliis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo Regni noſtri muniri iuſſimus. Quae dabantur die — menſe — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo. —

Formula Ratihabitionis Pactorum D D. Delegatorum Reipublicae Polonae.

Nos Senatores, Commiſſarii Lege Comitiali a Republ. Polona delegati, conſtare volumus, quorum intereſt, vniuerſis et ſingulis: quod, quum Domini S. R. M. Dn. noſtri Clement. et Reip. Commiſſarii ad tractatus pacis perpetuae inter vtraſque Regias M M. et inclita Regna Poloniae et Sueciae, virtute poteſtatis tum a S. R. M. tum a Republ. nobis factae, cum Dominis Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae Commiſſariis, in certa pacta et leges perpetuae pacis conuenerunt, quorum tenor eſt, qui ſequitur. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Senatores et Commiſſarii Lege Comitiali a Republ. Polona delegati, promittimus et recipimus, vi poteſtatis nobis a Republica conceſſae, nomine eiuſdem, nos omnia et ſingula capita, pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, adprobare et ratihabere, ſicuti vigore quoque praeſentium adprobamus et ratihabemus, nec paſſuros, vt ab vllo, quouis modo, violentur; prout ipſimet Status et Ordines Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae, in proximis Comitiis Regni Generalibus, primo quoque tempore celebrandis, haec ipſa pacta ſollemniter adprobaturi, et confecto Inſtrumento ratificaturi, nec non ceſſionem Liuoniae Septentrionalis peculiari diplomate confirmaturi ſunt: in quorum maius robur etc.

Formula Ratificationis Reipublicae Polonae.

Nos Status et Ordines Regni Poloniae, Magnique D. Lithaniae, notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, dediſſe

dediſſe nos Dnis S. R. M. Dn. noſtri Clement. et publico conſenſu au-ctoritateque Comitiali deputatis Reipub. Commiſſariis in mandatis, vt interueniente mediatione Chriſtianiſſimi Regis de pace perpetua inter vtraſque Regias MM. et inclita Regna Poloniae et Sueciae tractarent: qui ſequentia pacta, vti verbotenus infra ſunt expreſſa et inſerta, inierunt, ſtatuerunt et concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Status et Ordines Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae, promittimus et recipimus, nos omnia et ſingula capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona fide adprobare et ratihabere, ſicut hiſce adprobamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtratibus aut aliis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, praeſentes dedimus, manibus Senatorum, nec non Mareſchalli, Nunciorum terreſtrium ad Comitia Regni generalia congregatorum, nomine Equeſtris Ordinis ſubſcriptas, et ſigillo Illuſtriſſ. et Reuerendiſſ. Dn. Archiepiſcopi Gneſnenſis, Regni Poloniae Primatis Primique Principis, munitas. Dat. Varſauiae in Comitiis Regni Generalibus, die — menſe — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo.

Imperatoris.

Leopoldus, Diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator, Semper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae etc. (inſeratur totus titulus Caeſaris) ſignificamus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, quod quum Commiſſarios noſtros plena poteſtate ac mandatis inſtructos deputauerimus, vt in tractatibus pacis perpetuae inter Sereniſſimos ac Potentiſſimos Reges Regnaque Sueciae et Poloniae, in Pruſſia inſtitutis, tractarent itidem noſtro nomine negotia pacis perpetuae cum Ser. Potentiſſimoque Principe ac Dn. Dn. Carolo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege (hic inſeratur totus titulus, vt in formula cum Electore) Montium Duce, et Regno Sueciae ineunda: qui congreſſi cum Serenitatis eius et Regni Sueciae Commiſſariis inſequentia pacta, vti verbotenus infra hic ſunt inſerta et expreſſa, inierunt, ſtatuerunt ac concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos Leopoldus, Electus Romanorum Imperator, Semper Auguſtus, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, (non inſeratur titulus totus,) promittimus et recipimus nomine noſtro, heredum ac ſucceſ-

ſorum noſtrorum, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona, Imperiali ac Regia fide adprobare, laudare et ratihabere, prouti hiſce quoque adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtratibus aut aliis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, haſce manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo noſtro Imperiali communiri iuſſimus. Quae dabantur in Ciuitate noſtra Viennae, die — menſis — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo, Regnorum noſtrorum Romani ſecundo, Hungariae quinto, Bohemiae vero quarto.

Electoris Brandeburgici.

Fridericus Wilhelmus, Dei gratia Marchio Brandeburgenſis, (inſeratur totus titulus) notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, quod quum Commiſſarios noſtros, plena poteſtate ac mandatis inſtructos, deputauerimus, vt in tractatibus pacis perpetuae inter Sereniſſimos ac Potentiſſimos Reges Regnaque Sueciae et Poloniae, in Pruſſia inſtitutis, tractarent itidem nomine noſtro de pace perpetua, cum Sereniſſimo Potentiſſimoque Principe ac Dno, Dno Carolo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege, Magno Principe Finlandiae, Duce Scaniae, Eſthoniae, Liuoniae, Careliae, (tot. tit.) et Montium Duce etc. et Regno Sueciae ineunda: qui congreſſi cum Maieſtatis eius et Regni Sueciae Commiſſariis, ſequentia pacta, vti verbotenus infra hic ſunt inſerta et expreſſa, inierunt, ſtatuerunt ac concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Fridericus Wilhelmus, Marchio Brandeburgenſis, (hic non inſeratur totus titulus) promittimus et recipimus nomine noſtro, heredum ac ſucceſſorum noſtrorum, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, bona et Electorali fide adprobare, laudare et ratihabere, prouti hiſce quoque adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtratibus aut aliis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, haſce manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo Electorali communiri iuſſimus. Datum Coloniae ad Spream, die — menſe — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo.

Oblatas haſce formulas recepit Dn. Mediator, et hac occaſione, vt noſtrae quoque ratificationis formula adſit, poſtulat, mentionemque facit, quod

Digitized by Google

quod Dnn. et Poloni et Confoederati non paruum habeant ſcrupulum, an Regina vidua ſubſcribere poſſit,[*] ſiquidem hoc nouum ſit in Suecia, nec ſe ſcire, vtrum ibi obſeruetur, vt, ſicut in Galliis, habeant Reginam Regentem? Dn. Regni Theſaurarius reſpondit, non quidem antehac ita obſeruatum fuiſſe; ſed iam tamen receptum, vt monſtrari poſſit ex ſubſcriptione Concluſi Comitialis Gothoburgici; item Dnos Polonos et Confoederatos eorum iam recepiſſe Saluos Conductus, et Procuratoria noſtra, renouata poſt mortem glorioſiſſimi Regis, Caroli Guſtaui. Adquieuit hiſce Dn. Mediator, atque ad alteram partem abiit. Quum rediret, nihil adtulit, niſi quod conſultent ac deliberent. Interea lapſus eſt hic dies, et hora eius veſpertina nona pondus et aeſtum iterum leuauit. Ceterum adhuc Conceptum dabatur vnum a nobis de incluſione Principum exterorum, in his quoque Comitis Palatini Neoburgici: et placito Partium vel hora ſeptima matutina cras opus continuabitur. "Si quis Regum et Principum, nec non Rerumpublicarum ac Statuum amicorum, hiſce pactis ex omni parte paciſcentium includi voluerint, ſit ipſis eius facultas, modo ſe ad iſta intra ſex abhinc menſes declarauerint; in ſpecie autem tam ex parte Sueciae, quam ex parte Poloniae ac Confoederatorum, includitur Celſiſſimus Dux Neoburgicus, Princeps Palatinus Rheni, eiuſque ſucceſſores, vna cum ditionibus ac poſſeſſionibus ſuis, ita vt aduerſus omnem vim hoſtilem, aut facti viam, contra quoſcumque ſua eiſdem conſtet ſecuritas.".

Actum Oliuae d. $\frac{19}{29}$ Aprilis, horis ab VIII matutina vſque ad VII veſpert.

Rediuimus ad labores. Subſcriptus etiam heri erat a nobis Articulus ceſſationis hoſtilitatum hoc modo: "Ceſſent omnes hoſtilitatis actus inter partes paciſcentes omnes, tum principales, tum foederatas, earumque exercitus, a die concluſae et ſubſcriptae huius Pacis computando in Pruſſia exactis quatuor, in Pomerania et Megapoli decem, in Curlandia et Liuonia quatuordecim, et in Holſatia atque Sleſ-

[*] Conf. PASTORII Diarium pag. 275. n.****

uicenſi Ducatu viginti diebus. Et commercia ac poſtae priſtinae libertati et vſui eodem quoque die in ſingulis praememoratis locis reſtituantur.“ Sed deinde ita mutatus eſt, Inſtrumento Pacis quoque inſertus: “Ceſſent omnes hoſtilitatis actus inter partes paciſcentes omnes, tum principales, tum foederatas, earumque exercitus, a die concluſae et ſubſcriptae huius Pacis computando in Pruſſia tam Regali, quam Ducali exactis quatuor, in Pomerania et Megapoli duodecim, in Curlandia et Liuonia quatuordecim, et in Holſatia atque Sleſuicenſi Ducatu exactis viginti diebus. Eodem quoque die in ſingulis praememoratis locis negotiationes quaeuis priſtino vſui reſtituantur, et litterarum commercia libera ſint.“ Recepit ſe ad Dnos Polonos et Electorales Dn. Mediator, relictis prolixo ſpatio ſolis Dnis Legatis noſtris. Rediens retulit Articulum heſternum de ratificatione Regis Poloniae, et quia multae difficultates fiebant a Polonis, res diu hinc inde ventilabatur. Nos vrſimus ratificationem non modo Regis, ſed etiam Reipublicae. Contra Dn. Mediator repoſuit, quod nimirum ratificatio fiet a Commiſſariis deputatis, et illa ratificatio inſeretur Statutis Regni in Comitiis proximis: neque enim hoc modo opus eſſe alia Reipublicae ratificatione. Valde haerebat in hoc puncto Legatio noſtra, nec videns, quid ſit ſatis tutum. Dn. Mediator quoad Regis ratificationem dixit, quod iſta, quam iam dabit Rex ante hinc abitum ſuum, erit tantum prouiſionalis ad adſecurationem pacis, quia nulli ſunt apud S. R. M. Senatores a latere; antequam autem fiat permutatio omnium ratificationum, Rex ſubſcribet aliud diploma cum omnibus ad latus Senatoribus. Dn. Regni Theſaurarius: De ratificatione vt ſit ſecura Succia, neceſſe eſſe. Nam qui impediet, vt ratificetur a Republica, inquit, facile quoque poterit impedire, ne inſeratur Deputatorum ratificatio, in Comitiis, Regni Statutis et Volumini Legum. Negat Dn. Mediator aliquem impediturum, ne hoc fiat. Dn. Regni Theſaurarius: Ad deliberandum adſumi iſta, ſed ſi hoc accipiatur a Legatione Suecica, forte et Sueciam et Galliam deceptum iri. Non deceptum iri,

* In Conuentu Stumſdorfiano etiam ſuper tali ratihabitione Reipublicae diu ante diſceptatum, quam ea Suecis adnueretur. Vid. quae ex OGERIO et PVFENDORFIO ſupra commemoraui, ad PASTORII Diarium, p. 218. not.* Tandem in Tabulis Pactorum Art. XXIV. cautum, — *vt Sac. Reg. Mai. Poloniae ſecundum*

iri, dixit Dn. Mediator. Dn. Regni Theſaurarius: Sed et indignum eſſe, quod Sueciae iam denegetur, quod nec Electori denegatum, et in Tractatu Stumſdorfii obſeruatum ſit.* Dn. Mediator: Fieri hoc potius in fauorem Sueciae, quia, quod Statutis Regni in Comitiis inſeratur, vim perpetuae legis habiturum ſit plus, quam ratificationem. Dn. Regni Theſaurarius digreditur ad ea, quae heri de ſubſcriptione ratificantium Regni Sueciae in dubium vocata ſint. Quid ſi ita ponatur. "Quod nimirum Regis Caroli ratificatio ſubſcribetur a Regina matre, et Regni adminiſtratoribus, ſigilloque Regni firmabitur ſeu roborabitur." Abiit ad alteros Dn. Mediator. Abſente Dn. Mediatore aduenit Ablegatus Neoburgicus, cui communicatur Articulus includendorum. Non habet, quod moneat in realibus; ſed poſtulat praedicatum *Sereniſſimi* pro Principe ſuo.** Remonſtratum autem eſt ipſi, hoc praedicatum nulli Principum dare Succiam, praeterquam Electoribus Saxoniae et Brandeburgico. Deinde conſequentiam orituram, quod alii quoque Principes Germaniae poſtulaturi ſint idem praedicatum. Rediit Dn. Mediator, et poſtulare dixit Dnos Polonos, ne incurſiones amplius fiant in Poloniam, Lithuaniam aut Curlandiam a Suecis. Dn. Regni Theſaurarius: Officia haec denegare non poſſe Legationem Suecicam Dnis Polonis, ſed obligari non item: ſcribere velle ſe vel ad Dn. Duglaſium, vel etiam Dnn. Plenipotentiarios, ſed tantum per commendationem, quia mandata nulla huius rei habeant. Ad alteram partem ſe iterum confert Dnus Mediator. Et ipſi commendantur Articuli reliqui, in his de militum deductione, iam ante aliquot dies ipſi traditus: item traditur ipſi Articulus de captiuis a parte Imperatoris, prioribus cum Polonis et Electore non abſimilis: "Similiter a parte Imperatoris, captiui huius belli, cuiuſcumque ſint conditionis ac ſtatus, liberi et ſine ſoluto vllo pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum Tractatum ab ipſis conuentum fuerit, dimittentur, et libertati priſtinae, ſolutis ab Officiariis impenſis in victum eorum factis, et debitis in captiuitate ab eis contractis, reſtituentur. Et captiuis

cundum praeſcriptam formulam eadem quantocius confirmet: — Et Reſpublica Polona eadem in Comitiis primo quoque tempore celebrandis ſollemniter adprobet, et confecto Inſtrumento ratificet.

** Conf. PASTORII Diarium ad h. d. pag. 276. n. **

uis quoque adnumerandi, et ab vtraque parte reſtituendi ſunt, qui inuiti militiae alterius partis nomina ſua dederunt."

Antequam abiit ille, Secretarius eius aduenit, nuncians, quod Electorales in Articulo, a noſtra parte heſterno veſpere ſubſcripto, de reſtitutione locorum nullo modo permittere velint, vt in §pho, Quae euacuatio fiet etc. pro *Electori tradetur*, ponatur: *reſtituetur*. Loquuntur Dnn. Legati noſtri cum Dn. Mediatore, vt Dnn. Electorales ad aequitatem diſponat, quidque conuentum ſit per Articulum, ipſis demonſtret. Abiit ad illos, et remonſtraturum promiſit. Abſente Dno Mediatore, deliberant noſtri Dnn. Plenipotentiarii, et tandem concluditur poſt rem bene examinatam, quod nullo modo poſſint aut velint in hac re ludificari amplius ab Electoralibus. Non ergo mutatur Articulus. Rautenſteinius commendat Principis ſui negotium. Quod modo ante dictum fuit, repetitur, et officia quaeuis Legatio Suecica Suae Celſitudini, eiuſque Legatis promittit. Redit Dn. Mediator, et adfert formulam ratificationis Regis, ſed tantum ſeparatam, non Inſtrumento Pacis inſerendam. Deliberant abſente iterum Dn. Mediatore Dnn. Legati noſtri, et formulam perlegunt, adiectiſque notis concludunt, ſe acceptaturos, licet non inſerto Pacis Inſtrumento, ſi Rex Poloniae, et Dn. Mediator nomine Regis Chriſtianiſſimi, adſecurent, quod inter tempus diploma, integro inſerto Inſtrumento, Dn. Mediatori mittere velit, vna cum ſubſcriptione Senatorum a latere, item ratificatione Deputatorum Reipublicae cum ſtipulatione de inſerendo, in Comitiis, Statutis Regni; item ſi Inſtrumentum Pacis, vna cum Dnn. Legatis ſubſcribat Dn. Mediator. Dn. Mediator redit, et quum repeteretur difficultas illa de ſubſcriptione Ser. Reginae noſtrae, reſpondit Dn. Regni Theſaurarius, ipſis non integrum eſſe reformare ſtatum noſtrum; eſſe iniuriam contra Reginam illam, non ſubſcribere in Regno, niſi iam tamquam Reginam Regentem; poni tamen poſſe *Reginam matrem*. Eſt autem formula ratificationis Regiae Polonicae, quam ab illa Legatione conceptam Dn. Mediator obtulit, iſta: "Ioannes Caſimirus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc. etc. etc. ſignificamus, tenore praeſentium, omnibus et ſingulis, notitiam horum habituris: Poſteaquam, ſummo pacis auctore Deo adnuente, tractatus de pace perpetua, cum Sereniſſ. olim Principe, Dno Carolo Guſtauo,

ſtauo, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rege, Magno Duce Finlandiae etc. etc. etc. per Commiſſarios Serenitatis Suae et Regni Sueciae, Oliuae coepti; ac deinceps, vbi idem Sereniſſ. Carolus Guſtauus, voluntate Diuina diſponente, durantibus hiſce tractatibus in viuis non ita pridem eſſe deſiit, et Sereniſſ. Princeps Dn. Carolus, praedefuncti Parentis vnicus filius et heres, in faſtigium Paterni Solii ſucceſſit, nouiſque mandatis dictos Commiſſarios inſtruxit, in praeſens tempus continuati; ad finem tandem deſideratum deducti ſunt, vltimaque eis manus per Commiſſarios, tam noſtros, quam Sereniſſ. Foederatorum noſtrorum, vtpote Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principis, Dni Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Semper Auguſti, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Sclauoniae, Dalmatiae Regis, Archiducis Auſtriae etc. etc. etc. nec non Sereniſſ. Principis, Dni Friderici Wilhelmi, S. R. I. Principis Electoris et Archi-Camerarii, in Pruſſia Ducis etc. etc. etc. mediatione ſedula Chriſtianiſſimi Regis, die — menſis — Anno, quo infra, eſt impoſita; ſupereſtque tantum, vt nos ea omnia et ſingula acta concluſa, quae in Inſtrumento Pacis Tractatuſque huius incluſa ſunt, auctoritate noſtra Regia firmemus et roboremus: eapropter nihil, quantum in nobis eſt, tam pium et ſanctum opus morati, praedictum Tractatum, manibus tam noſtrorum quam Sereniſſ. Foederatorum noſtrorum, atque ex parte Regni Sueciae Commiſſariorum, cum plena poteſtate ſubſcriptum, et ſigillis roboratum, adprobandum atque ratificandum eſſe duximus: prout praeſenti diplomate noſtro confirmamus, adprobamus et ratum habemus. Inſuper promittimus ac recipimus noſtro, ſucceſſorumque noſtrorum, et Regni Poloniae ac M. D. Lithuaniae nomine, nos ſingula et vniuerſa capita, Articulos et paragraphos, Inſtrumento pactorum ſupra ſcriptorum incluſos et comprehenſos, in omnibus eorundem punctis, clauſulis pro ratis et firmis ſemper et in perpetuum habituros, nec paſſuros a nobis, ſubditiſque Regni Poloniae et M. D. Lith. vllo modo violari, ſed ea cuncta, quae per praedictos Commiſſarios concluſa et determinata, pactiſque dictis comprehenſa ſunt, obſeruaturos et manutenturos. In quorum ſidem maioremque certitudinem, reſcriptum hocce noſtrum manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillum noſtrum imprimi iuſſimus. Datum, etc."

Notan-

Digitized by Google

Notantur ad hoc Proiectum a noſtra Legatione ſequentia: 1) *cum Sereniſſ. olim ac Potentiſſ. Principe*, Dno Carolo Guſtauo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege, Magno *Princ.* Finlandiae etc. etc. etc. 2) pro *Sereniſſ. Carolus Guſtauus*, ponatur *Sereniſſimus Rex*, diſponente ita Diuina voluntate etc. 3) *Et Sereniſſ. Potentiſſimuſque Princeps*, Dnus Carolus, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex, *Princeps hereditarius*, *Magnus Princeps Finlandiae* etc. etc. etc. praedefuncti — 4) Tam noſtros, *quam Regios Suecicos*, noſtrorumque itidem Foederatorum, vtpote — 5) Frid. Wilhelmi, *Marchionis Brandeburgici*, S. R. I. Princ. — 6) Anno *currente*, eſt impoſita; ſupereſt autem tantum, vt — 7) Nos idcirco tam pium et ſanctum opus — 8) Noſtrorum ab vna, atque ex parte Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae. — 9) Promittimus inſuper ac recipimus noſtro — 10) Pactorum horum Oliuenſium inſertos et comprehenſos. 11) Nec paſſuros a nobis, *noſtratibus aut Regni Poloniae Magnique D. Lithuaniae Ordinibus*, ſubditis et incolis, aliiſue vllo modo violari, ſed ea omnia et ſingula, quae per praedictos Commiſſarios tranſacta et concluſa, dictiſque pactis comprehenſa ſunt, omni meliori ac firmiori modo obſeruaturos. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, ratificationem hanc noſtram manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo Regni noſtri communiri fecimus. Datum. — Hinc ex Polonico Proiecto, et hiſce notis noſtris, iam conficitur Conceptum ſequens: "Ioannes Caſimirus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lith. etc. etc. etc. ſignificamus, tenore praeſentium, omnibus et ſingulis, notitiam horum habituris: poſteaquam, ſummo pacis auctore Deo adnuente, tractatus de pace perpetua cum Sereniſſ. olim ac Potentiſſ. Principe, Dno Carolo Guſtauo, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rege, Magno Principe Finlandiae etc. etc. etc. per Commiſſarios Serenitatis Suae et Regni Sueciae, Oliuae coepti; ac deinceps, vbi idem Sereniſſimus Rex, diſponente ita Diuina voluntate, durantibus hiſce tractatibus, in viuis non ita pridem eſſe deſiit, et Sereniſſ. Potentiſſimuſque Princeps, Dnus Carolus, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex et Princeps hereditarius, Magnus Princeps Finlandiae etc. etc. etc. praedefuncti filius et heres, in faſtigium paterni ſolii ſucceſſit, nouiſque mandatis dictos Commiſſarios inſtruxit, in praeſens tempus continuati; ad finem tandem deſideratum

deratum deducti ſunt, vltimaque eis manus per Commiſſarios tam noſtros, quam Regios Suecicos noſtrorumque itidem Foederatorum, vtpote Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principis Dni Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Semper Augusti, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Slauoniae Regis, Archiducis Auſtriae etc. etc. etc. nec non Sereniſſ. Principis Dni Friderici Wilhelmi, Marchionis Brandeburgici, S. R. I. Principis, Electoris et Archi-Camerarii, in Pruſſia Ducis etc. etc. etc. mediatione ſedula Chriſtianiſſimi Regis, die — Menſis — Anno currente, eſt impoſita; ſupereſt autem tantum, vt nos ea omnia et ſingula, acta et concluſa, quae in Inſtrumento Pacis Tractatuſque huius incluſa ſunt, auctoritate noſtra Regia firmemus et roboremus: Nos idcirco nihil tam pium et ſanctum opus morati, praedictum Tractatum manibus tam noſtrorum, quam Sereniſſ. Foederatorum ab vna, atque Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae ab altera parte Commiſſariorum, cum plena poteſtate ſubſcriptum, et ſigillis roboratum, adprobandum atque ratificandum eſſe duximus, prout praeſenti noſtro diplomate confirmamus, adprobamus et ratum habemus. Promittimus inſuper ac recipimus, noſtro ſucceſſorumque noſtrorum et Regni Poloniae ac Magni Ducatus Lithuaniae nomine, nos ſingula et vniuerſa capita, Articulos et paragraphos, Inſtrumento pactorum horum Oliuenſium inſertos et comprehenſos, in omnibus eorundem punctis et clauſulis pro ratis et firmis ſemper et in perpetuum habituros, nec paſſuros a nobis, noſtratibus aut Regno Poloniae Magnique D. Lith. Ordinibus, ſubditis, et incolis, aliiſue vllo modo violari, ſed ea omnia et ſingula, quae per praedictos Commiſſarios tranſacta et concluſa, dictiſque pactis comprehenſa ſunt, omni meliori ac firmiori modo obſeruaturos. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, ratificationem hanc noſtram manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo Regni noſtri communiri fecimus. Datum." —

Tulit ſecum Dn. Mediator. Quum rediiſſet, ad deliberandum acceptum, retulit; loqui etiam illos iam de modo ingroſſandi Inſtrumentum Pacis. Dn. Regni Theſaurarius: Proiectum a nobis quoque Artic. ratificationis pactorum omnium partium; niſi moleſtum ſit Dn. Mediatori, eum iam perlegendum. Legitur: nihil deſiderat Dnus Mediator:

tor: ad proponendum accipit: ad alteram partem abit. Et eſt hoc noſtrum Proiectum: Pacta haec ratihabeantur a Sereniſſimo Rege Sueciae ab vna, ac Sereniſſimo Rege Poloniae eiuſque Foederatis ab altera parte. Qua de re ad modum ſequentem conuenit: Primo, vt Inſtrumentum Pacis huius manibus ac ſigillis Dnn. Commiſſariorum vtriuſque partis, vt et ſubſcriptione Illuſtriſſ. Dni Mediatoris roboretur, et inuicem tradatur. Deinde, vt Sereniſſ. Rex Poloniae idem quantocius confirmet, et antequam vllius loci fiat reſtitutio, ſuam confirmationem a praeſentibus ad latus Regis Regnique Senatoribus ſubſcriptam tradat in manus Dni Mediatoris. Tertio, vt Sereniſſ. Rex Sueciae ſollemni Inſtrumento haec pacta nomine ſuo et Regni Sueciae, per ſubſcriptionem Sereniſſ. Reginae Regentis, et Dominorum Regni Sueciae Adminiſtratorum rata habeat. Quarto, vt Lege Comitiali a Republica Delegati nomine Reipubl. haec pacta ſubſcriptione et ſigillatione ſua adprobent, et de tractanda primo quoque tempore Reipublicae ratificatione caueant. Quinto, vt Reſpubl. Polona idem Inſtrumentum in proximis Comitiis Regni Generalibus, primo quoque tempore celebrandis, ſollemniter et plenarie confirmet ac roboret, confectoque Inſtrumento ratificationis pactorum, nec non peculiari ceſſionis Liuoniae Septentrionalis diplomate, pariter ratificet. Sexto, vt Inſtrumenta haec ſollemnia, tum S. R. M. Sueciae, tum dictorum Reipubl. Delegatorum, ab vtriuſque partis Commiſſariis, vna cum ratificatione Sereniſſ. Regis Poloniae ab Illuſtriſſ. Dn. Mediatore in manus Dnn. Commiſſariorum Suecicorum, intra ſpatium duorum vel ad ſummum trium abhinc menſium, ad limites territoriales inter Elbingam et Mariaeburgum ſine vlla excuſatione reddi vtrimque et recipi debeant. Septimo, vt S. Caeſ. M. et Sereniſſ. Elector ratihabitiones ſuas itidem eodem tempore et loco tradi faciant. Octauo denique, vt dicta tum Sereniſſ. Regum, tum Reipublicae Polonae ac eius Confoederatorum Inſtrumenta ratificationum ad conuentam et praeſcriptam formulam, quoad titulaturam, ſigillationem, aliaque requiſita, nulla voce aut ſyllaba mutata, conficiantur, et reciproce commutentur. Poſt reditum Dn. Mediator refert, illos Proiectum noſtrum perlegiſſe, loquutoſque de forma, loco, tempore, non magnam difficultatem circa ingreſſum eſſe: ſecundum §phum autem minus placere.

cere. Dn. Regni Theſaurarius: Duo nos poſtulare Inſtrumenta, primum in anteceſſum, alterum ſollemne cum ſubſcriptione Senatorum a latere. Adſecurationem autem ſubſequuturi alterius exprimi debere in hoc Articulo de ratificatione omnium partium. Dn. Mediator: Commiſſionem Senatorum a latere et Deputatorum Reipublicae fieri debere proxime Varſauiae: inſertionem pactorum Volumini Legum in proxime futuris Comitiis futuram. Dn. Regni Theſaurarius: Nos eſſe contentos, vt inſeratur Conſtitutionibus et Volumini Legum in Comitiis proximis; ſed detur Sueciae actus, quod fiet et factum fuerit; exempli cauſſa, ſcribant Senatores Regni Poloniae ad Senatores Sueciae, tranſmiſſo ipſo actu factae inſertionis et aeterniſationis. Iterum abiit. Poſt reditum adtulit ratificationis omnium partium Proiectum ab altera parte. "Tractatus iſte, prout conceptus eſt, et in formam redactus, manibuſque partium ſubſcriptus, ratihabeatur tam a S. R. M. et Republica Poloniae, eiuſque Foederatis, quemadmodum et a Sereniſſ. Rege Sueciae, in eum, qui ſequitur, modum: Primo, vt Inſtrumentum huius Pacis manibus ac ſigillis Dnn. Commiſſariorum vtriuſque partis, vt et ſubſcriptione Illuſtriſſ. Dn. Mediatoris, roboretur, et inuicem tradatur. Secundo, Sereniſſ. Rex Poloniae idem Inſtrumentum quantocius particulari ratificatione confirmet. Tertio, Sereniſſ. Rex Sueciae pariter ſollemni Inſtrumento haec pacta nomine ſuo et Regni Sueciae, per ſubſcriptionem Adminiſtratorum legitimorum Regni, rata habebit. Quarto, vt Lege Comitiali An. MDCLIX. a Republica Delegati, nomine Reipublicae, haec pacta ſubſcriptione et ſigillatione ſua adprobent, nec non ceſſionis Liuoniae Septentrionalis his pactis ſuperiori Articulo expreſſae diploma conficiant, illudque vna cum ratificatione extradant. Quinto, vt Inſtrumenta haec ſollemnia ratificationis, tum vtriuſque Sereniſſ. Regis, tum dictorum Reipublicae Delegatorum, ab ambarum partium Commiſſariis, intra ſpatium trium menſium a ſubſcriptione huius Inſtrumenti Pacis computandorum, ad limites territoriales inter Elbingam et Mariaeburgum vtrimque per Illuſtriſſ. Dn. Mediatorem a partibus paciſcentibus recipiantur, et ab eodem eo ipſo tempore inter partes commutentur. Sexto, vt S. Caeſ. M. et Ser. Elector Brandeburgicus ratihabitiones ſuas itidem tempore et loco eodem tradi faciant. Septimo denique, vt dicta tum

Digitized by Google

Sereniſſ. Regum et Reipub. Polonae ac eius Foederatorum Inſtrumenta ratificationum, ad conuentam et praeſcriptam formulam, quoad titulaturam et ſigillationem aliaque requiſita, nulla voce aut ſyllaba immutata, conficiantur, et reciproce commutentur." Hoc Proiectum Dn. Mediator clara voce legit, et Suae Excellentiae Dnn. Legati noſtri auſcultabant. Vbi legiſſet vſque ad finem Dn. Mediator, reaſſumſit, dixitque duas, vti videat, eſſe tantum difficultates, nimirum circa Comitia et compoſitionem diplomatis peculiaris, quia dicant, non eſſe ſtili in aliis Tractatibus. Dn. Regni Theſaurarius allegat exempla in Germania, Electoris ſcilicet Brandeburgici, qui Pomerania renunciauit, et ſpeciale diploma dedit:* ſimiliter Regis Daniae exemplum in promtu eſſe:** et quod in Polonia non ſit alienum, demonſtrat Dn. Mediatori ex proprio illorum pacto Velauienſi, hodie ab ipſo Dn. Mediatore nobis producto, cuius verba extrahuntur, quo is remonſtrare poſſit Dnn. Polonis, quid Sereniſſimo Electori tum fuerit conceſſum. Eſtque Extractum e Pactis Polonicis, cum Electore Brandeburgico Velauiae, d. 19 Sept. An. 1657. concluſis: "Sereniſſimus Rex Poloniae ac Senatores eidem adſidentes hanc conuentionem ſollemniter ratihabebunt, ac iuramento firmabunt, promittentque in proximis Comitiis aut proximo conuentu Comitiorum poteſtatem habente, omnia, quae his concluſa ſunt, ratihabitum iri." Recepit ſe ad Dnn. Polonos et Electorales Dnus Mediator. Eo abſente Proiectum Polonicum de ratificatione partium denuo perlegitur, et notae ſequentes adnotantur: Ingreſſus, vt in Suecico. 1) Vt in Suecico. 2) Vt Sereniſſimus Rex Poloniae eadem pacta illico a ſubſcriptione et ſignatione Dnn. Commiſſariorum Polonicorum in anteceſſum, et antequam vllius loci fiat reſtitutio, diplomate ſuo confirmet, cum adſecuratione ſubſequuturae intra ſpatium duorum, vel ad ſummum trium menſium, computandorum

* De eo conuentum erat in Pace Vueſtphalica, Art. X. §. 5. vbi ſic habent verba: *Elector Brandeburgicus, ceterique omnes intereſſati, exſoluunt Ordines, Officiales et ſubditos ſingulorum ſupra dictorum locorum vinculis et ſacramentis. — Atque ita Sueciam in plena inſtaque eorum poſſeſſione conſtituunt, renunciantes omnibus in ea praetenſionibus exnunc in perpetuum: idque pro ſe ſuiſque poſteris, peculiari diplomate, hic confirmabunt.* Ipſum illud diploma legi poteſt apud GASTELIVM de ſtatu Iur. Publ. Europ. nouiſſimo, c. 19. p 601. et in LVNIGII Arch. Imp. P. Sp. p. 142. Aliud tale exemplum praeſto eſt eadem in Vueſtphalica Paci-

rum a ſubſcriptione huius Inſtrumenti Pacis, plenariae ratificationis Regiae, cum integra inſertione Inſtrumenti Pacis concluſae, et ſubſcriptione pariter Senatorum a latere Regis, ad formulam inter vtriuſque partis Commiſſarios conuentam. 3) Vt in Articulo Suecico, ſaltem pro *Regentis* ponatur *Matris.* 4) Vt lege Comitiali An. MDCLIX. a Republica Polona Delegati, nomine Reipublicae, haec pacta ſubſcriptione et ſigillatione ſua adprobent, et ceſſionis Liuoniae Septentrionalis ſuperiori Articulo expreſſae diploma conficiant, illudque vna cum ratificatione pactorum extradant, ſpondentes, Reipublicae diploma ratificationis tum pacis, tum ceſſionis Liuoniae, in Comitiis, primo quoque tempore celebrandis, in manus Dn. Mediatoris traditum iri. 5) Vt ipſius Reipublicae diploma ratificationis tum pacis, tum ceſſionis Liuoniae expediatur, et reddatur in proximis Comitiis generalibus. 6) Vt Inſtrumenta haec ſollemnia ratificationis tum vtriuſque Regis, tum dictorum Reipublicae Delegatorum, tum etiam diploma Reipublicae, ab ambarum partium Commiſſariis, intra duos vel tres ad ſummum menſes, a ſubſcriptione huius Inſtrumenti Pacis computandos, ad limites territoriales inter Elbingam et Mariaeburgum vtrimque per Illuſtriſſ. Dn. Mediatorem a partibus paciſcentibus recipiantur, et ab eodem eo ipſo tempore inter partes commutentur. 7) Vt in Polonico ſexto. 8) Vt habetur in Polonico ſeptimo. Ex hiſce notis, vti et priori noſtro et Polonico Proiectis, iam ſequens conficitur Conceptum huius Articuli, et a nobis Dno Mediatori commendatur. "Pacta haec ratihabeantur a Sereniſſ. Rege Sueciae ab vna, ac Sereniſſ. Rege Poloniae, nec non Republica Polona eiuſque Foederatis ab altera parte: qua de re ad modum ſequentem conuenit: 1) Vt Inſtrumentum Pacis huius manibus ac ſigillis Dnn. Commiſſariorum vtriuſque partis, vt et ſubſcriptione Ill. Dn. Mediatoris, roboretur, et inuicem tradatur. 2) Vt

Pacificatione. Quippe Monaſterii iam anno illius ſeculi quarto et quadrageſimo Caeſarei atque Galli Legati, inter ſe conuenerant in hanc legem: *Dictarum ceſſionum et renunciationum, quemadmodum ſupra expreſſae ſunt, Inſtrumenta in omni meliori forma tradentur cum ab Imperatore, tum ab Imperio, totaque Domo Auſtriaca, eo ipſo die, quo Pacis Tractatum obſignari contigerit.* Vid. Dni a MEIERN Acta Pac. Vueſtphal. T. III. pag. 724.

** Ex Pace Roſchildenſi: cuius Art. VI. disertis verbis memorantur *peculiariter confectae Ceſſionis litterae, S. R. M. Regnique Daniae Senatorum ſubſcriptionibus ac ſigillis confirmatae.*

Digitized by Google

Ser. Rex Poloniae eadem pacta illico a ſubſcriptione et ſignatione Dnn. Commiſſariorum Polonicorum in anteceſſum, et antequam vllius loci fiat reſtitutio, diplomate ſuo confirmet, cum adſecuratione ſubſequuturae intra ſpatium duorum, aut ad ſummum trium menſium, computandorum a ſubſcriptione huius Inſtrumenti Pacis, plenariae ratificationis Regiae cum integra inſertione Inſtrumenti Pacis concluſae, et ſubſcriptione pariter Senatorum a latere Regis, ad formulam inter vtriuſque partis Commiſſarios conuentam. 3) Vt Ser. Rex Sueciae ſollemni Inſtrumento haec pacta nomine ſuo et Regni Sueciae, per ſubſcriptionem Sereniſſ. Reginae Matris et Dnn. Regni Sueciae Adminiſtratorum, rata habeat. 4) Vt Lege Comitiali An. MDCLIX. a Republ. Polona Delegati, nomine Reipubl. haec pacta ſubſcriptione et ſigillatione adprobent, et ceſſionis Liuoniae Septentrionalis ſuperiori Articulo expreſſae diploma conficiant, illudque vna cum ratificatione pactorum extradant, ſpondentes, Reipublicae diploma ratificationis tum pacis, tum ceſſionis Liuoniae, in Comitiis, primo quoque tempore celebrandis, in manus Dni Mediatoris traditum iri. 5) Vt ipſius Reipubl. diploma ratificationis tum Pacis, tum ceſſionis Liuoniae expediatur et reddatur, in proximis Comitiis. 6) Vt Inſtrumenta haec ſollemnia ratificationis tum vtriuſque Sereniſſ. Regis, tum dictorum Reipubl. Delegatorum, tum etiam diploma Reipubl. ab ambarum partium Commiſſariis, intra duos vel tres ad ſummum menſes, a ſubſcriptione huius Inſtrumenti Pacis computandos, ad limites territoriales inter Elbingam et Mariaeburgum vtrimque per Illuſtriſſ. Dn. Mediatorem a partibus paciſcentibus recipiantur, et ab eodem eo ipſo tempore inter partes commutentur. 7) Vt S. Caeſ. M. et Sereniſſ. Elector Brandeburgicus ratihabitiones ſuas itidem tempore et loco eodem tradi faciant. Octauo denique, vt dicta Sereniſſ. Regum et Reipubl. Polonae, tum eius Foederatorum Inſtrumenta ratificationum ad conuentam et praeſcriptam formulam, quoad titulaturam et ſigillationem aliaque requiſita, nulla voce aut ſyllaba immutata, conficiantur, et reciproce commutentur.“ Porro Articulus includendorum a nobis proiicitur, ac diuerſimode mutatur, habita cum Dno Mediatore, hac de re, communicatione, qui Electorales Brandeburgicos Legatos incluſionem Dni Comitis Palatini Neoburgici non admiſſuros eſſe dixit: eos enim, vbi per Dnos Polonos

nos tale quid praetendi ab eius Celſitudinis Ablegato reſciuerint, ſtatim contradixiſſe, adiecta comminatione, quod ipſum Inſtrumentum Pacis hac ratione ſubſcribere nolint.* Tentandum nihilominus Legatio noſtra duxit, et Proiectum hic in ordine tertium, quo Duces Sleſuicenſis et Megapolitanus Guſtrouienſis quoque comprehenduntur, quodque tam Dn. Legatus Gyldenklau, quam Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius manibus ſuis conceperunt, Dn. Mediatori tandem eſt extraditum. No. 1. "Si qui Regum aut Principum, nec non Rerumpublicarum ac Statuum amicorum, hiſce pactis ex omni parte paciſcentium includi voluerint, ſit ipſis eius facultas, modo ſe ad iſta intra ſex abhinc menſes declarauerint. In ſpecie autem tam ex parte Sueciae, quam ex parte Poloniae ac Confoederatorum, includitur Celſiſſimus Dux Neoburgicus, Princeps Palatinus Rheni, nec non Celſiſſimus Dux Megapolitanus Lineae Guſtrouianae, eorumque ſucceſſores, vna cum ditionibus ac poſſeſſionibus ſuis, ita vt aduerſus omnem vim hoſtilem aut facti viam contra quoſcumque ſua eiſdem conſtet ſecuritas. Similiter etiam Celſiſſimus Dux Holſatiae Regens Lineae Gottorpianae, eiuſque ſucceſſores, cum tota illa Domo Ducali, terris ſubditiſque ſuis, comprehenditur hiſce pactis, tum ex parte Sueciae, tum ex parte Poloniae et Confoederatorum, gaudeatque ac fruatur omnimoda amneſtia huius pacis, quoad omnes articulos et clauſulas, cum omnibus, qui illius partes ſequuti ſunt, aut ſequuti eſſe inſimulantur, non ſecus ac ſi in Articulo Amneſtiae expreſſa eius eorumque mentio et incluſio ſuperius hic facta fuiſſet: ſaluis iis, quae in pace Danica pro Celſitudine eiuſdem Holſatiae Ducis vel tranſacta ac concluſa ſunt, vel tranſigi ac concludi poterunt." No. 2. "Si qui Regum, ac Principum, nec non Rerumpublicarum, ac Statuum amicorum, hiſce pactis ex omni parte paciſcentium includi voluerint, ſit ipſis eius facultas, modo ſe ad iſta intra ſex abhinc menſes declarauerint. In ſpecie autem tam ex parte Sueciae, quam ex parte Poloniae ac Confoederatorum includuntur Dnn. Duces Neoburgicus, Princeps Palatinus Rheni, et Megapolitanus Lineae Guſtrouianae, eorumque ſucceſſores, vna cum ditionibus ac poſſeſſionibus ſuis, ita vt aduerſus omnem vim hoſti-

* Conf. PASTORIVS ad h. d. p. 276. et quae ipſe ad eum locum dixi n.**

hoſtilem aut facti viam contra quoſcumque ſua eiſdem conſtet ſecuritas. Et ſi forte a quopiam inuadantur, communibus ipſi viribus defendantur. Similiter etiam Dux Holſatiae Regens Lineae Gottorpianae, eiuſque ſucceſſores, cum tota Domo Ducali, ditionibus, terris ſubditiſque ſuis, comprehenditur hiſce pactis tum ex parte Sueciae, tum ex parte Poloniae et Confoederatorum, et ſi a quopiam inuadantur, communibus viribus defendantur: gaudebuntque ac fruentur amneſtia huius pacis omnes, qui illius partes ſequuti ſunt, aut ſequuti eſſe inſimulantur, non ſecus ac ſi in Art. Amneſtiae expreſſa eius eorumque mentio ſuperius hic facta fuiſſet, ſaluis iis, quae in pace Danica pro Celſitudine eiuſdem Holſatiae Ducis, eiuſque terris, ditionibus ac ſubditis, vel tranſacta ac concluſa ſunt, vel tranſigi ac concludi poterunt.“ No. 3. “Si qui Regum, ac Principum, nec non Rerumpublicarum ac Statuum amicorum, hiſce pactis ex omni parte paciſcentium includi voluerint, ſit ipſis eius facultas, modo ſe ad iſta intra ſex abhinc menſes declarauerint. In ſpecie autem tam ex parte Sueciae, quam ex parte Poloniae ac Confoederatorum, includitur Celſiſſimus Dux Neoburgicus, Princeps Palatinus Rheni, nec non Celſiſſimus Dux Megapolitanus Lineae Guſtrouianae, eorumque ſucceſſores, vna cum ditionibus ac poſſeſſionibus ſuis, ita vt aduerſus omnem vim hoſtilem aut facti viam contra quoſcumque ſua eiſdem conſtet ſecuritas. Similiter etiam Celſiſſimus Dux Holſatiae Regens Lineae Gottorpianae, eiuſque ſucceſſores, cum tota illa Domo Ducali, et terris ſubditiſque ſuis, comprehendatur hiſce pactis, tum ex parte Sueciae, tum ex parte Poloniae et Confoederatorum: gaudeatque ac fruatur omnimoda amneſtia huius pacis, quoad omnes articulos et clauſulas, cum omnibus, qui illius partes ſequuti ſunt, aut ſequuti eſſe inſimulantur, non ſecus ac ſi in Articulo Amneſtiae expreſſa eius eorumque mentio et incluſio ſuperius hic facta fuiſſet.“

Ceterum ſubſcribitur quoque hodie Articulus Suecico-Caeſareus de captiuis, eorumque debitis et lytro, item de his, qui inuiti nomen ſuum militiae dare coacti ſunt; et ita ſonat: “Similiter tam a parte Sereniſſimi Imperatoris, quam Sereniſſ. Regis Sueciae, captiui huius belli, cuiuſcumque ſint conditionis ac ſtatus, liberi ac ſine ſoluto vllo pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum Tractatum ab ipſis conuen-

conuentum fuerit, intra ſpatium trium hebdomadarum a die ratificationis dimittentur, et libertati priſtinae, ſolutis ab Officiariis impenſis in victum eorum factis, et debitis in captiuitate ab eis contractis, reſtituentur. Et captiuis quoque adnumerandi et ab vtraque parte reſtituendi ſunt, qui inuiti ad danda alterius partis militiae nomina ſua adacti fuerunt. Quod autem de lytri conuenientis ſolutione hic ſupra dictum eſt, tantum locum habebit in maioribus Officiariis, vtpote Generalibus, Tribunis, Tribunorum locum tenentibus, et Capitaneis."

Acta haec ſunt ab hodierno matutino vſque ad veſperam, vbi audita hora ſeptima reuerſi quilibet ſumus ad ſtationes ſuas, continuando cras congreſſu, horis et loco ſolitis.

Actum Oliuae d. $\frac{20}{10}$ April. horis ab VIII matutina vſque ad X veſpertinam.

Primus hodie labor fuit poſcere a Dnis Brandeburgicis, vt ſubſcriberent Articulum ſuum de reſtitutione locorum, nudius tertius a nobis ſubſcriptum, vbi illi iam in §pho, Vollinum vero etc. pro verbis, *praememoratae permutationis*, quae in Caeſarianorum Articulo exſtant, poni volunt, et mordicus quidem ſuae ſententiae inhaerentes, verba *praememoratae reſtitutionis.* Tandem per maiora conceditur a noſtris Dnis Plenipotentiariis, vt retineatur vox *reſtitutionis*, pro *permutationis:* non ſe conformante Dno Legato Gyldenklau, qui volebat *permutationis*, aut vt addatur, *Poloniae.* Subſcripſerant itaque Electorales. Deinde quum Poloni reddidiſſent Amneſtiae punctum, vt pauca mutarentur in gratiam Principis Radziuilii; tentare voluerunt noſtri Dni Legati, an poſſint aliquid in gratiam a religione Diſſidentium inſerere, et monere primum voluerunt, vt renouato huic puncto §pho 2. verbis, *ſecundum Leges Regni*, adponatur: *pro pace Diſſidentium.* Sed quum verendum eſſet, ne nouae mouerentur controuerſiae, et forte anſa daretur aduerſae parti credendi, quod retractare velimus, quae concluſa ſint; iuſſum eſt intermitti, et tantum ingroſſari, ſicut erat quoad verba, *Fiſco adiudicata* etc. mutatum. Nempe prius ſubſcriptum et commutatum puncti amneſtiae generalis exemplar ita habuit: "Bona vero immobilia Fiſco adiudicata, tum quorum donationes et largitiones priuatis factae ſunt, ſiue iam ante tradita, ſiue nondum tradita ſint,

maneant." — In poſteriori vero iam ſonat taliter haec periodus: "Bona vero immobilia hereditaria, aduitalitia, et iure hypothecae poſſeſſa, Fiſco adplicata, tum quorum donationes et largitiones factae ſunt, ſiue iam ante tradita, ſiue nondum tradita ſunt, maneant." — Igitur ad alios Articulos progreſſi ſunt, et primum perlectum ratificationum Proiectum fuit. Hic iterum Dno Mediatori remonſtratur, quod firma opus ſit nobis adſecuratione, quum quaelibet Comitia apud Polonos mutare poſſint, quae ante concluſerint ipſa. Dn. Mediator: Verum eſſe, quod Reſpublica, quum quilibet ſit moderator rerum ſuarum, immutare poſſit, etiamſi ſemel concluſa in legem aliquam abiiſſent, ſi videlicet ſtatum ſuum ſolum concernant; ſed quae inter Rempublicam et alia Regna conuenta ſint, in ea reuocabilitatem non cadere, ſiquidem non legum tantum vim obtineant, ſed contractus ſint, qui non poſſint abſque partis vtriuſque conſenſu reſcindi. Percurruntur, quae hactenus pertractata et concluſa ſint, quaeque adhuc reſtent; atque inueniuntur adhuc pertractanda, complananda atque vrgenda eſſe, quae Polonos concernunt, defluitationem per Viſtulam et fluuium Nagot, deductionem militum, ſatisfactionem Comitum a Dohna et Dn. Baronis a Gyldenſtiern, Ducis Croyae debitum, Praeſidii Straſburgici intercepti reſtitutionem plenariam, ratificationum formulas tam Regis, quam Reipublicae, ratificationem euentualem ſeu prouiſionalem Regis Poloniae, extenſionem Articulorum renunciationis in Sueciam ac ceſſionis Liuoniae, diploma dictae ceſſionis. Cum Imperatoris Legatis complananda adhuc ſub manu eſt ratificationis formula Caeſarea. Cum Electoralibus Legatis, dum Articulum reſtitutionis locorum, cuius hic ſupra facta eſt mentio, modo ſubſcripſerint, componenda ſunt, Dni Campi Marſchalli Comitis a Koenigſmark deſiderium, quoad bona ſua ſub Ser. Electore Brandeburgico poſſeſſa; Filii eius eliberatio; Dni Comitis a Vittenberg eiuſque heredum Hypotheca praefecturae Belgardenſis; amneſtia ſpecialis pro Dn. Duce Croyano, quam eius mandatarius maxime vrget; amneſtia ſpecialis pro his, qui ex ſubditis et Vaſallis Electoralibus militiam et partes Sueciae ſequuti ſunt; ratificationis Electoris formula. Generalia occurrunt, Principis Rakocii et Coſſacorum, ſiue militiae Zoporouianae, incluſio; Principum exterorum, qui volent, incluſio; inuitatio ad guarantiam Regis Galliae; Arti-

Digitized by Google

Articulus de Paſquillis et ſcriptis famoſis; Introitus Inſtrumenti Pacis; Reuerſales Ducis Holſatiae; ceſſatio hoſtilitatis, a nobis ſubſcripta nudius tertius; ratificationis ordo; a nunc armiſtitium; res Danica; exauctoratio militis omnium partium.

Aduenit Ablegatus Neoburgicus, et, quod Rex Poloniae heri promiſerit incluſionem Principis ſui, adſerit, rogatque tum Legationem Suecicam, tum Dn. Mediatorem, vt id fiat, ſiquidem Legatio Suecica quoque iam promiſerit, et Proiecto Articuli ſui includendorum inſeruerit; poſtulans praeterea cauſſas, cur Dnn. Electorales ſuum Principem includere recuſent? Quum in omnibus Tractatibus vſitata ſint talia; non credit dictos Dnn. Commiſſarios Regibus leges daturos. Petit Atteſtatum, quod Suecia voluerit eam, et Brandeburgici contradixerint incluſioni. Dnn. Legati Suecici, praeſente ipſo, Dn. Mediatori rem adhuc commendant: et Dn. Mediator in ſe recipit, eam vrgere velle. Tempus antemeridianum totum de rebus ſupra memoratis diſcurrendo, exſpectando, nihil concludendo inſumtum eſt. Poſt prandium, quod Oliuae habebatur breue, Dn. Mediator adtulit poſtulata propoſita partis alterius, quoad Regem Daniae, eiuſque incluſionem:* eratque Polonorum propoſitio de illo negotio, ſi pax fieret cum Dania intra tres menſes, talis: "Quum vero ad ſtabilitatem huius pacis ſumme referat, vt vniuerſaliter componatur, et inter omnes belli huius ſocios ſecuritati commerciorum plene proſpiciatur: ideo, licet controuerſiae, quae Sereniſſ. Regi Daniae cum Sereniſſ. Rege Regnoque Sueciae intercedunt, hic commode decidi non potuerint, et alibi de facto cum ſpe ſucceſſus tractentur, nihilominus conuentum eſt, vt Sereniſſ. Daniae et Noruegiae Rex, et eius Regna ac ditiones in hac pace comprehendantur, et ea omnia, quae quocumque tandem loco, ante extraditas et commutatas Tractatus moderni ratificationes, (quae in gratiam pacis Sueco-Danicae ad tres menſes reiiciuntur,) inter praedictos Sereniſſimos Daniae et Sueciae Reges concluſa et conſtituta fuerint, vel iam de facto ſint, ad hanc pacem et guarantiam, pariter ac ſi in hoc Inſtrumento ſpecifice inſerta forent, pertinere cenſeantur, et de facto pertineant." Imperatoriae et Electoralis autem Legationum propoſitio de non ceſſandis armis eorumdem in Regnis et Prouinciis Danicis,

 ante

* Conf. PASTORIVS ad h. d.

ante concluſam et ratificatam cum illo Rege pacem, ſed potius illi ferendis auxiliis, eiuſmodi fuit: "Interea vero, donec pax Danica concluſa et ratihabita fuerit, licitum erit S. Caeſ. M. et Sereniſſ. Electori Brandeburgico, illaeſa hac praeſente pace, Sereniſſ. Regi et Regno Daniae in Regnis tantum et Prouinciis praememorati Regis auxilia ferre." Quae quum eſſent multae conſiderationis, tempus deliberandi ſumſerunt Dnn. Plenipotentiarii noſtri. Et Dn. Mediator ſeceſſit. Quaeritur, an Rex Daniae non includendus ſit ex poſtulato Polonico, ſi intra tempus ratificationis huius pacis Polonicae concludatur pax Sueco-Danica? Diſcutitur haec quaeſtio a Suis Excellentiis quam diligentiſſime: et tandem conceditur, ſi pax Danica fiat intra tempus oblatae incluſionis aliarum Poteſtatum, excludi eum non poſſe; ad guarantiam autem extendere, non eſſe neceſſum. Et quia illi poſtulent Regem Daniae includi huic paci, qui hoſtis ſit, cur nos non poſſimus loqui pro Principe Rakocio, Foederato noſtro, qui pacem iam ante cum Polonia inierit? Quoad alterum, declarandum eſſe Dno Mediatori, quod Legatio Suecica ſcire poſtulet, an Legatio Polonica hoc Foederatorum propoſitum, contra conuentos et ſubſcriptos Articulos, *Sit pax vniuerſalis* etc. 36. *Sit itidem pax* etc. 37. *Ceſſent omnes hoſtilitatis actus.* 38. *Et eadem ſimiliter pax* etc. expreſſe pugnans, adprobet, et eorum ſententiae adhaereat. Quod ſi ſit, ſe reuocare mandata velle, quae Ducem Curlandiae, et euacuationem Mariaeburgi concernentia data ſint. Dum haec Danica deliberantur, binis aut tribus vicibus rediit Dn. Mediator, et tandem adfert reſolutionem Dnn. Polonorum, quod Rex velit ſubſcribere ratificationem potius cum ſuis, qui hic ſunt, Senatoribus, et in manibus Mediatoris relinquere, quam ſubſcribere ſolus, et nobis extradere. Deliberatur: et noſtra Legatio vrget extraditionem in manus noſtras. Opponitur, quod S. R. M. Sueciae ratificatio non adſit; itaque nec Regem Poloniae ad extradendum nobis ratificationis diploma adſtringi poſſe. In ſuſpenſo haec relinquitur quaeſtio, et Dno Mediatori declarantur, quae de negotio Danico reſpondenda modo ſupra reſoluerunt. Dn. Mediator referet quidem, ſed petit declarationem in ſchedula. Datur igitur ipſi talis reſolutio in charta concepta: "Sereniſſ. Daniae Noruegiaeque Rex huic paci includetur, ſi pacem cum Sereniſſ. Rege Regnoque Sueciae, ante extraditas

Digitized by Google

ditas et commutatas hic Tractatus moderni ratificationes, inierit ac concluſerit." Seceſſit, et ſecum tulit hanc chartam Dn. Mediator, atque rediens poſt aliquod ſpatium tale refert Proiectum: "Quum vero ad ſtabilitatem huius pacis ſumme referat, vt vniuerſaliter componatur, et inter omnes belli huius ſocios ſecuritati commerciorum plene proſpiciatur: ideo, licet controuerſiae, quae Sereniſſ. Regi Daniae cum Sereniſſ. Rege Regnoque Sueciae intercedunt, hic commode decidi non potuerint, et alibi de facto cum ſpe ſucceſſus tractentur, nihilominus conuentum eſt, vt Sereniſſ. Daniae et Noruegiae Rex, et eius Regna ac ditiones, in hac pace comprehendantur, et ea omnia, quae quocumque tandem loco, ante extraditas et commutatas Tractatus moderni ratificationes, (quae in gratiam pacis Sueco-Danicae ad tres menſes reiiciuntur,) inter praedictos Seren. Daniae et Sueciae Reges concluſa et conſtituta fuerint, vel iam de facto ſint, ad hanc pacem et guarantiam, pariter ac ſi in hoc Inſtrumento ſpecifice inſerta forent, pertinere cenſeantur, et de facto pertineant. Interea vero Sereniſſ. Rex Sueciae in prouinciis Sereniſſ. Daniae Regis mediterraneis, Holſatia et Iutlandia, ab omnibus hoſtilitatibus abſtinebit." Regni Theſaurarius: Ad monſtrandum Polonis aequitatem noſtram hoc modo nos in hac re conſenſuros: concipiturque facta deliberatione et reuiſione Articulus a nobis iſtiuſmodi: "Quum vero ad ſtabilitatem huius pacis plurimum interſit, vt vniuerſaliter componatur, et inter omnes belli huius ſocios ſecuritati commerciorum plene proſpiciatur: ideo, licet controuerſiae, quae Sereniſſ. Regi Regnoque Sueciae cum Sereniſſ. Rege Daniae intercedunt, hic commode decidi non potuerint, et in ipſa Dania cum ſpe ſucceſſus tractentur, nihilominus conuentum eſt, vt Sereniſſ. Daniae et Noruegiae Rex, eiuſque Regna ac ditiones, in hac pace comprehendantur, ſi intra tres a ſubſcripta hic pace menſes pax quoque in Dania concluſa fuerit, ita, vt ea omnia, quae ante extraditas et commutatas huius moderni Tractatus ratificationes, (quae vel in gratiam pacis Sueo-Danicae ad tres menſes a die ſubſcriptionis horum pactorum computandos prorogantur,) inter praedictos Sueciae et Daniae Reges concluſa et conſtituta fuerint, ad hanc pacem pariter, ac ſi in hoc Inſtumento ſpecifice inſerta forent, pertinere cenſeantur: ſaluo per omnia ipſo Tractatu in Dania, inter vtroſque

que Reges et Regna concluſo vel concludendo. Interea vero S. R. M. Sueciae in prouinciis Sereniſſ. Regis Daniae mediterraneis, vtpote Holſatia et Iuthia, ab omnibus hoſtilitatibus abſtinebit, et viciſſim S. R. M. Daniae nullam hoſtilitatem prouinciis Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae in Germania ſitis, aut Holſatiae Ducali, ac Sleſuicenſi Ducatui inferet.“ Antequam conciperetur hoc modo hic Articulus, Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius, et Dn. Legatus Gyldenklau haſce notas in charta proiecerunt: ex quibus, quum perlectae collegialiter adprobarentur, proxime praecedens Conceptum inde conflatur. Sunt iſtae. *Quae Sereniſſ. Regi Daniae cum Sereniſſ. Rege Regnoque Sueciae:* tranſponatur. *Et alibi:* ponatur, *et in ipſa Dania. De facto:* deleatur. *Hac pace comprehendantur*: addatur, *ſi inter tres menſes pax in Dania concluſa fuerit. Reiicitur:* ponatur, *prorogatur. Quae*, addatur *vel. Et guarantiam:* deleatur. *Abſtinebit*, et viciſſim S. R. Daniae ab omni hoſtilitate erga prouincias Regis Regnique Sueciae in Germania ſitas, vt et erga Duçatum.— Inter praedictos Sereniſſ. Sueciae et Daniae Reges vel concluſa et conſtituta fuerint, vel intra tres praedictos menſes concludentur ac conſtituentur, ad hanc pacem pariter ac ſi in hoc Inſtrumento ſpecifice inſerta forent, pertinere cenſeantur: ſaluo peromnia ipſo Tractatu in Dania inter vtroſque Reges et Regna concluſo vel concludendo. Traditur Dno Mediatori hoc Conceptum, ac ſimul ſeorſiuus Articulus de includendo Principe Rakocio. “Comprehendatur etiam hac pace Celſiſſimus Princeps Tranſiluaniae Dn. Rakocius vna cum ſuis prouinciis, ditionibus, terris, ſubditis et incolis, ita vt nulla illi illiſue vis aut hoſtilitas ex cauſſa huius belli in poſterum inferatur, ſed gaudeant ac fruantur amneſtia hac generali, non ſecus ac ſi illi per expreſſum incluſi fuiſſent.“ Accipit ille ad proponendum alteri parti, ad quam abiit, ſed valde diſſuaſit a parte Suecica vrgeri Rakocianam incluſionem, additis, quas in ſuperioribus conferentiis allegauit, rationibus: promiſit tamen diligentiam. Paullo poſt rediit, et de Rakocio nihil reſponderi dixit; de reliquis iam conſultationem eſſe. Dantur ipſi notae noſtrae ad ingreſſum Inſtrumenti Pacis a Polonis proiecti, et cum noſtro Concepto collati, vt inde tertium conficiatur. *In nomine S. Sanctae et Indiuiduae Trinitatis.* Lin. 1. pro *quomodo* ponatur, *quomodolibet.* Lin. 3. *Sueciae et Poloniae.* Lin. 6. inſe-

inſeratur e Suecico Conceptu, Regis Sueciae titulus cum etceteratio-nibus. Lin. 12. inſeratur Imperatoris titulus e Conceptu Suecico, cum etceterationibus: et deleantur illa verba, *vi antiquorum pactorum auxilia ferentem; nec non* (etiam *et* excludatur) Sereniſſimum. Lin. 17. *Poloniam*, ponatur autem *Regem Regnumque Sueciae ab vna* — et lin. 18. *Sueciam*, ponatur *Regem Remquepublicam Polonam et eius Confoederatos ab altera parte.* Lin. 19. *Principis Dni Dni L.* ponatur *Principis ac Dni, Dni L. Dn. de Herbinghen, Loos et la Cleye, Regiique Ordinis Equitem,*— — Lin. 23. pro *Poloniae et Sueciae*, ponatur *Sueciae et Poloniae, nec non* — Lin. 25. *Dies* $\frac{3}{13}$ *menſis Ianuarii, Anni 1660.* Lin. 26. *Plenipotentiariorum Oliuae inſtituendo.* Excludatur ergo, *Dantiſci et Soppothi primum, ac tandem.* Lin. 39. inſerantur tituli Commiſſariorum Suecicorum: a parte quidem Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae, Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dnn. Dnus Magnus Gabriel: — et reliquorum e conceptu Suecico. A parte vero Sereniſſ. Regis Reiquepubl. Poloniae, Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dnn. Dn. Ioannes Comes a Lezno: — et reliquorum e Conceptu Suecico. Et a parte Foederatorum Poloniae, videlicet Sereniſſ. Imperatoris Romanorum, Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dnn. Dn. Franciſcus de Liſola: — vt in Suecico Conceptu. Et Sereniſſ. Electoris Brandeburgici, Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dnn. Dn. Ioannes ab Houerbeck, — et reliquorum e Conceptu Suecico. *Poſt inuocatum Diuini Numinis* — Lin. 40. *decurſu praememoratum Sereniſſ. Regem Sueciae fatis.* Lin. 42. Principe ac Dno, Dno Carolo, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rege, et Principe Hereditario, Magno Principe Finlandiae etc. etc. etc. Plenipotentiarum — Poſt longum temporis ſpatium iterum adfert Dn. Mediator notas ad Proiectum fiendi introitus Inſtrumenti Pacis, quae conſentiuntur, praeter pauca, velut ex ſubiecto hic, quod ex noſtro et Polonorum Proiectis confectum eſt, Concepto adparet:

In Nomine Sacro-Sanctae et Indiuiduae Trinitatis.

"Notum ſit vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt aut quomodolibet intereſſe poteſt, poſtquam a multis annis bella diſſidiaque* - - - conſenſerunt et conuenerunt, tenore ſequenti."

Arti-

* In exemplo huius Diarii. mecum communicato, totus ille Introitus adſcriptus erat. Quem paucis mutatis dein praemiſſum Pacis Formulae, hic amputauimus.

Articulum de reſtitutione locorum in Pruſſia et Curlandia, iam ante $\frac{2}{12}$ Aprilis ſub No. 4 ſubſcriptum, ita inſeri volunt Inſtrumento Pacis Dn. Poloni: "Sereniſſ. Rex Regnumque Succiae reſtituit Sereniſſ. Regi Reipublicaeque Poloniae Mariaeburgum Elbingamque cum ſuis fortalitiis, reliquaque in Pruſſia loca, quae Suecicis praeſidiis tenentur. Ac Mariaeburgum quidem vna cum arce et fortalitiis ſuis, vt et Stuma, intra octiduum a ſubſcriptione moderni Tractatus euacuabitur, et praeſidium Suecicum inde Elbingam deducetur. Elbinga autem cum ſuis fortalitiis, vbi Tractatus modernus per Deputatos Comitialis auctoritatis in futura Conuentione ratificatus fuerit, circa ipſam ratificationum commutationem ſine contradictione euacuabitur, et in manus Sereniſſ. Poloniae Regis eiuſque Commiſſariorum tradetur. Bauſcum etiam, vti et reliqua, ſi quae ſunt in Suecorum poteſtate, loca in Curlandia praeſidiis Suecicis euacuabuntur intra octiduum, poſtquam notitia ad Generalem exercituum in Liuonia, vel in abſentia eius, ad eius Locumtenentem, peruenerit de ſubſcripto Tractatu, quae notitia per tubicines vtriuſque partis coniunctim Rigam deferetur." Sed ita mutatur idem Conceptum a nobis, non autem hodie ſubſcribitur: "Sereniſſ. Rex Regnumque Succiae reſtituit Sereniſſ. Regi Reiquepublicae Poloniae Mariaeburgum Elbingamque cum ſuis fortalitiis, reliquaque in Pruſſia loca, quae Suecicis praeſidiis tenentur. Ac Mariaeburgum quidem vna cum arce ac ſuis fortalitiis, vt et Stuma, intra octiduum a ſubſcriptione moderni Tractatus, et reddita Ser. Regis Poloniae prouiſionali horum pactorum ratificatione euacuabitur, et praeſidium Suecicum inde Elbingam deducetur. Elbinga autem cum ſuis fortalitiis, vbi Tractatus modernus plenaria Sereniſſ. Regis Poloniae ratificatione confirmatus, et per Reipubl. Comitiali auctoritate Delegatos in futuro Conuentu ratificatus fuerit, quatriduo poſt ipſam ratificationum commutationem ſine contradictione euacuabitur, et in manus Ser. Poloniae Regis eiuſque Commiſſariorum tradetur. Bauſcum etiam, vti et reliqua, ſi quae ſint in Suecorum poteſtate, loca in Curlandia praeſidiis Suecicis euacuabuntur intra octiduum, poſtquam notitia ad Generalem exercituum in Liuonia, vel in abſentia eius ad eius Locumtenentem, peruenerit de ſubſcripto Tractatu, quae notitia per tubicines vtriuſque partis coniunctim Rigam deferetur." Commendant Suae Excellentiae Dno Media-

Mediatori poſtulatum noſtrum de diplomate ceſſionis Liuoniae, (nam per ſpeciale diploma renunciationem praetenſi iuris in Sueciam iam pridem Rex abnuerat, et valde durum dixerat ipſa Mediatio Gallica,) item vt vrgeat, quo in Comitiis Regni Generalibus ratificatio fiat a Republica. Dn. Mediator reuerſus, diploma ſpeciale ceſſionis eſſe inutile, Dnn. Polonos dixiſſe refert, et contra exempla omnium aliarum gentium, praeter Daniae et Electoris Brandeburgici nupera exempla. Allegat in contrarium Holſatiam, Belgium, Roſſilionem; etc. certaſſe heri multum Dnn. Cancellarios; alterum voluiſſe poſſe dari, alterum non poſſe. Quoad ratificationem, periculum eſſe, ſi in Comitiis res demum vrgeatur; multas difficultates futuras; Regem ideo voluiſſe deputari certos Commiſſarios, qui nomine Reipublicae ratihabeant, quo omnis difficultas euitetur. Dnn. Plenipotentiarii noſtri, verentes, ne in Comitiis per Auſtriacos res intricetur nouis difficultatibus, ſilentio inuoluunt poſtulatum ſuum, hactenus ſummo zelo vrſum, de ratificatione in Comitiis; ſed tamen acceptant, quod Senatores Regni Poloniae velint notificare Senatoribus Regni Sueciae, factam eſſe inſertionem in Comitiis Volumini Legum et Conſtiſtitutionum Regni; et de iis conficietur ſeparatus Articulus a Dnis Commiſſariis Polonicis huius Tractatus. De diplomate ſpeciali, craſtina die, adhuc loquuturi ſunt, quamuis ipſi Dnn. Legati noſtri credant, ſuperfluum nec neceſſarium eſſe, et tantum obſeruatum huc vſque in Succia, licet non ſemper. Tandem tamen reſolutum eſt, et hoc ſilentio iam praeterire, quo omnis Auſtriacis remorandi pacem occaſio et facultas auferatur. Intermixta ſunt publicis priuata, nempe Dnn. Comitum Koenigſmarkiorum, de Dohna, et Vittenberg deſideria, vbi quoad hypothecam Belgardenſem eiuſmodi concipitur Articulus, et Dn. Mediatori traditur: "Hypotheca Belgardenſis in Orientali Pomerania, defuncti Dn. Comitis Vittenbergii heredibus cum fructibus perceptis et percipiendis reſtituatur, ipſiſque et eorum miniſtris ſpoliatis ſatisfiat, ac deinde iure ſuo praedicti Comites, vſque ad ſolutam in obligatione Electorali comprehenſam ſummam, in effectu plenarie ſine vlla perturbatione gaudeant." Inter alia hodie maxime diſputatum eſt Conceptum Articuli de modo ratificandi, quod eiuſmodi proiecerant Dnn. Poloni et Confoederati eorum: "Pacta haec

Digitized by Google

ratihabeantur a Sereniſſ. Rege Poloniae, nec non Republica Polona, eiuſque Foederatis ab vna, et a Sereniſſ. Rege Sueciae ab altera parte: qua de re ad modum ſequentem conuenit. 1) Inſtrumentum huius Pacis manibus ac ſigillis Dnn. Commiſſariorum vtriuſque partis, tum et Excellentiſſimi Dn. Legati Mediatoris ſubſcribatur, et inuicem tradatur et commutetur. 2) Sereniſſ. Rex Poloniae eadem pacta illico a ſubſcriptione et ſignatione Dnn. Commiſſariorum Polonicorum diplomate ratificationis in forma legitima confirmet, atque exnunc adſecurationem ſuam interponat, ſubſequuturam intra ſpatium ad ſummum trium menſium, computandorum a ſubſcriptione huius Inſtrumenti Pacis, plenariam eiuſdem Regiae Maieſtatis ratificationem cum integra inſertione Inſtrumenti Pacis concluſae, ad formulam inter vtriuſque partis Commiſſarios conuentam. 3) Sereniſſ. Rex Sueciae ſollemni Inſtrumento haec pacta nomine ſuo et Regni Sueciae, per ſubſcriptionem Sereniſſimae Reginae Matris Suae, et Dnn. Regni Sueciae Adminiſtratorum, in forma legitima rata habeat. 4) Dnn. Delegati a Republica Polona, Lege Comitiali An. 1659. deputati, nomine Reipubl. haec pacta ſubſcriptione et ſigillatione ſua adprobent in futura Conuocatione, ante tres menſes celebranda. 5) Diplomata ratificationis tam S. R. M. Poloniae, quam Deputatorum Comitiali Lege delegatorum, in proximis Comitiis Conſtitutionibus et Volumini legum Polonicarum inſerantur. 6) Inſtrumenta haec ſollemnia ratificationis tum vtriuſque Sereniſſ. Regis, tum dictorum Reipubl. Delegatorum, ab ambarum partium Commiſſariis, intra ſpatium trium menſium a ſubſcriptione huius Inſtrumenti Pacis computandorum, ad limites territoriales inter Elbingam et Mariaeburgum vtrinque per Excellentiſſimum Dn. Mediatorem a partibus paciſcentibus recipiantur, et ab eodem eo ipſo tempore inter partes commutentur. 7) Vt S. Caeſ. M. et Sereniſſ. Elector Brandeburgicus ratihabitiones ſuas itidem tempore et loco eodem tradi faciant. Octauo denique, vt dicta Sereniſſ. Regum, et Reipublicae Polonae ac eius Foederatorum Inſtrumenta ratificationum ad conuentam et praeſcriptam formulam, quoad titulaturam et ſigillationem aliaque requiſita, nulla voce aut ſyllaba immutata, conficiantur, et reciproce commutentur.“ Ad hoc Proiectum Polonicum ratificationum noſtra Legatio haec notauit: §. 1. Vt iacet. 2) Pro *forma legitima*, ponatur:

tur: *forma conuenta confirmet, et Dnn. Commiſſariis Suecicis extradat, atque exnunc* etc. 3) Pro *in forma legitima*, ponatur: *forma conuenta.* 4) Vt iacet. 5) In fine adiiciatur: *idque finitis Comitiis Senatores Regni Poloniae, per litteras Senatoribus Regni Sueciae ſignificent.* 6) Pro *intra ſpatium trium*, ponatur: *intra ſpatium ad ſummum trium menſium.* 7) Vt iacet. 8) Pro *ac eius Foederatorum*, ponatur: *tum eius Foederatorum.*

Vbi per totum ferme diem diſceptatum ſuper verbis: "Atque exnunc adſecurationem ſuam interponat, ſubſequuturam intra ſpatium „ad ſummum trium menſium, computandorum a ſubſcriptione huius „Inſtrumenti Pacis, plenariam Eiuſdem R. M. ratificationem cum integra inſertione Inſtrumenti Pacis concluſae, ad formulam inter vtriuſque partis Commiſſarios conuentam:" quae Poloni deleuerant: tandem admiſſis iis, hic Articulus hoc modo ſubſcribitur. "Pacta haec ratihabeantur a Sereniſſ. Rege Poloniae, nec non Republica Polona, eiuſque Foederatis ab vna, et a Sereniſſ. Rege Sueciae ab altera parte: qua de re ad modum ſequentem conuenit. 1) Inſtrumentum huius Pacis manibus ac ſigillis Dnn. Commiſſariorum vtriuſque partis, tum et Excellent. Dni Legati Mediatoris, ſubſcribatur, et inuicem tradatur et commutetur. 2) Sereniſſ. Rex Poloniae eadem pacta illico a ſubſcriptione et ſignatione Dnn. Commiſſariorum Polonicorum diplomate ratificationis confirmet, et exnunc adſecurationem ſuam interponat, ſubſequuturam intra ſpatium ad ſummum trium menſium, computandorum a ſubſcriptione huius Inſtrumenti Pacis, plenariam Eiuſdem R. M. ratificationem cum integra inſertione Inſtrumenti Pacis concluſae, ad formulam inter vtriuſque partis Commiſſarios conuentam. 3) Sereniſſ. Rex Sueciae ſollemni Inſtrumento haec pacta, nomine ſuo et Regni Sueciae, per ſubſcriptionem Sereniſſimae Reginae Matris Suae et Dnn. Regni Sueciae Adminiſtratorum, in forma conuenta rata habeat. 4) Dnn. Delegati a Republica Polona, Lege Comitiali An. 1659. deputati, nomine Reipublicae haec pacta ſubſcriptione et ſigillatione ſua adprobent in futura Conuocatione, intra tres menſes celebranda. 5) Diploma ratificationis tam S. R. M. Poloniae, quam Deputatorum Comitiali Lege delegatorum, in proximis Comitiis, Conſtitutionibus et Volumini Legum Polonicarum inſerantur. 6) Inſtrumenta haec ſollemnia ratificationis, tum vtriuſque Sereniſſ. Regis, tum dictorum Reipublicae

Digitized by Google

Delegatorum, ab ambarum partium Commiſſariis intra ſpatium ad ſummum trium menſium, a ſubſcriptione huius Inſtrumenti Pacis computandorum, ad limites territoriales inter Elbingam et Mariaeburgum vtrimque per Excellentiſſimum Dn. Mediatorem a partibus paciſcentibus recipiantur, et ab eodem, eo ipſo tempore, inter partes commutentur. 7) Vt S. Caeſ. M. et Sereniſſ. Elector Brandeburgicus ratihabitiones ſuas itidem, tempore et loco eodem, tradi faciant. Octauo denique, vt dicta Sereniſſ. Regum et Reipublicae Polonae ac eius Foederatorum Inſtrumenta ratificationum ad conuentam et praeſcriptam formulam, quoad titulaturam et ſigillationem aliaque requiſita, nulla voce aut ſyllaba immutata, conficiantur, et reciproce commutentur.“ Itidem ſubſcriptus eſt Articulus ad guarantiam inuitatorius Galliae Regis, aliorumque Principum ac Poteſtatum, tenoris ſequentis: “Quum autem pro maiori ſecuritate huius Pacificationis, tam Sereniſſ. et Potentiſſ. Rex et Reſpublica Poloniae, quam Sereniſſ. ac Potentiſſimus Rex Sueciae, vt et Sereniſſ. Elector Brandeburgicus poſtularint, vt Sereniſſ. ac Potentiſſ. Princeps ac Dn. Dn. Ludouicus XIV. Galliarum et Nauarrae Rex Chriſtianiſſimus, cuius ope ac ſtudio inter praememoratos Sereniſſ. Reges et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum pax promota et mediatione ad optatum finem perducta eſt, exequutionis et obſeruationis illius inter eoſdem fideiuſſor exiſteret: Sac. Maieſtas Chriſtianiſſima poſtulationibus ac votis illorum adnuens, eodemque animo Pacis huius perpetuitatem exoptans, quo eam procurauit, pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis, Regibus Galliae, ſpondet et promittit, idque per Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dn. Antonium de Lumbres, Legatum ſuum, plenariis mandatis ad hanc guarantiam cauendam inſtructum, ſe exequutionem horum pactorum, eorumque obſeruationem ac perpetuitatem, inter eoſdem ſupra nominatos Principes omni meliori, quo fieri poteſt, modo, etiam armis, vbi amicabilia media non proceſſerint, adſerturum, et, ſi quis eorum ſub hac fideiuſſione comprehenſorum illa violarit, arma vireſque ſuas parti laeſae ad eius requiſitionem iuncturum. Quod vt firmius omnibus conſtet, promittit dictus Dn. Legatus Gallicus, ſe ratificationem Regis ſui ſuper hanc guarantiam eodem tempore, quo ratihabitiones Pacis commutabuntur, extraditurum. Integrum quoque erit paciſcentibus omnibus, eamdem Chriſtianiſſimi

Regis

Digitized by Google

Regis guarantiam et fideiuſſionem ſuſcipere, et alios quoque in tempore ratihabitionis ad idem officii genus inuitare et denominare Principes ac Poteſtates.“ Audiebatur decima veſpertina, et diſceſſum eſt, continuabiturque craſtina die Tractatus.

Actum Oliuae d. $\frac{1 \text{ Maii}}{21 \text{ April.}}$ horis ab VIII matutina vſque ad XI noctis.

Quum heri reſeruaſſent ſibi Dnn. Legati noſtri, quod adhuc hodie declarationem Polonicam ſuper diplomate ſpeciali ceſſionis Liuoniae vrſuri ſint, ideo Suae Excellentiae praeſens Conceptum, quod aliquot ante dies proiectum, ſed hucuſque diuerſimode reuiſum atque plenarie elaboratum fuit, Dn. Mediatori tradunt, rogantes, quo ille adhuc ſerio id poſtulatum apud Dnos Legatos Polonicos vrgere ne deſiſtat. Eſtque hoc Conceptum: “Nos Status et Ordines Regni Poloniae, Magnique D. Lithuaniae, notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, praeſentibus et futuris temporibus, quod quum in nuperis tractatibus pacis perpetuae inter Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principem ac Dn. Dn. Ioannem Caſimirum, Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae etc. etc. etc. Dominum noſtrum Clementiſſimum, ac Rempubl. Polonam ab vna, et Sereniſſ. atque Potentiſſ. Principem ac Dn. Dn. Carolum, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiae etc. etc. etc. Regnumque Sueciae ab altera parte, Oliuae d. — April. vertentis anni concluſae, per conuentionem inter vtriuſque Regum et Regnorum Plenipotentiarios Legatos ac Commiſſarios, S. R. M. et Reſp. Poloniae ceſſerit Sereniſſimo Regi Regnoque Sueciae pleno iure et in perpetuum eam Liuoniam omnem, quam trans Dunam, vt et partes nonnullas cis Dunam ſitas, et Runam in mari, Suecia hactenus et per tempus induciarum vna cum Eſthonia et Oſilia tenuit ac poſſedit; idcirco quum S. R. M. Dno noſtro, amore pacis inter haec duo inclita Regna Poloniae et Sueciae ſtabiliendae, placuerit, eam ceſſionem omni meliori modo ratam habere: Nos quoque in Generalibus hiſce Regni Comitiis congregati, deliberato atque vnanimi conſilio et liberis ſuffragiis dictam ceſſionem, a S. R. M. noſtriſque Commiſſariis vi poteſtatis conceſſae factam, ratihabuimus

Digitized by Google

et confirmauimus, prouti vigore quoque praeſentis diplomatis eandem totius Reipubl. Polonae nomine ratihabemus et confirmamus, et Liuoniam Septentrionalem, quam vna cum partibus Ciſdunanis Ser. Reges Regnumque Sueciae hactenus et per tempus induciarum tenuerunt ac poſſederunt, nec non Eſthoniam et Oſiliam cedimus irreuocabiliter Sereniſſ. Regi, Succeſſoribus ac poſteris Regibus Regnoque Sueciae, vna cum omnibus ſuis ditionibus, vrbibus, arcibus, propugnaculis, inſulis, terris, bonis ac prouentibus, et quibuſcumque aliis pertinentiis, nec non iuribus, iuriſdictionibus, Regalibus ac Superioritatibus in Eccleſiaſticis ac Politicis, nullis penitus exceptis, et in plenum dominium perpetuamque proprietatem Regum ac Regni Sueciae transferimus: renunciantes hiſce a modo et in perpetuum omni iuri, quod Reipubl. Polonae hactenus in dictam Liuoniam et recenſitas terras ac partes, competere vllo modo poterat, et Ordines ſubditoſque ac incolas earum, cuiuſcumque ſtatus ac conditionis ſint, omni obedientiae vinculo et fidelitatis iuramento, quo Regibus ac Reipubl. Polonae olim obſtricti fuerunt, exſoluentes; in eos atque dictas terras et pertinentias nihil vmquam praetenſuri. In quorum maius robur hoc diploma ceſſionis noſtrae manibus Senatorum, nec non Mareſchalli Nunciorum Terreſtrium, ad haec Comitia Regni Generalia congregatorum, nomine Equeſtris Ordinis ſubſcriptum, et ſigillo Illuſtriſſ. et Reuerend. Dni Archi-Epiſcopi Gneſnenſis, Regni Poloniae Primatis Primique Principis, munitum damus. Varſauiae.“ — Dn. Mediator ſe, quidquid fieri poſſit, facturum quidem promittit; dubitare autem omni de effectu dixit, dehortaturque, ne inſiſtat amplius, Legationem noſtram. Dn. Regni Theſaurarius, extremum adhuc tentare ne grauetur, rogat. Ille igitur ad Dnos Polonos ſeſe recipit. Quumque rediret, illos repetere priora, refert, nec ſpem eſſe, quod petamus, obtinendi: interea offert ſchedulam, quomodo Rex Poloniae adſecurationem daturus ſit de conuocandis Deputatis ad ratificandam ſeu adprobandam nomine Reipublicae pacem hanc concluſam, non obſtante vnius pluriumue abſentia. Quae talis eſt ſchedula: “Quandoquidem in ſummis Reipublicae negotiis certas Commiſſiones auctoritate Comitiali inſtituere nobis viſum eſt; ad eas igitur adprobandas in praeſentia noſtra et Dnn. Senatorum ac Officialium Regni

gni et M. D. Lithuaniae ad latus noſtrum reſidentium cum plena totius Reip. auctoritate deputamus ex Senatu — — ex ordine Equeſtri — — Hoſque nominatos Commiſſarios, ſi ad adprobationem pactorum ventum fuerit, per vniuerſales litteras noſtras in omnibus Palatinatibus Regni et M. D. Lithuaniae publicandas conuocabimus. Qui vbi pro tempore a nobis indicto congregati fuerint, vnius pluriumue abſentia non obſtante, examinatis et ponderatis quam diligentiſſime conuentis pactorum Articulis, eoſdem ad normam ſcripti ad Archiuum Regni dati, atque manibus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris — — Dni Archi-Epiſcopi Gneſnenſis, et Generoſi Marſchalli Comitiorum ſubſcripti, adprobabunt." Deliberant Suae Excellentiae, et, ſi diploma ſpeciale illud obtineri non poſſit, deſiſtendum eſſe concludunt. Ablegatus Neoburgicus intromiſſus refert, quod Dni Poloni cum Electoralibus ſatis longe diſceptauerint ſuper incluſione Principis ſui, exiſtimantes, quod cauſſa Iuliaca hic decidi intenderetur.* Remonſtraſſe autem ſe, quod in omnibus Tractatibus receptum ſit, amicos Principes includere. Declaraſſe igitur Dnos Polonos, quod firmiter inhaerere velint incluſioni, ſi a parte Suecica idem quoque fieret. Iuiſſe ſe deinde ad Dnos Caeſarianos; abiiſſe autem ante aduentum ſuum Dn. de Liſola; loquutum igitur ſe cum Dno Comite a Colourat, qui dictam incluſionem non difficultaſſet. Legatio noſtra non tantum voluntatem ſuam propenſiſſimam, allegato glorioſiſſimi Regis mandato, repetiuit, ſed et omnem operam et diligentiam promiſit, quibus ad conſentiendum aduerſae partis Legationes perſuaderi poſſint. Qua de re etiam cum Dno Mediatore acturi ſint, qui iam iterum abierat ad Dnos alteros. Exſpectatur reditus Dni Mediatoris. Qui quum reuertiſſet, cauſſa Neoburgica ipſi commendatur, atque vt pergatur in Articulis adhuc complanandis, ille, quo vrgere velit, rogatur. Is cauſſam Ducis Neoburgici ſibi ſemper commendatam fuiſſe ait; optandum eſſe, quo ex voto eadem cedere vellet. Quoad ea, quae adhuc complananda reſtent, ſe Dnis Legatis partis alterius dediſſe, quae Legatio Suecica heri ad introitum notaſſet, et deliberari iam ſuper Con-

* De qua videſis, quae notauimus ad PASTORII Diarium, p. 286. itemque Obſ. XI. pag. 305 ſq.

Concepto illo: rogat, num quid interim aliud ſit, quo de poſſint colloqui. Dn. Regni Theſaurarius: Eſſe adhuc diuerſa; ſatis vero moleſtum eſſe, Proiectum vnum poſt alterum extradi, nihil vero reddi, atque ad finem perduci. Dn. Mediator cauſſam allegat, quod non raro Dnn. Poloni, et Confoederati ipſorum, ipſi inter ſe controuertant. Dum apud nos commoratur Dn. Mediator, reaſſumitur Articulus Amneſtiae particularis eorum, qui vel ſago vel toga partes Suecicas ſectati ſunt; qui Articulus praecipue in gratiam Dn. Ducis Croyani iam d. $\frac{2}{12}$ Aprilis proiectus fuit, quum Suae Excellentiae expreſſam pro ſua Celſitudine amneſtiam cum Sereniſſ. (Rege Poloniae) pangere dubitarent: eſtque eiuſmodi: "Omnes et ſinguli, cuiuſcumque ſtatus ac conditionis fuerint, vel protectione S. R. M. Sueciae glorioſae memoriae vſi, vel partes eiuſdem ac Regni Sueciae ſequuti, gaudeant ac fruantur bonis, iuribus, priuilegiis, euentualibus inueſtituris, exſpectantiis, conceſſionibus, aduitalitiis, aliiſque beneficiis, ſiue Eccleſiaſticis ſiue Secularibus, quocumque nomine veniant; et, ſi quae horum imminuta ſunt, in integrum reſtituantur, eoque nomine edicta auocatoria tollantur et abrogentur. Nemini quoque ex vtriuſque partis ſubditis aut Vaſallis noxae ſit, aut praeiudicio, quod alterius partes hoc bello ſago vel toga fuerit ſectatus: ſed quicumque ex ſola cauſſa huius belli de fortunis, bonis aut ſtatu ſuo decidiſſet, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores ac bona immobilia, nec non etiam quoad bona mobilia, ſi fiſco nondum adiudicata et extradita ſint, indilate et ſine contradictione reſtituatur, eiſque plenarie gaudeat ac fruatur." Et quum Dn. Mediator vrgeret declarationem pro Barone a Gyldenſtern, concipitur a nobis pro eo talis Articulus: "Dn. Baronis a Gyldenſtern, a Ser. Rege Regnoque Sueciae condigna ratio habeatur in iis, quae iure praetendere poterit, quoad bona ſua in Hallandia, aut etiam in Suecia ſita, quum eo nomine ad Aulam Regiam Sueciae poſtulata ſua detulerit." Poſtquam etiam Dn. Campi Mareſchallus a Koenigſmark ſingularem pro ſe expreſſionem, quoad bona et iura ſua in prouinciis Electoralibus Brandeburgicis, deſideraeuit, talis eius cauſſa proponitur: "Senator Regni Sueciae et Campi Mareſchallus Dn. Comes a Koenigſmark in bonis ac facultatibus ſuis hoc bello exutis, facta hac pace, ſine vlla tergi-

tergiuerſatione plenarie reſtituetur, nec competet illis, quibus collata ſunt eius bona, vlla in ea praetenſio exnunc et in perpetuum: manebit etiam praefato Dn. Comiti ius ſaluum bonorum, Hetensleben, Veſerling, Vilsleben, nec in cauſſa Halberſtadienſi contra ipſum de facto procedetur, ſed iuſtitiae curſus liber relinquetur, et ideo ipſe in integrum reſtituetur.“ Abiit, rediitque Dn. Mediator: adtulitque Conceptum noſtrum heſternum ſuper introitu, vbi parum differre videbantur Dnn. Poloni et Confoederati: qui quum aeque iam proieciſſent noſtro haud abſimile Conceptum, paruae hae notae, tam in realibus, quam verbalibus, tum etiam curialibus, dantur in ſchedula Dn. Mediatori. In titulo Regis Poloniae, *Principem Dominum*, interponatur *ac*. Deleatur *praecipuos* (belli ſocios videlicet). Deleantur verba: *vi antiquorum pactorum.* Pro *Ducis* ponatur *Ducem*. Vna cum computatione noui Calendarii, adponatur vetus ad hunc modum: $\frac{\text{26 Decembr. An. 1659.}}{\text{5 Ianuarii An. 1660.}}$ Poſterius *videlicet* deleatur. Deleatur vnum *Domini*. Hiſce abiit ad alteram partem, rediensque poſt dimidiam fere horam, adtulit Articulum hic ſubiectum Amneſtiae Electoralis particularis, quo etiam bona Dnn. Comitum a Koenigſmark et Vittenberg includuntur, et ſic tres Articuli in vnum rediguntur. “Nemini quoque ex vtriuſque partis ſubditis aut Vaſallis noxae ſit, aut praeiudicio, quod alterius partes hoc bello ſago vel toga fuerit ſectatus, ſed quicumque ex ſola cauſſa huius belli de bonis ſuis deciderit, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, tum quoad immobilia, tum etiam mobilia bona, ſi fiſco nondum adiudicata, eiſque extradita aut alias diſtracta ſint, indilate et ſine vlla contradictione reſtituatur, eiſque plenarie gaudeat ac fruatur: atque proinde et Campi Mareſchallo et Comiti Koenigſmarkio, vti et Campi Mareſchalli Comitis Vittenbergii heredibus bona, quae in ditionibus Suae Serenit. Electoralis ante hoc bellum poſſederunt, eo in ſtatu, quo nunc ſunt, eoque iure tenenda, quo ante bellum hoc exortum ea tenuerunt, reſtituantur.“ Ex hoc Dnn. Legatorum Electoralium Proiecto Dn. Legatus Gyldenklau eiuſmodi formauit Conceptum: “Nemini quoque ex vtriuſque partis Statibus, Vaſallis et ſubditis, cuiuſcumque dignitatis ac conditionis fuerit, noxae ſit aut praeiudicio, quod alterius partes hoc bello ſago vel toga ſit ſectatus, ſed quicumque ex ſola cauſſa huius belli, quocumque nomine de bonis

ſuis deciderit, aut aliquam iurium ſuorum imminutionem paſſus ſit, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores, iura omnia, beneficia ac bona immobilia indilate et ſine contradictione reſtituatur, eiſque plenarie gaudeat ac fruatur. Mobilia bona itidem, quae fiſco nondum adiudicata et extradita ſunt, priſtinis poſſeſſoribus reddantur. Atque proinde et Campi Mareſchallo Comiti a Koenigſmark, vt et Campi Mareſchalli Comitis Vittenbergii heredibus bona, quae in ditionibus Suae Serenitatis Electoralis vbicumque locorum, quocumque nomine ante hoc bellum poſſederunt, reſtituantur eo prorſus iure tenenda, quo ante bellum hoc exortum ea tenuerunt ac poſſederunt.“ Ingroſſatur, ac Dn. Mediatori traditur, qui accipit, vt proponat, et abiit pranſurus, cibum ſumentibus quoque reliquis Legatis Oliuae. Quum et noſtra Sobotho aduenifſet menſa, Suae Excellentiae ſimiliter hic prandent in conclaui ſuo; veluti ante quoque aliquoties factum eſt.

Poſt Prandium.

Deſiderant noſtri Dnn. Legati Plenipotentiarii cum Dn. Mediatore nimis diu abſente conferre: qui aduenit, et reaſſumta eſt heſterna declaratio noſtra de Regis Daniae incluſione.* Quumque inſiſterent partis alterius Legati indefinito includendi tempori, deliberarunt Dnn. Plenipotentiarii, an praeter tres menſes extendendum ſit incluſionis tempus? Concluſum poſt longam diſceptationem, quod haec quaeſtio non ita eſſet difficilis, praeſertim quum Legati Suecici in Dania declaraſſent nuperrime, quod vice verſa ceſſatura ſint arma, ſimul atque pax concludatur, quod paucis diebus fieri poſſe ſperetur. Datur adhuc ſpatium deliberandi: et Dn. Mediator interea ſe recipit ad alteram partem. Noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiae, re pro et contra deliberata, in Daniae Regis incluſionem, vt ante, concludunt. Dn. Mediator poſt reditum refert, declarare Confoederatos, quia heri remonſtratum ſit, quod per Articulos de amicitia et ceſſatione hoſtilitatis etc. illis integrum non ſit auxilia praeſtare Daniae, ideo ſe licentiam petiiſſe. Iam quia eis a Suecia non concedatur, velle ſe ſtare concluſis,

* Conf. PASTORII Diarium ad h. d. pag. 288.

cluſis, atque adfert Conceptum huius Articuli geminum: quorum alterum hoc eſt: "Quum vero ad ſtabilitatem huius pacis plurimum interſit, vt vniuerſaliter componatur, et inter omnes belli huius ſocios ſecuritati commerciorum plene proſpiciatur: ideo, licet controuerſiae, quae Sereniſſ. Regi Regnoque Sueciae cum Sereniſſ. Rege Daniae intercedunt, hic commode decidi non potuerint, et in ipſa Dania cum ſpe ſucceſſus tractentur, nihilominus conuentum eſt, vt Sereniſſ. Daniae et Noruegiae Rex, eiuſque Regna et ditiones in hac pace comprehendantur; quo fine, praeuia inter praedictos Reges pace, moderni huius Tractatus ratificationes vel in gratiam Pacis Sueo-Danicae ad tres menſes, a die ſubſcriptionis horum pactorum computandos, prorogantur, ita vt ea omnia, quae inter praedictos Sueciae et Daniae Reges concluſa et conſtituta fuerint, ad hanc pacem, pariter ac ſi in hoc Inſtrumento ſpecifice inſerta forent, pertinere cenſeantur, ſaluo per omnia ipſo Tractatu, in Dania inter vtroſque Reges et Regna concluſo, vel concludendo. Interea vero R. M. Sueciae in prouinciis Sereniſſ. Regis Daniae mediterraneis, vtpote Holſatia et Iuthia, ab omnibus hoſtilitatibus abſtinebit, dum modo viciſſim S. R. M. Daniae nullam hoſtilitatem prouinciis Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae in Germania ſitis, aut Holſatiae Ducali, ac Sleſuicenſi Ducatui inferat." Alterum vero, vbi definitum tempus trium menſium atque armorum ceſſatio reciproca omittitur, eſt tale: "Quum vero ad ſtabilitatem huius pacis plurimum interſit, vt vniuerſaliter componatur, et inter omnes belli huius ſocios ſecuritati commerciorum plene proſpiciatur: ideo, licet controuerſiae, quae Sereniſſ. Regi Regnoque Sueciae cum Sereniſſ. Rege Daniae intercedunt, hic commode decidi non potuerint, et in ipſa Dania cum ſpe ſucceſſus tractentur, nihilominus conuentum eſt, vt Sereniſſ. Daniae et Noruegiae Rex, eiuſque Regna ac ditiones in hac pace comprehendantur, ita vt ea omnia, quae inter praedictos Sueciae et Daniae Reges concluſa et conſtituta fuerint, ad hanc pacem, pariter ac ſi in hoc Inſtrumento ſpecifice inſerta forent, pertinere cenſeantur, ſaluo per omnia ipſo Tractatu in Dania inter vtroſque Reges et Regna concluſo vel concludendo." Legatio noſtra Suecica ad haec ita ſe declarat. 1) Inſiſtit Legatio Suecica illis, in quae heſterna die conſenſit, terminum iſtius rei retinentes, trium menſium, a ſubſcripta hac pace.

 2) Quum

2) Quum et haec res debeat inter vtroſque Reges ac Regna eſſe obligatoria, merito et iis inſiſtit, quae iam ante conceperunt, nec danda erit vlla occaſio inuadendi Imperii, aut prouinciarum Suecicarum in eo ſitarum, quum a parte Suecica Holſatia, vna cum Iuthia, omni hoſtilitati ad modum rogatum eximatur. 3) Quum pax haec plena ſecuritate gaudere debeat, et concluſum ſit ſubſcripto amicitiae Articulo, ne vlla paciſcentium pars alterius partis hoſtibus vllo praetextu auxilia praeſtet: ideo Sereniſſ. Imperator et Elector nulla ratione poſthac bello Danico ſe immiſcere velle declarant. Abiit Dn. Mediator, rediitque, et reſilientibus Confoederatis ab eo, quod alternatiue propoſuerant, Conceptoque poſteriori inhaerentibus, ad extremum condeſcendunt noſtri; et tandem conſenſum eſt in incluſionem, vt habet Articulus, atque e contra poſtulatum adhuc a nobis, vt declaret in ſcripto altera pars, quod nolit auxilia ferre Daniae Regi. Retulit Dn. Mediator, quod declaraſſent hanc cautelam ſuperfluam iam eſſe, quia et amicitia et ceſſatio armorum ſubſcripta ſit, nec integrum iis, non data a Suecia ipſis licentia, arma ſua in Holſatia aut Dania exercere. Subſcribitur itaque Articulus iſte hoc modo: "Quum vero ad ſtabilitatem huius pacis plurimum interſit, vt vniuerſaliter componatur, et inter omnes belli huius ſocios ſecuritati commerciorum plene proſpiciatur: ideo, licet controuerſiae, quae Sereniſſ. Regi Regnoque Sueciae cum Sereniſſ. Rege Daniae intercedunt, hic commode decidi non potuerint, et in ipſa Dania cum ſpe ſucceſſus tractentur, nihilominus conuentum eſt, vt Sereniſſ. Daniae et Noruegiae Rex, eiuſque Regna ac ditiones in hoc Tractatu, concluſa in Dania pace, comprehendantur: ita vt ea omnia, quae inter memoratos Sueciae et Daniae Reges concluſa et conſtituta fuerint, ad hanc pacem, pariter ac ſi in hoc Inſtrumento ſpecifice inſerta forent, pertinere cenſeantur, ſaluo per omnia iſto Tractatu in Dania inter vtroſque Reges et Regna concluſo vel concludendo." Hoc facto, vrgent Suae Excellentiae, vt et reliqua, quae ſub manibus ſunt, expediantur, dantque Dn. Mediatori proiectum a nobis ordinem inſerendorum Inſtrumento Pacis Articulorum ſubſcriptorum. Artic. 1) Introitus. 2) Punctum amicitiae. 3) P. amneſtiae. 4) P. renunciationis et tituli. 5) Ceſſio Liuoniae, cum Ciſdunanis partibus, Runen, Eſthonia et Oſilia. 6) De Liuonia Auſtrali,

ſtrali, et vſu promiſcuo tituli et inſigniorum Liuoniae. 7) Exules et expulſi. 8) Subditi fugitiui. 9) Tituli prouinciales. 10) Religionis Catholicae domeſtica tolerantia. 11) Commercia in Liuonia, et de teloneis ac vectigalibus, nec imponendis nouis teloneis Stetini. Gedanenſium commercia in Regno Succiae. 12) Pharus in Domeſnes. 13) Iudicia ac decreta Rigae lata. 14) Retraditio vel annullatio obligationum Suecis datarum. 15) Ceſſatio obligationum extortarum. 16) Reſtitutio Archiuorum. 17) Controuerſiae de limitibus. 18) Reſtitutio ſ. liberatio Ducis Curlandiae, cum eiuſdem Reuerſalibus. 19) De non praetendendo in Curlandiam a Suecis, poſſidentibus Ciſdunanas partes. 20) Debita. 21) Depoſita et bona mobilia. 22) Actorum, Archiuorum Ducis reſtitutio vel annihilatio. 23) Eliberatio Comitis a Koenigſmark, eiuſque Reuerſales. 24) Defluitatio mercium in Nogath. 25) Reſtitutio et euacuatio locorum in Pruſſia et Curlandia. 26) Reſtitutio et euacuatio locorum in Pomerania et Holſatia. 27) Tormenta bellica: deductio militum. 28) Captiuorum dimiſſio. 29) Captiui in Tataria. 30) Demortuorum cadauera, eorumque abductio et inquietatio. 31) Emigratio ex ciuitatibus Pruſſiae: Paſquillorum abrogatio et inhibitio. 32) De filia Radziuilii: Dux Croyanus, Dohna et Gyldenſtern. 33) Puncta amicitiae, amneſtiae: Reſtitutio locorum: Res Imperii. 34) Captiui Suecici apud Caeſarem. 35) Amicitia et amneſtia cum Electore, cum incluſione Ducis Croyani, et eorum, qui partes Suecicas ſequuti ſunt. 36) Caſſatio vel vigoris detractio Pactorum Sueco-Brandeburgicorum. 37) Commercia inter Sueciae et Electoris Brandeburgici ſubditos. 38) Debita in bello hoc contracta apud ſubditos Electorales. 39) Captiui Suecici apud Electorem: Praeſidium Straſburgenſe: Bona Comitum a Koenigſmark et Vittenberg ab Electore. 40) Ceſſatio hoſtilitatis. 41) Punctum guarantiae. 42) Gallica guarantia. 43) Incluſio Daniae. 44) Inſertio aliorum Principum, Neoburgici, Megapolitani, Holſatiae. 45) Principis Rakocii inſertio: Ordo ratificandi: Armiſtitium a nunc. Item proiicitur a nobis, ac Dno Mediatori traditur Articulus de armiſtitio a nunc eiuſmodi: "Quum iam de felici pacis concluſione non dubitetur amplius, ideo conuentum eſt, vt ab hac die ſit armiſtitium, omniſque hoſtilitas, (cuius alias quarta demum die, a ſubſcripta pace, fieri initium debebat,)

in Pruſſia ceſſet, ac poſtarum litterarumque, vt et mercaturae, peregrinationis et agriculturae commercium et facultas, ſecura, tuta et libera detur. Proindeque id ſtatim, poſtquam ſubſcriptus erit hic Articulus, omnium partium Generalibus et Officiariis in Pruſſia notificabitur, et ſine mora vbiuis publicabitur.“ Accepit ille, et partem alteram adiit.

Poſt reditum adfert Introitum, Inſtrumento Pacis praemittendum, qui cum anterioribus Conceptis ac notis confertur, tandemque huiuſmodi, quod hic ſequitur,* confecto Concepto, a nobis ſubſcribitur, atque, vt Dni Poloni quoque ſubſcribi per Secretarium ſuum faciant, quo poſſit deinde commutari, retraditur. — — Sed dum exſpectatur, vt more ſolito fiat commutatio, emanſit illa, orta per Dnos Electorales difficultate. Nam etſi hodie, ante matutinam decimam, acceptauerant alterius partis Commiſſarii notas noſtras heſternas ad Introitum, niſi quod cuperent, vt loco, *vi antiquorum pactorum,* quae verba noſtri vt deleantur petebant, ponatur, *ad requiſitionem Poloniae:* iam tamen, vbi a parte noſtra ſubſcriptum, et ad conferendum, ceu dictum eſt, ipſis traditum eſſet Conceptum, Secretarius Gallicae Legationis retulit, Dnos Electorales adpoſuiſſe, quod nondum auditi ſuper hoc Proiecto fuiſſent, nec illud vt ſubſcribatur, antequam et ipſi perlegiſſent, et ſua monita dixiſſent. Remonſtratur, quod ſatis diu haec quoque res ſit diſcuſſa; mirum itaque videri, Dnos Electorales, qui frequentes ſint apud Legationem Polonicam, ſuper ea non eſſe auditos. Rogaturque Secretarius, vt a Dno Mediatore petat, qui iamiam ad eas acceſſerat, quo ſubſcriptionem et commutationem non remorarentur; praeſertim quum nihil ſit, quod cauſſam vel ſpeciem habeat, difficilem illam reddendi. Reuerſus eſt ad illos praefatus Secretarius Mediationis: ſed quum eos, vt hoc veſpere ſubſcribatur, concedere nolle diceret, differendum in craſtinum fuit. Rediit Dn. Mediator, offertque proiectam a Confoederatis formulam Cautionis de non vindicando Holſatiae Ducis. “Nos N. N. Dei gratia Heres Noruegiae, Dux Sleſuici, Holſatiae, Stormariae et Ditmarſiae, Comes in Oldenburg et Delmenhorſt etc. notum teſtatumque facimus, quod cum pace inter

* Sed neque id, propter leuiſſimas mutationes, hic inſerendum putauimus.

ter Sereniſſ. Regem Poloniae eiuſque Foederatos, vti Auguſtiſſimum Imperatorem et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum ex vna, et Ser. Regem Sueciae ex altera parte inita, de reſtituendis vno poſt commutatas pactorum ratificationes menſe locis et ditionibus ad nos ſpectantibus cautum ſit, nos ob bellum geſtum in prouinciis noſtris et inde perpeſſa damna, nulla ratione clam vel palam, directe vel indirecte, via iuris vel facti, per nos vel alios contra S. Caeſ. M. eiuſque Regna, terras ac prouincias, et Sereniſſ. Regem Remquepublicam Poloniae, tum quoque Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum, eiuſque terras ac prouincias, nihil vmquam in Imperio Romano, vel extra illud, belli iſtius et expeditionis cauſſa, ſiue ſatisfactionis, ſiue alio quocumque titulo moturos, aut vmquam aliquid poſtulaturos. Quemadmodum id hoc Reuerſalium diplomate, honore Principis, et verbo veritatis Chriſtianae promittimus, ſtipulamur et cauemus, quoad fieri poteſt validiſſime. In quorum fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo noſtro Ducali roborari fecimus. Dabantur.“ — Coenatum eſt quoque Oliuae.

Poſt coenam, hora dimidia IX veſpertina.

Quoad deductionem militiae, quid tandem poſtulent Dnn. Legati Suecici, Dn. Mediator interrogat. Dn. Regni Theſaurarius. Deductionem aut terra aut mari fieri oportere. Conſentimus, mari vt fiat. Requirimus ad iter Pillauiam vſque 1) currus, 2) victum, 3) ſecuritatem, 4) naues per mare. Si naues proprias non habeant, pro pecunia poſſe illos accipere. Abit Dn. Mediator relaturus. Interea Secretarius eius acceſſit, adferens Articulum de exauctoratione militum, qui ſubſcribitur: “Denique omnium belligerantium in Imperio partium copiae et exercitus, poſt reſtitutionem locorum, ab omnibus partibus paciſcentibus dimittantur et exauctorentur, eo tantum numero in ſuos cuiuſque proprios Status traducto, quem quaeque pars pro ſua ſecuritate iudicauerit neceſſarium.“ Subſcriptus quoque a noſtra parte fuit Articulus de reſtitutione locorum in Pruſſia et Curlandia, eorumque euacuationis tempore. Aſt quum Rex Poloniae ratificationem ſuam horum Tractatuum prouiſionalem extradere nollet, ſed in manus Mediatoris deponere vellet, pro verbis, *reddita Sereniſſ. Regis,*

Digitized by Google

gis, poſita ſunt verba: *Depoſita in manus, Excell. Dni Mediatoris, Ser. Regis* — Et hic Articulus de nouo iam ſubſcribitur.

Circa dimidiam decimam veſpertinam redit Dn. Mediator, dicens, deliberare Dnn. Polonos et Electorales; ſciſcitans, an hac nocte continuare tractatus velint Dnn. Suecici? Dn. Regni Theſaurarius reſpondit, non hac ſolum, ſed pluribus vigilaturos nos noctibus, ſi effici pax poſſit: verum inutiliter noctem tranſactum iri, timere Legationem Suecicam. Adeſt Secretarius Gallicus, et adfert punctorum renunciationis praetenſi iuris in Sueciam, et ceſſionis Liuoniae extenſiones: quae perleguntur, vt, quod neceſſarium erat monere, in charta adnotent Dnn. Legati noſtri. Suntque differentiae et Deſiderata in Articulo Renunciationis: pro *alias ſubiectas* ponatur, *alias ipſis ſubiectas:* pro *In titulo Sereniſſ. Regis Pol.* ponatur, *in titulo moderni Sereniſſ. Regis Poloniae.* In Articulo ceſſionis Liuoniae: pro *quam hactenus* ponatur, *quam Suecia hactenus:* pro *erga Rempublicam* ponatur, *omni erga Regem ac Rempublicam Polonicam.* — Adſuit quoque Dn. Ablegatus Neoburgicus, et proteſtationem contra Brandeburgenſes, quod incluſionem negaſſent, ad Acta dedit, (quae videatur apud Acta Legationis huius in Cancellaria Aulae, Holmiae ſub No. 114.°) ſiquidem Dn. Mediator obtinuiſſet, quod Dnn. Poloni declaraſſent, quod nullum ipſis a Rege mandatum miſſum ſit, Principem Neoburgicum includendi. Electorales expreſſe declaraſſe, quod mandatum expreſſum habeant, Dni Neoburgici incluſionem non admittendi.°° Polonos quidem optare et libenter velle; ſed quum Electorales nolint, ſe eos cogere non poſſe. Igitur nos declaremus, nomine S. R. M. Sueciae, quod ſoli velimus includere; dicere autem Electorales, quod ſi vel armiſtitium inire Suecia vel foedus cum Duce velit, impedire illos non poſſe: ſed nec conſentire, vt hic includatur. Dn. Neoburgicus inſtat, et cauſſas inquirit denegatae ab Electoralibus incluſionis. Dn. Mediator: Petiiſſe Dnos Polonos, petiiſſe quoque ſe, Mediatorem, ab illis, indicent cauſſam. Reſpondiſſe eos, quod forte ideo multa hactenus ab ipſo contra Sereniſſ. Electorem tractata eſſent.°°° Dn. Neoburgicus:

* Nos exemplum iſtius Proteſtationis, R. Poloniae, ſupra protulimus, in Actis ex Actis *Metrices* Cancellariae Minoris Publ. Pacific. No. LX. p. 149.

Digitized by Google

gicus: Facile videri, quid in animo gerat Dnus Elector: proteſtatur itaque denuo oretenus, nomine Principis ſui, petitque Atteſtatum a Dn. Mediatore, Legationibuſque Suecica et Polonica, quod Electorales impedierint incluſionem. Dnus Mediator: Ad alia progrediendum; petere declarationem ſuper Articulo deductionis militiae. Dn. Regni Theſaurarius: Serum nimis hodie aliis Articulis implicari; expediantur Articuli, qui iam ſub manibus ſint. Ille inſtat poſtulato ſuo. Dn. Regni Theſaurarius: Pauca nos poſtulare, frumentum, ſecuritatem. Dnus Mediator: Polonos dicere, quod argentum non habent. Dnus Comes Oxenſtierna: Et militiam ſine mediis deduci non poſſe. Remonſtratumque eſt ipſi, quid A. MDCXXXV. factum ſit, et telonium pro illa re per aliquot menſes conceſſum. **** Poſt longam diſceptationem Dn. Mediator declarat, hoſpitationem concedere velle Poloniam; aliquid amplius in eorum poteſtate non eſſe. Inſtant noſtri poſtulatis. Ille poſſibilitatem a parte Polonorum negat. Tandem Dn. Regni Theſaurarius declarat, ſi Dnn. Poloni fidem ſuam interponant Dantiſci, vt pro ſolutione noſtra intra ſex menſes ſequutura vel in parata pecunia, vel in cupro, accipiamus XL. aut L. millia Imperialium, nos ſummam pecuniariam pro deducendo milite relicturos, ducentis Laſtis ſiliginis nos contentaturos. Dn. Mediator relaturus abit: nos exſpectamus reſponſum, et abitum Sobothum paramus. Quum nimis diu remaneret apud alteram partem Dn. Mediator, cenſuit Legatio noſtra melius eſſe, vt differatur conferentia in craſtinum matutinum, quam vt nocte fatigaremur inutiliter, et diei futuro reddamur inepti. Itaque nunciatur hoc Dn. Mediatori, et conſentientibus quoque alteris Legationibus diſceſſum eſt.

Actum Oliuae d. $\frac{22 \text{ April.}}{2 \text{ Maii,}}$ ab hor. IV pomerid. vſque ad III matut. d. $\frac{23}{3}$ eiuſd.

Subſcriptus a nobis heri fuerat Introitus. Quum autem difficilem reddidiſſent alterius quoque partis ſubſcriptionem Dnn. Electorales,

** Conf. PASTORII Diarium ad h. d. pag. 286.

*** Cauſſas eas penitius explicat PASTORIVS, pag. 295. Ad quem locum quaedam notauimus.

**** Cf. PASTORIVS ad h. d. p. 291.

les, vrget eam Legatio noſtra hodie apud Dn. Mediatorem, factaque eſt illa a Polonis, vt habet Conceptum in heſterno Protocollo noſtro. Concipitur a nobis Articulus de militum deductione, hoc modo: "Deductio militiae Suecicae vna cum bellicis tormentis maioribus et minoribus, iuxta factam hic ſuperius conuentionem, nec non cum impedimentis, fiet Elbinga, diuerſis vicibus, dato eidem libero et innoxio tranſitu per Habum ad Portum Pillauienſem, et inde ad naues, quas milites conſcenſuri, et ad ditiones Suecicas ituri ſunt. Imponetur autem dicta militia circa deductionem nauibus Elbinganis; et ſi illae non ſufficiant, tum nauibus adiacentium territoriorum aliorum ſine aliquo pretio. Communicabit etiam Praefectus militiae Suecicae et conueniet cum Praefecto militiae Electoralis, aut eius locum tenente, de modo tranſitus per dictum portum Pillauienſem. Et fiat de cetero eiuſmodi deductio ſine damno et noxa ſubditorum in Pruſſia, tam Polonicorum, quam Electoralium. Quod ſi per periculum belli maritimo itineri militia ſe tuto committere nequeat, ſed terreſtri in Pomeraniam aut Liuoniam ſe conferre neceſſe habeat, Sereniſſ. Rex ac Reſp. Poloniae, eiuſque Colligati militiae iter promoueant neceſſario victu, curribus et equis, eamque cum impedimentis, ſufficientibus copiis militaribus in Pomeraniam vel Liuoniam ſaluiconducant." Eamdem contra ſic altera pars proponit: "Deductio militiae Suecicae vna cum tormentis bellicis, iuxta Articulum XVIII. aliiſque impedimentis fiet Elbinga, dato ibidem libero tranſitu per Habum ad portum Pillauienſem nauibus Elbinganis, inde vero propriis nauibus ad ditiones Suecicas abituri, praeuia conferentia et conuentione inter Praefectos militiae Sereniſſ. Electoris, aut eorum locum tenentes, de modo tranſitus per dictum portum Pillauienſem, ita tamen, vt illa deductio fiat ſine damno et noxa ſubditorum tam S. R. M. Poloniae, quam Sereniſſ. Electoris Brandeburgici." De Duce Croyae tale hodie datur a nobis Conceptum, in forma Articuli: "Quum Dn. Ducis Croyani deſiderio, ob defectum mandati, Dnn. Plenipotentiarii Polonici in praeſens ſatisfacere nequiuerint, conuentum eſt, vt eius Celſitudini, vbi ius ſuum Originalium productione docuerit, in proxime futuris Comitiis Polonicis ſatisfactio debita detur." Quod antequam extraderetur, ita mutatur: "Quum Dn. Ducis Croyani deſiderio, ratione debitorum

apud

Digitized by Google

apud Rempublicam Polonam, ob defectum mandati, Dnn. Plenipotentiarii Polonici in praeſens ſatisfacere nequiuerint, conuentum eſt inter Dnn. Suecicos et Polonicos Commiſſarios, vt eius Celſitudini, vbi ius ſuum Originalium obligationum productione docuerit, in proxime futuris Comitiis Regni generalibus de ſatisfactione debita proſpiciatur." Quum Dnn. Poloni praedicatum *Celſitudinis** admittere dubitaſſent, ac denique Ducis Curlandiae praetenſionem adhuc praetexuiſſent; ita mutatur a nobis idem Conceptum, tertia vice. "Quum Dn. Ducis Croyani deſiderio, ratione debitorum apud Rempublicam Polonam, ob defectum mandati Dnn. Plenipotentiarii Polonici in praeſens ſatisfacere nequiuerint, conuentum eſt inter Dnos Suecicos et Polonicos Commiſſarios, vt praedicto Dno Duci, vbi ius ſuum Originalium obligationum productione docuerit, in proxime futuris Comitiis Regni generalibus de ſatisfactione debita proſpiciatur, ſaluo iure quoque Dn. Ducis Curlandiae, ſi quod eidem ad praefatas ſummas pecuniarias competierit." Articulum de Paſquillis antehac taliter propoſueramus: "Scripta quoque famoſa et Paſquilli, quibus laſciuae manus abiectarum mentium, nec Regibus et Regum miniſtris aliiſque honeſtis parcendo, ſe hactenus exercuerunt, in poſterum plane tollantur; et qui talia vel typographi amplius impreſſerint, vel Nouellarum concinnatores proplantauerint, infamia notentur, et poenam de iure dignam, adminiſtrante cuiuſuis loci magiſtratu iuſtitiam, ſubeant." Qui quum ſonaret durius nonnullis ex altera parte, hodie ita proponitur a nobis: "Scripta famoſa et Paſquilli, hoc bello ſparſi et vulgati, in poſterum plane tollantur, et qui talia vel typographi amplius impreſſerint, vel Nouellarum concinnatores proplantauerint, infamia notentur, meritamque de iure poenam ſubeant, animaduertente in tales ſeueriſſime ac iuſtitiam adminiſtrante cuiuſque loci magiſtratu." Et quo induci poſſet pars altera eo facilius, hoc Dn. Mediatori Extractum communicatur ex Pacificatione Stetinenſi, inter Sueciam et Daniam, An. MDLXX. facta, — — huius tenoris. — Articulus de Paſquillis et ſcriptis famoſis.

* De hoc titulo honoris exſtat FRID. CAR. MOSERI, Viri Ill. Diſſertatio, inſerta eiuſdem Opuſculis, Ius Gentium illuſtrantibus, T. VII. p. 167 ſqq.

moſis.* — Sed retulit Dn. Mediator, quod, veluti antea quoque declaraſſent, ſuperfluam ac minus neceſſariam ducerent mentionem Paſquillorum, ſiquidem, ſi pax concluderetur, etiam talia per ſe de futuro ceſſare oporteat; ea vero, quae ſint temporis praeteriti, iam per amneſtiam obliuioni danda eſſe. Igitur, quum haec res ſaepius antehac vrſa fuiſſet, nec aliquid efficeretur, tandem noſtrorum quoque Dnn. Legatorum Excellentias ſilentio inuoluere eamdem oportuit. Quoad incluſionem Principum demum declarant Dnn. Poloni, quod Electorales nulla mentione velint includi Principem Palatinum Neoburgicum.** Itaque Polonos eos cogere non poſſe. Dn. Regni Theſaurarius: A ſola igitur Suecia includendum illum. Dn. Mediator: Eos nolle, quia non ſit vſitatum, vt alterutra tantum pars includat. Dn. Ablegatus Neoburgicus repetit poſtulatum de Atteſtato, a Legatione Suecica. Quod promittitur denuo. Quoad reliquos, quod Sleſuici et Megapolitanos Duces in deliberationem accipiant, dixit: Rakocium includere Polonos non poſſe, quia ille cum Turcis bello inuolutus ſit, et facile Poloniam implicare poſſit, ſi ipſum, tamquam amicum ſuum, includi huic paci velint.*** Reaſſumitur Articulus de amneſtia particulari cum Electore, quem, incluſis bonis Dn. Comitis a Koenigſmark, et Dn. Comitis Vittenbergii heredum hypotheca Belgardenſi, ita concepit Legatio Electoralis: "Nemini quoque ex vtriuſque partis ſubditis aut Vaſallis, cuiuſcumque conditionis ſit, noxae ſit aut praeiudicio, quod alterius partes hoc bello ſago vel toga fuerit ſectatus; ſed quicumque ex ſola cauſſa huius belli de fortunis ſuis decidiſſet, is in priſtinum ſtatum, in quo ante hoc bellum immediate fuit, quoad honores ac bona immobilia, nec non etiam quoad mobilia bona, ſi fiſco nondum adiudicata et extradita aut alias diſtracta ſint, indilate et ſine vlla contradictione reſtituatur, eiſque plenarie gaudeat ac fruatur; atque proinde et Campi Mareſchallo Comiti a Koenigſmark, vt et Campi Mareſchalli Comitis Vittenbergii heredibus bona, quae in diticnibus Suae Serenitatis Electoralis vbicumque locorum, quocumque nomine ante hoc

* Is quidem et h. l. repetitus erat ex Inſtr. Pacis Teutonice perſcripto. Nobis viſum eſt et hic totum amputare.

** Conf. PASTORII Diarium ad h. d.

*** Conf. PASTORIVS l. c. p. 296.

Digitized by Google

hoc bellum poſſederunt, in eo ſtatu, quo nunc ſunt, reſtituantur, vigore huius amneſtiae atque eo iure tenenda, quo ante bellum hoc exortum ea tenuerunt ac poſſederunt." Legatio Suecica haec notat: 1) Excluditur *Statibus.* 2) Excluditur *dignitatis.* 3) Omittitur *quocumque nomine:* item pro *de fortunis,* ponatur *poſſeſſionibus.* 4) Omiſſum, quod reponi debet, *aut aliquam iurium ſuorum imminutionem paſſus ſit.* 5) Omittitur *iura omnia, beneficia.* 6) Quod confundantur immobilia et mobilia bona cum confiſcatione, admitti non poteſt; ſed diſtinguantur, prout in Suecico Conceptu. 7) Deleatur, *in eo ſtatu, in quo nunc ſunt.* 8) Item deleatur, *vigore huius amneſtiae.* Electorales inſerunt verbum *dignitatis*, delentque, *vigore huius amneſtiae.* Noſtri Dnn. Legati petunt, vt pro verbis, *de fortunis ſuis*, ponatur: *de ſuis fortunis ac bonis, ſiue poſſeſſionibus*, vbi anteriori in Proiecto *de ſtatu* exſtitiſſet. Admiſerunt illi vocem, *poſſeſſionibus*, addideruntque ante verba, *Fiſco nondum adiudicata*, voces, *haec bona mobilia*, vt monito noſtro ſexto ſatisfieret. Et iam ita ſubſcriptum eſt hoc Conceptum. — — Dn. Comes Oxenſtierna vrget ſatisfactionem Comitum a Dohna, rationem habens, quod non tantum Regina Chriſtina, verum etiam glorioſiſſimus Rex Comiti a Dohna 7000 thalerorum Imperialium confirmaſſent, quotannis ex Camera Regni tamdiu ſoluenda, donec ipſis pro bonis in Liuonia amiſſis fiat ſatisfactio: quod onus inhaeſurum ſit praefatae Camerae, ſi ratio ipſis a Polonia non habeatur. Dn. Regni Theſaurarius, et Dn. Comes Schlippenbach, aequum eſſe Suae Excellentiae propoſitum, fundamentoque et ratione illud niti adſerunt; ſed hoc poſtulatum fruſtra hactenus apud Polonos tentatum fuiſſe; metuendum, ne iſtiuſmodi paruis negotium ipſum patiatur moram. Dn. Legatus Gyldenklau: Reaſſumi poſſe, atque adhuc tentari, quid obtineatur. Proiicitur ſchedula huiuſmodi, illique poſtulatum Baronis Gyldenſternii adnectitur, veluti reciprocum. "Quoad Dnn. Comitum a Dohna poſtulatum ſummae pecuniariae, in quantum illud liquidari poterit, ſatisfactio iis dabitur a Polonia, atque eorum ratio in bonis immobilibus in Liuonia

 amiſſis,

De bello autem ipſo Rakocii cum Turcis, diligenter commemorat FRANC. ANT. de SIMEONIBVS Lib. II. de bello Tranſiluanico et Pannonico, (Ro. 1713. 4.)

amiſſis, in proxime futuris Comitiis Polonicis habebitur. Viciſſim Dn. Baroni Sigiſmundo a Gyldenſtern, quoad bona eius in Regno Sueciae, condigne ſatisfiet.“ Dum reuidetur, Dn. Legatus Gyldenklau monet, vt pro verbis, *condigne ſatisfiet*, ponatur, *itidem ratio habebitur:* item, pro *bona eius*, poni oportere *bona praetenſa;* addendumque, *vel illi* (Regno Sueciae) *ſubiectis prouinciis.* Itaque totum Conceptum mutatur hoc modo: “Quoad Dnn. Comitum a Dohna poſtulatum ſummae pecuniariae, in quantum illud liquidari poterit, ſatisfactio iis dabitur a Polonia, atque eorum ratio, quoad bona immobilia in Liuonia amiſſa, in proxime futuris Comitiis Regni habebitur. Viciſſim Dno Baroni Sigiſmundo a Gyldenſtern, quoad bona in Regno Sueciae vel illi ſubiectis prouinciis praetenſa, itidem ratio habebitur.“ Progreſſi ſunt, et proiecta eſt a nobis formula ratificationis Regiae Polonicae, et mutatis mutandis Regiae Suecicae. “Ioannes Caſimirus, Dei gratia Rex Poloniae, M. Dux Lith. etc. etc. etc. ſignificamus omnibus et ſingulis, quorum intereſt, dediſſe nos Commiſſarios noſtros plena poteſtate ac mandatis iuſtructos ad tractandum, interueniente mediatione Chriſtianiſſimi Regis, de pace perpetua cum Sereniſſimo ac Potent. Principe ac Dno, Dno Carolo, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rege et Principe hereditario, M. Principe Finlandiae etc. etc. etc. Conſanguineo noſtro, et Regno Sueciae: qui congreſſi cum Serenitatis eius et Regni Sueciae Commiſſariis, ſequentia pacta, vti verbotenus infra ſunt expreſſa et inſerta, inierunt, ſtatuerunt et concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Ioannes Caſimirus, Rex Poloniae, M. Dux Lith. etc. etc. etc. promittimus et recipimus nomine noſtro, ſucceſſorum ac poſterorum noſtrorum, et Reip. Polonae, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona et Regia fide adprobare, laudare et ratihabere, ſicuti hiſce adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtratibus aut aliis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo Regni noſtri muniri iuſſimus. Quae dabantur die — menſe — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſexageſimo.“

Item formula ratificationis pactorum Dnn. Delegatorum Reipublicae Polonae. — “Nos Senatores et Commiſſarii Lege Comitiali a Republ.

Digitized by Google

Republ. Polona delegati, conſtare volumus, quorum intereſt, vniuerſis et ſingulis, quod quum Dnn. S. R. M. Dn. noſtri Clementiſſimi et Reip. Commiſſarii ad tractatus pacis perpetuae inter vtraſque Reg. MM. et inclita Regna Poloniae et Sueciae, virtute poteſtatis, tum S. R. M. tum a Rep. nobis factae, cum Dnn. Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae Commiſſariis, in certa pacta et leges perpetuae pacis, conuenerunt, quorum tenor eſt, qui ſequitur. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Senatores et Commiſſarii Lege Comitiali a Rep. Polona delegati promittimus et recipimus, vi poteſtatis nobis a Republica conceſſae, nomine eiuſdem, nos omnia et ſingula capita, pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, adprobare et ratihabere, ſicuti vigore quoque praeſentium adprobamus et ratihabemus; nec paſſuros, vt ab vllo, quouis modo, violentur, prouti ipſimet Status et Ordines Regni Poloniae Magnique D. Lith. in proximis Comitiis Regni generalibus, primo quoque tempore celebrandis, haec ipſa pacta ſollemniter adprobaturi, et confecto Inſtrumento ratificaturi, nec non ceſſionem Liuoniae Septentrionalis peculiari diplomate confirmaturi ſunt. In quorum maius robur" etc.

Formula Ratificationis Reipublicae Polonae.

Nos Status et Ordines Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae, notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, dediſſe nos Dnn. S. R. M. Dn. noſtri Clementiſſimi, et publico conſenſu auctoritateque Comitiali deputatis Reip. Commiſſariis in mandatis, vt, interueniente mediatione Chriſtianiſſimi Regis, de pace perpetua inter vtraſque Reg. MM. et inclita Regna Poloniae et Sueciae tractarent: qui ſequentia pacta, vti verbotenus infra ſunt expreſſa et inſerta, inierunt, ſtatuerunt et concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Status et Ordines Regni Poloniae Magnique D. Lithuaniae promittimus et recipimus, nos omnia et ſingula capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta ac comprehenſa, bona fide adprobare et ratihabere, ſicut hiſce adprobamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtratibus aut aliis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem praeſentes, manibus Senatorum nec non Mareſchalli Nunciorum Terreſtrium, ad Comitia Regni generalia congregatorum, nomine Equeſtris

Ordinis

Digitized by Google

Ordinis ſubſcriptas, et ſigillo Illuſtriſſ. et Reuerendiſſ. Dn. Archiepiſcopi Gneſnenſis, Regni Poloniae Primatis Primique Principis, munitas. Datum Varſauiae, in Comitiis Regni Generalibus, die — menſe — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſexageſimo.“

Formula Ratificationis Imperatoriae.

Leopoldus, Diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator, Semper Auguſtus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae Rex, Archidux Auſtriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Morauiae, Dux Lucemburgiae ac ſuperioris et inferioris Sileſiae, Wirtembergae ac Teckae, Princeps Sueuiae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Feretis, Kyburgi et Goritiae, Landgrauius Alſatiae, Marchio S. R. Imperii, Burgouiae, ac ſuperioris et inferioris Luſatiae, Dn. Marchiae Slauonicae, Portus Naonis et Salinarum etc. ſignificamus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, quod quum Commiſſarios noſtros plena poteſtate ac mandatis inſtructos deputauerimus, vt in tractatibus pacis perpetuae inter Sereniſſimos ac Potentiſſimos Reges Regnaque Sueciae et Poloniae, in Pruſſia inſtitutis, tractarent itidem noſtro nomine negotia pacis perpetuae cum Sereniſſ. Potentiſſimoque Principe ac Dno, Dno Carolo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege, Magno Principe Finlandiae, Duce Scaniae, Eſthoniae, Liuoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae, Principe Rugiae, Dno Ingriae et Viſmariae, nec non Comite Palatino Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Duce etc. et Regno Sueciae ineunda: qui congreſſi cum Serenitatis eius et Regni Sueciae Commiſſariis in ſequentia pacta, vti verbotenus infra hic ſunt inſerta et expreſſa, inierunt, ſtatuerunt ac concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Leopoldus promittimus et recipimus nomine noſtro, heredum ac ſucceſſorum noſtrorum, Nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona, Imperiali ac Regia fide adprobare, laudare et ratihabere, prouti hiſce quoque adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtratibus aut aliis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem

ac

Digitized by Google

ac certitudinem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo noſtro Imperiali communiri iuſſimus. Quae dabantur in ciuitate noſtra Vienna, die — menſis — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo, Regnorum noſtrorum Romani ſecundo, Hungariae quinto, Bohemici vero quarto.

Dnn. Legati Polonici haec notata remittunt in ſchedula. In ratificatione Regia Polonica, omittatur, *Principe Hereditario:* addatur *Dei gratia:* omittatur *aut aliis:* omittatur *quae.* In ratificatione Delegatorum initium fiat: *Nos Senatores et Equeſtris Ordinis a Rep. Poloniae Lege Comitiali delegati Commiſſarii:* addatur *Illuſtriſſ. Domini:* ponatur *a S. R. M. et a Rep. nobis:* adde *cum Illuſtriſſ.* Mutandum, vt in initio. Adde, *iuxta Conſtitutionem Anni 1659.* Poſt *vllo:* adde *Reip. membro aut ſubdito.* Poſt *violentur*, deleantur omnia, et ponatur: *Cauemuſque et promittimus, diplomata Ratificationis huius Tractatus Pacis, tam S. R. M. quam hoc noſtrum, in proximis Comitiis Regni, Conſtitutionibus et Volumini Legum noſtrarum inſertum iri.* Quas notas vbi perlegiſſet Legatio noſtra, titulum Principis Hereditarii nulla ratione deleri aut expungi poſſe declarat; in reliquis Formula ratificationis Regiae Polonicae ita mutatur: "Ioannes Caſimirus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae etc. etc. etc. ſignificamus omnibus et ſingulis, quorum intereſt, dediſſe nos Commiſſarios noſtros plena poteſtate ac mandatis inſtructos ad tractandum, interueniente Mediatione Chriſtianiſſimi Regis, de pace perpetua cum Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principe ac Dno, Dn. Carolo, Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege et Principe Hereditario, Magno Principe Finlandiae etc. etc. etc. Conſanguineo noſtro, et Regno Sueciae: qui congreſſi cum Serenitatis Eius et Regni Sueciae Commiſſariis, ſequentia pacta, vti verbotenus infra ſunt expreſſa et inſerta, inierunt, ſtatuerunt et concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Ioannes Caſimirus, eadem gratia Rex Poloniae, M. Dux Lithuaniae etc. etc. etc. promittimus et recipimus nomine noſtro, ſucceſſorum ac poſterorum noſtrorum, et Reipubl. Polonae, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona et Regia fide adprobare, laudare et ratihabere, ſicuti hiſce adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a nobis aut noſtris ac Regni Poloniae Magnique D. Lith. Vaſallis, Officialibus ac ſubditis vllo modo violari.

violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, haſce manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo Regni noſtri muniri iuſſimus. Dabantur die — menſe — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſexageſimo.“

Formula Ratificationis Dnn. Reipubl. Delegatorum ita iam concipitur: “Nos Senatores et Equeſtris Ordinis a Rep. Poloniae Lege Comitiali delegati Commiſſarii conſtare volumus, quorum intereſt, vniuerſis et ſingulis, quod quum Illuſtriſſ. Dnn. S. R. M. Dn. noſtri Clementiſſimi et Reipubl. Commiſſarii ad Tractatus Pacis perpetuae inter vtraſque Regias Maieſtates et inclita Regna Poloniae et Sueciae, virtute poteſtatis a S. R. M. tum et a Republ. nobis factae, cum Illuſtriſſ. Dnn. Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae Commiſſariis in certa pacta et leges perpetuae pacis conuenerunt, quorum tenor eſt, qui ſequitur: — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Senatores et Equeſtris Ordinis a Republ. Poloniae Lege Comitiali delegati Commiſſarii promittimus et recipimus, vi poteſtatis nobis a Republ. conceſſae, nomine eiuſdem, nos omnia et ſingula capita, pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, iuxta Conſtitutionem An. MDCLIX. adprobare et ratihabere, ſicuti vigore quoque praeſentium adprobamus et ratihabemus, nec paſſuros, vt ab vllo Reipublicae Statu, Vaſallo, Officiali aut ſubdito, quouis modo violentur: cauemuſque et promittimus, Diplomata Ratificationis huius pacis, tam S. R. M. quam hoc noſtrum, in proximis Comitiis Regni generalibus, Conſtitutionibus et Volumini Legum noſtrarum inſertum iri: in quorum maius robur etc.“ — Dnn. Legati Caeſarei haec notarunt, quae in charta ad nos perueniunt: nempe, 1) *Commiſſarios* addendum *ac Legatos.* 2) Poſt haec verba, *qui congreſſi* — in Ratificatione Suecica pro Imperatore ponatur, loco *Serenitatis eius*, Maieſtatis eius. 3) Repetitio tituli in fine ratihabitionis eſt inutilis, et inuſitata in Cancellaria Imperii. 4) *Nec paſſuros a noſtratibus aut aliis*, deleatur: vel ponatur, *aut aliis hic paciſcentibus.* Ad haec eſt Suecicae Legationis declaratio: Ad 1) adfirmant cum reciprocatione. 2) Adfirmant. Dabitur Imperatori praedicatum Maieſtatis. 3) Rogatur, vt in ipſa ratificatione ponatur S. C. M. titulus, cum abbreuiatione poſita. 4) *Nec paſſuros a nobis, aut noſtratibus, aut aliis hic paciſcentibus vllo modo violari.* Et hinc iam tale conficitur Conceptum: “Leopoldus, (tot. tit. Imp.) ſignificamus

Digitized by Google

mus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, quod quum Legatos ac Commiſſarios noſtros plena poteſtate ac mandatis inſtructos deputauerimus, vt in Tractatibus Pacis perpetuae inter Sereniſſ. ac Potentiſſ. Reges Regnaque Sueciae et Poloniae, in Pruſſia inſtitutis, tractarent itidem noſtro nomine de pace perpetua cum Sereniſſimo Potentiſſimoque Principe ac Dno, Dn. Carolo, (tot. tit. Reg. Suec.) et Regno Sueciae ineunda: qui congreſſi cum Maieſt. eius et Regni Sueciae Legatis ac Commiſſariis, inſequentia pacta, vti verbotenus infra hic ſunt inſerta et expreſſa, inierunt, ſtatuerunt ac concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Leopoldus, Electus Romanorum Imperator, S. A. Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Rex, Archidux Auſtriae etc. etc. etc. promittimus et recipimus nomine noſtro, heredum ac ſucceſſorum noſtrorum, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona, Imperiali ac Regia fide adprobare, laudare et ratihabere, prouti hiſce quoque adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a nobis, aut noſtratibus, aut aliis paciſcentibus vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, haſce manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo noſtro Imperiali communiri iuſſimus. Quae dabantur in Ciuitate noſtra Viennae, die — menſe — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo, Regnorum noſtrorum Romani ſecundo, Hungariae quinto, Bohemici vero quarto.“ — Porro Dnn. Legati noſtri quoque proiiciunt Formulam ratificationis, a S. R. M. Dn. noſtro Clementiſſimo, Imperatori dandam talem: “Nos Carolus, (tot. tit. Reg. Suec.) ſignificamus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, quod quum Legatos ac Commiſſarios noſtros plena poteſtate ac mandatis inſtructos deputauerimus, vt in Tractatibus Pacis perpetuae cum Sereniſſ. Rege et Republ. Poloniae, in Pruſſia inſtitutis, tractarent itidem noſtro nomine, de pace perpetua cum Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principe ac Dno, Dn. Leopoldo, (tot. tit. Imp.) ineunda: qui congreſſi cum Maieſtatis eius Legatis ac Commiſſariis, ſequentia pacta, vti verbotenus infra hic ſunt inſerta et expreſſa, inierunt, ſtatuerunt ac concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Carolus, Dei gratia, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex et Princeps Hereditarius, Magnus Princeps Finlandiae etc. etc. etc. promittimus et recipimus nomine noſtro, here-

Digitized by Google

dum ac ſucceſſorum noſtrorum, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona ac Regia fide adprobare, laudare et ratihabere, prouti hiſce quoque adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtratibus vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, haſce honoratiſſimae et chariſſimae Matris noſtrae et Regni noſtri Adminiſtratorum manibus ſubſcriptas, ſigilloque Regni noſtri corroboratas extradi iuſſimus. Dabantur "—

Similiter data ſunt a nobis Dn. Mediatori ad ordinem, ſiue Methodum Articulorum in Inſtr. Pacis monita. — *Polonici*: 1) Introitus. 2) Punctum amicitiae. 3) P. amneſtiae. 4) P. renunciationis Sueciae, et §. de titulis. 5) Ceſſio Liuoniae Septentrionalis, ad Conceptum d. $\frac{1\ \text{Maii.}}{21\ \text{April.}}$ conuentum. 6) Tituli Prouinciales, et de Religione Catholica. 7) Iudicia et decreta. 8) De Liuonia Auſtrali. 9) De ſubditis fugitiuis et exulibus atque expulſis e Liuonia. 10) Signa nautica in Domeſnes. 11) Controuerſiae limitum. 12) Liberatio Ducis Curlandiae. 13) Diplomata et ſcripturae, atque inter eas Ducis Curlandiae, reſtituantur vel aboleantur. 14) Reſtitutio vrbium Pruſſiae, et de emigratione ciuium Pruſſiae etc. 15) De modo deductionis et ſuſtentationis. 16) Debita. 19) Depoſita ac bona mobilia. 18) Tormenta bellica. 19) De captiuis per diuerſas prouincias, et de captiuis in Tataria. 20) Communia etc. 21) Eliberatio Comitis a Koenigſmark. 22) Bona Radziuiliana. 23) Corpora mortuorum. 24) De ſatisfactione Ducis Croyani, Comitis Dohna, et Gyldenſtern. 25) De reſtitutione gregariorum militum Praeſidii Strasburgenſis. — *Imperiales*: 26) Amicitia, amneſtia, reſtitutio locorum, pacta. 27) Captiui apud Imperiales. — *Brandeburgici*: 28) Amicitia et amneſtia. 29) Reſtitutio locorum in Pomerania et Holſatia. 30) Caſſatio pactorum inter Sueciam et Electorem Brandeb. 31) Captiui apud Brandeb. 32) Debita. 33) Commercia. — *Communes*: 34) Ceſſatio hoſtilitatis, et ſuſpenſio contributionis atque exactionum bellicarum in Pruſſia et Pomerania Regia. 35) Armiſtitium mox a ſubſcripto hoc Articulo publicandum. 36) Incluſio Daniae. 37) Incluſio Principis Rakocii, a parte Sueciae. 38) Incluſio Principum aliorum. 39) Modus et ordo ratificandi et extradendi. 40) Guarantia communis. 41) Guarantia Regis Chriſtianiſſimi. Epilogus.

Arti-

Digitized by Google

Articulum de deductione militum ita conceperamus: "Deductio militiae Suecicae vna cum bellicis tormentis maioribus et minoribus, iuxta factam hic ſuperius conuentionem, nec non cum impedimentis fiet Elbinga, diuerſis vicibus, dato eidem libero et innoxio tranſitu per Habum ad portum Pillauienſem, et inde ad naues, quas milites conſcenſuri, et ad ditiones Suecicas ituri ſunt. Imponetur autem dicta militia circa deductionem nauibus Elbinganis, et ſi illae non ſufficicant, tum nauibus adiacentium territoriorum aliorum, ſine aliquo pretio. Communicabit etiam Praefectus militiae Suecicae et conueniet cum Praefecto militiae Electoralis, aut eius locum tenente, de modo tranſitus per dictum portum Pillauienſem: et fiat de cetero eiuſmodi deductio ſine damno et noxa ſubditorum in Pruſſia tam Polonicorum, quam Electoralium. Quod ſi, per periculum belli, maritimo itineri militia ſe tuto committere nequeat, ſed terreſtri in Pomeraniam vel Liuoniam ſe conferre neceſſe habeat, Sereniſſ. Rex ac Reſpubl. Poloniae eiuſque Colligati militiae iter promoueant neceſſario victu, curribus et equis, eamque cum impedimentis, ſufficientibus copiis militaribus in Pomeraniam vel Liuoniam ſaluiconducant." Sed quum Dnn. Poloni praecipue clauſulam vltimam admittere nollent, poſt longam inſtantiam hora duodecima noctis, ad notas eorum, hoc modo mutatus eſt iſte Articulus: "Deductio militiae Suecicae vna cum bellicis tormentis maioribus et minoribus, iuxta factam hic ſuperius conuentionem, nec non cum impedimentis, fiet Elbinga diuerſis vicibus, intra tamen definitum tempus, dato eidem libero et innoxio tranſitu per Habum ad Portum Pillauienſem, et inde ad naues proprias, quas milites conſcenſuri, et ad ditiones Suecicas ituri ſunt. Imponetur autem dicta militia circa deductionem nauibus Elbinganis, et ſi illae non ſufficiant, tum nauibus adiacentium territoriorum aliorum, ſine aliquo pretio. Communicabit etiam Praefectus militiae Suecicae et conueniet cum Praefecto militiae Electoralis, aut eius locum tenente, de modo tranſitus per dictum portum Pillauienſem: et fiat de cetero eiuſmodi deductio ſine damno et noxa ſubditorum in Pruſſia tam Polonicorum, quam Electoralium. Quod ſi, per periculum belli, maritimo itineri militia ſeſe committere tuto nequeat, liber illi et innoxius tranſitus per terram, quam breuiſſimo itinere, in ditiones iuris Suecici proximas,

ximas, ſine damno incolarum, Reipubl. Poloniae et Sereniſſ. Electori Brandeburgico ſubiectorum, deducentibus Commiſſariis Ser. Regis Poloniae et Electoris Brandeburgici, concedi debet; iuſtitia vero per Praefectos indilate bona fide adminiſtretur damna et iniuriam paſſis."

Sequitur Articulus ſeparatus de mutuo Dantiſcano, qualem nos hac vice concepimus. "Quum in pactis et Inſtrumento Pacis conuentum, vt deductio militiae Suecicae fiat Elbinga per portum Pillauienſem, eademque pariter ac ſuſtentatio eius praeſtetur ſine damno et noxa ſubditorum, tum S. R. M. Poloniae, tum Ser. Electoris Brandeburgici, ita vt, ceſſantibus eodem tempore et vna cum ceſſatione hoſtilitatis omnibus contributionibus aliiſue exactionibus bellicis, non modo in Pruſſia, ſed et in Pomerania Regia, nihil ex alimentatione militiae vel Sueciae, vel Caeſareae et Elector. Brandeb. ſubditis et incolis Pruſſiae vel Pomeraniae poſt concluſam et ſubſcriptam pacem accreſcat: ideo Dnn. Commiſſarii Polonici pollicentur Dnn. Commiſſariis Suecicis operam ſuam, illico poſt ſubſcriptam pacem efficiendi, vt Ciuitas Gedanenſis mutuum det quadraginta millia thalerorum Imperialium: quam quidem ſummam pecuniariam Suecia ſex menſibus a die numeratae pecuniae, dataeque mutuae vtriuſque partis paciſcentis Commiſſariorum obligationis, rite ſolutura eſt." Quumque Praeſidium Strasburgicum nondum adhuc plenarie reſtitutum fuiſſet, eius cauſſa quoque Dn. Mediator rogatur, vt apud Dnn. Polonos rem iſtam vrgeat, daturque in charta poſtulatum tale: "Miles gregarius Praeſidii Strasburgici hactenus detentus, et ſi qui adhuc reſtant Officiariorum, ſtatim a ſubſcripta pace cum tormentis, quae ſecum habuerunt, re armamentaria reliqua, et omnibus ipſis ablatis, ſine vlla vlteriori mora liberi dimittentur, et ſimul congregati ſuis Officiariis vna cum vexillis ſuis omnibus reſtituentur." Quoad ceſſationem contributionum atque exactionum poſt concluſam pacem, ne opus ſit nouo Articulo, pars altera cenſuit, vt adponatur ad Articulum de ceſſatione hoſtilitatis aliqua clauſula. Itaque proiicitur a noſtra Legatione taliſmodi: "Vt vero ſubditi tum Pruſſiae, tum Pomeraniae Regiae, concluſa pace eiuſque fructibus actutum gaudeant, ceſſent eodem tempore et vna cum omnibus hoſtilitatis actibus, tum in Pruſſia, tum in Pomerania Regali, omnes adeo contributiones et exactiones bellicae, nec ſubditi vtriuſ-

que

Digitized by Google

que prouinciae memoratae iis amplius grauentur, aut ad praeſtandam ſuſtentationem et alimentationem praeſidiorum et militiae tum Suecicae, tum Caeſarianae et Elector. Brandeburgicae, reſpectiue in Pruſſia et Pomerania Regia ex ceſſatione hoſtilitatis obſtricti ſint."

Siquidem de pace iam nullum fere ſupereſſet dubium, Dnn. Legatorum noſtrorum Excellentiae admodum conducibile Praeſidiis noſtris in Pruſſia, cum primis Elbingenſi, extremis in anguſtiis verſanti, iudicarunt, vt armiſtitium exnunc concludatur; ideoque cum Dn. Mediatore rem illam communicant, iam ante quoque ipſi propoſitam; qui quum adnuiſſet, proiicitur Articulus hoc modo: "Quum iam de felici pacis concluſione non dubitetur amplius, ideo conuentum eſt, vt ab hac die ſit armiſtitium, omniſque hoſtilitas (cuius alias quarta demum die a ſubſcripta pace fieri initium debebat,) in Pruſſia ceſſet, ac poſtarum litterarumque, vt et mercaturae, peregrinationis et agriculturae commercium et facultas ſecura, tuta et libera detur. Proindeque id ſtatim, poſtquam ſubſcriptus erit hic Articulus, omnium partium Generalibus et Officiariis in Pruſſia notificabitur, et ſine mora vbiuis publicabitur." Qui Articulus quum perlectus eſſet Dn. Mediatore praeſente, illoque iudicante, ne ponatur dubioſe pacis concluſio, ſic mutatur, et ipſi traditur: "Quum iam Diuina adſpirante gratia eo tractatus pacis deuenti ſint, vt pax inter omnes paciſcentes concluſa ſit: ideo conuentum eſt, vt ab hac die ſit armiſtitium, omniſque hoſtilitas (cuius alias quarta demum die a ſollemni ſubſcriptione Inſtrumentorum Pacis fieri initium debebat,) in Pruſſia ceſſet, ac poſtarum litterarumque, vt et mercaturae, peregrinationis et agriculturae commercium et facultas ſecura, tuta et libera detur. Et proinde id ſtatim, poſtquam ſubſcriptus erit hic Articulus, omnium partium Generalibus et Officiariis in Pruſſia hoc ipſum notificabitur, et ſine mora vbiuis publicabitur." Propoſuerat pars altera cautionem, ſeu Reuerſales Holſatiae Ducis, quas noſtra Legatio mitiori nomine *Declarationem* adpellat, de nouo iſtiuſmodi: "Nos N. N. Holſatiae, Stormariae et Ditmarſiae Dux etc. notum teſtatumque facimus, quod quum pace inter hactenus belligerantes Oliuae, die — Anno 1660. inita de reſtituendis locis ad nos ſpectantibus cautum ſit, nos ſpeciali hoc Reuerſalium diplomate, honore Principis, et verbo veritatis Chri-

Chriſtianae, promittimus, ſtipulamur et cauemus, quoad fieri poteſt validiſſime, nos ob bellum geſtum in prouinciis noſtris et inde perpeſſa damna, nulla ratione, clam vel palam, directe vel indirecte, per nos vel per alios, contra S. C. M. Imperium eiuſque Regna, terras atque prouincias, tum quoque S. Serenit. Elect. Brand. eiuſque terras et prouincias, nihil vmquam, ſiue in Imperio Romano, ſiue extra illud, expeditionis praedictae cauſſa, ſiue iudicialiter, ſiue extraiudicialiter moturos, aut ſatisfactionem vel damnorum compenſationem petituros, ſed omnino pacta inter S. Serenittatem Elect. cum Parente noſtro, piae memoriae, inita, in omnibus punctis et clauſulis obſeruaturos. Dabantur" — Accipi a nobis noluit haec Formula: praeprimis clauſula finalis, *ſed omnino pacta* etc.° vt inſeratur, Suae Excellentiae ſibi perſuaderi non ſunt paſſae, proindeque Dn. Legatus Gyldenklau tali Concepto dictam cautionem, vel declarationem, de non praeiudicando exprimit, quam vbi Collegium adprobaſſet, illa Dn. Mediatori traditur. "Nos N. N. Dei gratia Heres Noruegiae, Dux Sleſuici, Holſatiae, Stormariae et Ditmarſiae, Comes in Oldenburg et Delmenhorſt etc. Notum teſtatumque facimus, quod quum pace inter Sereniſſ. Regem Poloniae, eiuſque Foederatos, vtpote S. C. M. et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum ex vna, et Sereniſſ. Regem Sueciae ex altera parte inita, de reſtituendis vno poſt commutatas pactorum ratificationes menſe locis et ditionibus ad nos ſpectantibus cautum ſit, nos ob bellum geſtum in prouinciis noſtris et inde perpeſſa damna, nulla ratione, clam vel palam, directe vel indirecte, via iuris vel facti, per nos vel per alios, contra praetactam S. C. M. eiuſque Regna, terras ac prouincias, et Sereniſſ. Regem Remquepublicam Poloniae, tum quoque Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum, eiuſque terras et prouincias, nihil vmquam in Imperio Romano vel extra illud, belli iſtius et expeditionis praedictae cauſſa moturos, aut aliquid poſtulaturos. In quorum fidem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo noſtro Ducali roborari fecimus.

° Pacta intelliguntur, inter Fridericum Vuilhelmum, Brandeburgi Electorem, et Fridericum III. Ducem Holſatiae, die XV. Nouembr. Anno ſuperioris ſeculi octauo et quinquageſimo inita. Ex his nonnulla deſcripſit PVFENDORFIVS Rer. Brandeburg. Lib. VII. §. 69. pag. 452. quae quidem ad res, vt erant tunc, minime quadrabant. Is autem Fridericus ſequenti anno fatis conceſſerat,

mus. Dabantur" — Rediens Dn. Mediator refert, illos petere, vt ante verba, *poſtulaturos* etc. inſerantur iſta: *a praenominatis paciſcentibus hoc nomine.* Conſentiunt Dnn. Legati noſtri, et rogant Dn. Legatum Mediatorem, quo tandem et haec res finiatur. Subſcripta eſt igitur haec Cautio a Secretario Legationis Brandeburgicae.[**] Dn. Legatus Gyldenklauius monuit, vt dentur litterae ad Celſiſſimum Holſatiae Ducem, tranſmittaturque Copia iſtius Cautionis, ſeu Reuerſalium, vel, vti nos vocamus, *Declarationis*, vna cum aliis ipſum concernentibus Articulis. Id quod et Dnn. Comites adprobant, ſimulque mandatur, vt fiat prima quoque occaſione emergente: ſiquidem Articuli de ceſſatione hoſtilitatis nullus effectus futurus ſit, ante concluſam et ſubſcriptam Pacem. Pertractata haec ſunt in hoc congreſſu, ſed nondum ad finem omnia perducta, praeterquam quod Articulus, ſeu potius §. *Nemini quoque* etc. adpoſitus Articulo Amneſtiae Electoralis, ceu ſupra mentionem fecit Protocollum, ſubſcriptus eſt: item quod Poloni quoque, vt aeque ſupra videri poteſt, Introitum ſubſcripſerunt: item ſubſcripta eſt Ducis Holſatiae Cautio, ſeu de non vindicando Declaratio, vt hic ſupra habet Protocollum: item Articulum de militum deductione, qui hactenus ſecundum tempus primae ſubſcriptionis eſt ordine 48. tandem complanant et ſubſcribunt, vt habet hic ſupra Conceptum nouiſſimum, deleta tantum voce, *ſuperius*, poſt verba, *iuxta factam hic:* atque poſt verba, *intra tamen definitum tempus*, additis vocibus, *permutationis ratihabitionum et euacuationis Elbingae:* id quod maxime vrſit Electoralis Legatio. Ceterum hac die quoque denuo reuiſi ſunt Articuli, de ceſſione Liuoniae, No. 6. et renunciationis Regis Poloniae in Sueciam ſeptimus, inſerenturque Inſtrumento Pacis cum extenſionibus.[***] — Coepit diluceſcere dies $\frac{23}{3}$ $\frac{\text{April.}}{\text{Maii}}$ et placuit omnibus quietem capere, continuareque hora decima antemeridiana congreſſum. Itaque euntes nos Sobothum aurora excepit.

Actum

rat, relicto ditionum herede filio, Chriſtiano Alberto: cuius de litteris Reuerſalibus, vt vocant, hoc loco agitur.

** Nos vero Formulam hanc omnino

omittimus, quippe non diuerſam ab ea, quae a nobis edita eſt, in Actis Publicis Pacific. No. LXIII. p. 153.

*** Vid. INSTR. PAC. Art. III. et IV.

Digitized by Google

Actum Oliuae d. $\frac{3 \text{ Maii}}{23 \text{ April.}}$ horis a X antemerid. vſque ad dimid. 1 noctis.

Abſente propter aegritudinem Dn. Legato Gyldenklau. Dederamus quoque praeterito diluculo proiectam Formulam ratificationis Electoralis pro Suecia talem: "Fridericus Wilhelmus, Dei gratia Marchio Brandeburgenſis, S. R. Imperii Archi-Camerarius et Princeps Elector, Magdeburgi, Pruſſiae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnae et Carnouiae Dux, Burggrauius Norimbergenſis, Princeps Halberſtadii et Mindae, Comes Marcae et Rauensbergi, Dnus in Rauenſtein, notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, quod quum Commiſſarios noſtros plena poteſtate ac mandatis inſtructos deputauerimus, vt in tractatibus pacis perpetuae inter Sereniſſ. ac Potentiſſ. Reges Regnaque Sueciae et Poloniae, in Pruſſia inſtitutis, tractarent itidem nomine noſtro de pace perpetua cum Sereniſſ. Potentiſſimoque Principe ac Dno, Dno Carolo, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rege, M. Principe Finlandiae, Duce Scaniae, Eſthoniae, Liuoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae, Principe Rugiae, Dno Ingriae et Viſmariae, nec non Comite Palatino Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Duce etc. et Regno Sueciae ineunda: qui congreſſi cum Maieſtatis Eius et Regni Sueciae Commiſſariis, ſequentia pacta, vti verbotenus infra hic ſunt inſerta et expreſſa, inierunt, ſtatuerunt ac concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Fridericus Wilhelmus, Marchio Brandeburgenſis, (inſeratur integer titulus) promittimus et recipimus nomine noſtro, heredum ac ſucceſſorum noſtrorum, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, bona et Electorali fide adprobare, laudare et ratihabere, prouti hiſce quoque adprobamus*, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtratibus aut aliis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem haſce manu noſtra

* In ora exempli, quod ad me eſt humaniſſime tranſmiſſum, verba haec adiecta ſunt: "Haec Formula quidem $\frac{23 \text{ April.}}{3 \text{ Maii.}}$ ita eſt ſubſcripta, niſi quod in noſtro exemplari exſtat, ſecundum ſtilum Curiae noſtrae Suecicae, *Magnus Princeps*

ſtra ſubſcripſimus, et ſigillo noſtro Electorali communiri iuſſimus. Datum Coloniae ad Spream, die -- menſe -- Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo.“ Dnn. Electorales contra conceperunt Formulam ratificationis, quae inter alia habet, *Alte memorati Sereniſſimi Regis*, pro *Maieſtatis Eius*. Reſpondit autem Legatio Suecica per Dn. Mediatorem, quod maneat *Maieſtatis:* alias vbi negaret hoc Regi noſtro, nos Serenitatis praedicatum non daturos. Deinde iidem noluerunt concedere S. R. M. titulum *Iuliaci*, *Cliuiae et Montium*. Nos itaque viciſſim eundem titulum Sereniſſ. Electori tribuere haud volumus. Conuentum eſt, vt vtatur de ſe loquens: alteri vero non dare vtrique liceat. Mutatur Proiectum noſtrum, ſecundum Electoralium Conceptum, retento *Maieſtatis* praedicato.

Datur etiam Proiectum Formulae ratificationis Regiae Suecicae, pro Rege Poloniae tale:* “Carolus, Dei gratia Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex et Princeps Hereditarius, M. Princeps Finlandiae etc. etc. etc. ſignificamus omnibus et ſingulis, quorum intereſt, dediſſe nos Commiſſarios noſtros plena poteſtate ac mandatis inſtructos ad tractandum, interueniente mediatione Chriſtianiſſimi Regis, de pace perpetua cum Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principe ac Dno, Dno Ioanne Caſimiro, Rege Poloniae, M. Duce Lithuaniae etc. etc. etc. Conſanguineo noſtro, et Regno ac Republ. Poloniae: qui congreſſi cum Serenitatis eius et Reipubl. Commiſſariis ſequentia pacta, vti verbotenus infra ſunt expreſſa et inſerta, inierunt, ſtatuerunt et concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Carolus, eadem gratia, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex et Princeps Hereditarius, Magnus Princeps Finlandiae, etc. etc. etc. promittimus et recipimus nomine noſtro, ſucceſſorum ac poſterorum noſtrorum, et Regni Sueciae, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona et Regia fide adprobare, laudare et ratihabere, ſicuti hiſce adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtris, ac Regni Sueciae Vaſallis, Officialibus ac ſubditis vllo modo violari. In quorum

ceps Finlandiae; in illo vero, quod Poloni ſubſcripſerunt, in ingreſſu poſitum eſt *Magnus Dux* etc. Id quod per feſtinationem non fuit animaduerſum; ſed in aliis etiam deinde mutatum eſt. Vid. infra Protocoll. $\frac{26 \text{ April.}}{6 \text{ Maii}}$ et 18 eiuſd.“

rum fidem ac certitudinem maiorem, haſce manu honoratiſſimae et chariſſimae Matris noſtrae, nec non noſtrorum Regnique noſtri Senatorum ſubſcriptas, Regni noſtri ſigillo muniri iuſſimus. Dabantur die — menſe — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſexageſimo." Quod Proiectum quoque fuit hodie ſubſcriptum. Ad Formulam ratificationis Regiae Poloniae pro Suecia, vti et Formulam ratificationis pactorum Dnn. Delegatorum Sereniſſ. Regis et Reipubl. Polonae pauca monuerunt Dnn. Legati Polonici. Itaque pauca quoque opus fuit immutari: velut ex ſubiectis hic denuo Conceptis 1. et 2. eſt cernere.

1) Ioannes Caſimirus, Dei gratia Rex Poloniae, M. Dux Lithuaniae etc. etc. etc. ſignificamus omnibus et ſingulis, quorum intereſt, dediſſe nos Commiſſarios noſtros plena poteſtate et mandatis inſtructos ad tractandum, interueniente mediatione Chriſtianiſſimi Regis, de pace perpetua cum Sereniſſ. ac Potentiſſ. Principe ac Dno, Dno Carolo, Dei gratia Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rege et Principe Hereditario, M. Principe Finlandiae etc. etc. etc. Conſanguineo noſtro, et Regno Succiae, qui congreſſi cum Serenitatis eius et Regni Sueciae Commiſſariis, ſequentia pacta, vti verbotenus infra ſunt expreſſa et inſerta, inierunt, ſtatuerunt et concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Ioannes Caſimirus, eadem gratia Rex Poloniae, M. Dux Lithuaniae etc. etc. etc. promittimus et recipimus nomine noſtro, ſucceſſorum ac poſterorum noſtrorum, et Reipubl. Polonae, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis inſerta et comprehenſa, bona et Regia fide adprobare, laudare et ratihabere, ſicuti hiſce adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtris ac Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae Vaſallis, Officialibus ac ſubditis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, et ſigillo Regni noſtri muniri iuſſimus. Dabantur die — menſe — Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſexageſimo.

2) Nos Senatores et Equeſtris Ordinis a Sereniſſ. Rege et Republ. Poloniae Lege Comitiali delegati Commiſſarii conſtare volumus, quorum intereſt, vniuerſis et ſingulis, quod quum Illuſtriſſ. Dnn. S. R. M. Dn. noſtri Clementiſſimi et Reipubl. Commiſſarii ad Tractatus Pacis perpetuae inter vtraſque Regias MM. et inclita Regna Sueciae et Polo-

Digitized by Google

Poloniae, virtute poteſtatis a S. R. M. tum et a Republ. nobis factae, cum Illuſtriſſ. Dnn. Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae Commiſſariis in certa pacta et leges perpetuae pacis conuenerunt, quorum tenor eſt, qui ſequitur. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Senatores et Equeſtris Ordinis a Sereniſſ. Rege et Republ. Poloniae Lege Comitiali delegati Commiſſarii, promittimus et recipimus, vi poteſtatis nobis a Republ. conceſſae, nomine eiuſdem, nos omnia et ſingula capita, pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, iuxta Conſtitutionem An. MDCLIX. adprobare et ratihabere, ſicuti vigore quoque praeſentium adprobamus et ratihabemus; nec paſſuros, vt ab vllo Reipubl. Statu, Vaſallo, Officiali aut ſubdito quouis modo violentur. Cauemuſque et promittimus diplomata ratificationis huius pacis, tam S. R. M. quam hoc noſtrum, in proximis Comitiis Regni generalibus, Conſtitutionibus et Voluminì Legum noſtrarum inſertum iri. In quorum maius robur etc.“

Subſcriptus eſt a noſtra Suecicae Legationis parte $\frac{21\ \text{April.}}{1\ \text{Maii}}$ Articulus, de exauctoratione militum in Imperio: ſed nondum hoc factum a parte altera. Eum igitur per Secretarium Legationis Brandeburgicum hodie ſubſcriptum, vti in Protocollo diei modo dicti inſertus eſt,* et Dn. Mediator reſtituit, et facta illius commutatio extemplo fuit. De mercium defluitatione per Viſtulam in flumen Nogath, deque non grauanda nouis teloneis aut vectigalibus Elbinga, itemque Hoefftii (Hauptii) demolitione proieceramus Articulum: “Defluitatio mercium e Polonia per Viſtulam in flumen Nogath ad Elbingam, non impediatur, ſed potius cum debito, et vigore Commiſſionis de An. MDCXII. competente triente aquarum iſtius fluminis ad facilitandam defluitationem promoueatur. Nec noua vlla telonea terreſtria vel aquatica, aliaue onera cuiuſcumque generis, mercibus ad Elbingam deuehendis imponantur. Hoefftium autem ſolo aequetur.“ Quum autem Inſtrumento Pacis inſerendum nihil hac de re admittere vellent Dnn. Poloni et Electorales, nihilominus tamen promitterent, ſe vel extra hoc rationem iſtius poſtulati habituros: ab hac ſollicitatione inuoluta ſilentio abſtinuit Legatio Suecica, et cancellatum lineis traductis Conceptum hoc caſſatum eſt, mandatumque, hanc partis alte-

 rius

* Vid. ſupra ad d. d. pag. 276.

rius per Dn. Mediatorem factam oretenus declarationem Protocollo adnotare. Elbingenſes Deputati petunt, ſi Poloni et Electorales Inſtrumento publico defluitationem, et demolitionem fortalitii Hoeſtt, Inſtrumento Pacis inſerere nolint, fiat id in Articulo ſeparato. Dn. Regni Theſaurarius: Nihil, quod ad vtilitatem atque emolumentum huius ciuitatis vergere poſſit, Legationem Suecicam hactenus intermiſiſſe. Quum vero ad dictum Punctum Dnn. Poloni et Electorales eo, quo hic ſupra exſtat, modo ſe declaraſſent, vix aliquid amplius tentari poſſe; ex ſuperfluo tamen adhuc ſemel periculum fieri debere. Interea integrum eſſe Deputatis, vt rem ſuam ipſi quoque, rebus vti nunc ſtantibus, tam apud Dnn. Polonos, quam Brandeburgicos, agant. Illi repetitis prioribus, et pro promiſſo actis gratiis, diſcedunt, acceſſuri Dn. Regni Poloniae Magnum Cancellarium, et negotium de meliori commendaturi. Quum rediiſſet Dn. Mediator, Dn. Regni Theſaurarius ipſi praefatum negotium de nouo commendat; rogantque Dnn. Legati, vt, ſi poſſibile, promoueat. Ille diſſuaſit, vt reaſſumatur, quum omni ſit cariturum effectu: quin potius vrget, quo ad finem perducantur neceſſaria, ſiquidem Rex hodie quidem, ſi ſpes ſit concludi hodie pacem poſſe, iter dilaturus ſit; craſtina autem certiſſime abiturum. Ablegatus Neoburgicus ſuperuenit, et abitum Regis confirmat, ſi non hodie, cras tamen ſine mora futurum. Deinde coepit reaſſumere, quae nouiſſime acta ſint in negotio ſui Principis, et quidem quoad incluſionem.* Dn. Regni Theſaurarius ſuam et Dnn. Collegarum ſuorum operam hactenus huic negotio tributam allegat. Quum vero res in eo iam ſtatu conſiſtat, vt Dn. Ablegatus ipſe praeſens videat, Legationem Suecicam deſiderare, quid vlterius ille declaret? Ille: Se hiſce diebus, et iam modo commendaſſe Sereniſſimi Principis ſui deſiderium atque intereſſe Dnn. Legatis Suecicis; Suas Excellentias quoque zelum ſuum ſatis docuiſſe: id quod iure merito depraedicaturus ſit. Quod autem Legatio Electoralis Brandeburgica contradicat, et hinc tam a parte Suecica, quam Polonica, incluſio fieri nequeat, ad locum debitum remitti. Interea ſe repetere petitum ſuum de dando Atteſtato, proteſtarique toties quoties, et rogare, ſi Impe-

* Conſ. PASTORIVS ad h. d. pag. 298.

Imperator aut Dn. Elector Brandeburgicus, intra tempus trium menſium incluſionibus praefinitum, aliquem includere cupiant, vt illud iiſdem a Suecia atque Polonia viciſſim ne concedatur, antequam alte memoratum Principem Palatinum Neoburgicum includi paſſi fuiſſent. Idem quoque ſollemniter proteſtatur hac de re, coram Legato Mediatore Gallico, in conclaui noſtro, praeſente. Dn. Regni Theſaurarius: Dnn. Ablegatum ſcire ipſummet, quanto deſiderio incluſionem dictam Legatio noſtra exoptaſſet. Quandoquidem autem a parte Suecica ſola fieri non poſſet, ſperare eamdem Legationem, Celſiſſimum Principem id parum ſiniſtre interpretaturum: Atteſtatum ipſi datum iri.* Ad inſtantiam alterius partis neminem includi debere, niſi incluſa prius Principis ſaepe memorati Celſitudine. Quibus ille adquieuit. Dn. Ducis Croyae negotium reaſſumitur; et ille Articulus iam ita a nobis mutatur: "De Dn. Ducis Croyani deſiderio, ratione debitorum apud Remp. Polonam, conuentum eſt, vt praedictus Dn. Dux ius ſuum Originalium obligationum productione doceat in proxime futuris Comitiis Regni generalibus, ibidemque de ſatisfactione debita ei proſpiciatur, ſaluo iure quoque Dn Ducis Curlandiae, ſi quod eidem ad praefatas ſummas pecuniarias competierit." Ac tandem ſubſcribitur hoc modo: "De Dn. Ducis Croyani deſiderio, ratione debitorum apud Remp. Polonam, ita conuentum eſt, vt praedictus Dn. Dux ius ſuum Originalium obligationum productione doceat in proxime futuris Comitiis Regni generalibus, ibidemque debita ratio eius habeatur, ſaluo quoque iure Illuſtriſſ. Ducis Curlandiae, ſi quod eidem ad praefatas ſummas pecuniarias competierit." Subſcribitur quoque: "Quum in pactis et Inſtrumento Pacis conuentum ſit, vt deductio militiae Suecicae fiat Elbinga per Portum Pillauienſem, eademque pariter ac ſuſtentatio eius praeſtetur ſine damno et noxa ſubditorum tum S. R. M. Poloniae, tum Sereniſſ. Electoris Brandeburgici, ita vt, ceſſantibus eodem tempore et vna cum ceſſatione hoſtilitatis omnibus contributionibus aliiſue exactionibus bellicis, non modo in Pruſſia, ſed et in Pomerania Regia, nihil ex alimentatione militiae vel Suecicae, vel Caeſareae,

* Conf. PASTORIVS l.c. Formulas ipſas talis profeſſionis, ex Tabulario Reip. Pol. nobis conceſſas, protulimus in Actis Publ. Pacific. No. LXI. ſq. p. 150.

reae, vel Electoralis Brandeburgicae, ſubditis et incolis Pruſſiae vel Pomeraniae poſt concluſam et ſubſcriptam pacem adcreſcat: ideo Dnn. Commiſſarii Polonici pollicentur Dnn. Commiſſariis Suecicis ſeriam operam ſuam illico poſt ſubſcriptam pacem interponendi, vt Ciuitas Gedanenſis vel priuati mutuum dent quadraginta millium thalerorum Imperialium, quam quidem ſummam pecuniariam Suecia intra ſex menſes, a die numeratae pecuniae, dataeque mutuae vtriuſque partis paciſcentis Commiſſariorum obligationis, rite ſolutura eſt." Item ſubſcribitur Articulus de dimittendis ſuperſtitibus praeſidiariis Strasburgenſibus, vna cum vexillis et tormentis duobus legionariis.* "Praeſidiarios oppidi Strasburgenſis ſuperſtites, vbicumque ſint, aut militent, intra menſem a die ſubſcripti Tractatus libere dimiſſum, tormentaque duo legionaria, vt et vexilla ſimul reſtitutum iri, caueat Polonia." Deinde conuentum eſt ſuper Articulo inſerendo ceſſationis armorum, hoc modo: "Generales praeſidii Elbingenſis in Pruſſia, ac tam Caeſarei quam Electorales in Pomerania, poſt acceptam huius armorum ceſſationis intimationem, exactam curam adhibebunt, vt vſque ad finalem Pacis exequutionem militis ſuſtentatio non amplius exigatur more hoſtili, nec vltra iuſtam et neceſſariam alimentationem prouinciae, ipſorum armis inſeſſae, adgrauentur." Sed quum ſubſcribi debuit, volebat pars altera, vt adponatur haec clauſula: "In quem finem Commiſſarii a partibus deputabuntur, qui curam ſedulam habeant, ne exorbitantiae contra hanc conuentionem fiant." Quod factum eſt, et ſubſcribitur; eſtque ſecundum ordinem ſubſcriptionis Articulorum conuentorum 53.

Reaſſumitur negotium Dohnauicum, et Articuli illius Proiecto noſtro inſeruntur, quae Dn. Chriſtophorum Delphicum in ſpecie concernunt, ita vt talis tenor: "Quoad Dnn. Comitum a Dohna poſtulatum ſummae pecuniariae, in quantum illud liquidari poterit, ſatisfactio iis dabitur a Polonia, atque eorum ratio, quoad bona immobilia in Liuonia amiſſa, in futuris Comitiis Regni habebitur. Dn. Chriſtophoro Delphico autem pro parte ſua bonorum amiſſorum ſatisfiet a Suecia. Viciſſim Dn. Baroni Sigiſmundo a Gyldenſtern, quoad bona in Regno Sueciae

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 297 ſq.

ciae, vel illi ſubiectis prouinciis, praetenſa, itidem ratio habebitur." Articulus de incluſione Principum generalis complanatur hoc modo: "Si qui Regum, Principum, nec non Rerump. ac Statuum amicorum hiſce pactis ex omni parte paciſcentium includi voluerint, ſit ipſis eius facultas, modo ſe ad iſta intra ſex abhinc menſes declarauerint, et id conſenſu omnium partium fiat." Idemque ſubſcribitur, niſi quod pro verbis, *ex omni parte paciſcentium*, ponitur: *a quacumque parte paciſcentium.* Articulus Dohnauicus hoc modo complanatur, et ſubſcribitur. "Quoad Dnn. Comitum a Dohna poſtulatum et debitum apud Remp. Poloniae, in quantum illud liquidari poterit, iuſta eorum ratio futuris Regni Comitiis habebitur. Habebitur quoque aequa ratio a Suecia Dn. Baronis Sigiſmundi a Gyldenſtern, quoad bona in Regno Sueciae, vel illi ſubiectis prouinciis, praetenſa."

Declinabat dies, maioreſque coeperunt cadere de montibus vmbrae, quibus totus ab altero latere ſtipatur locus Oliuenſis, quum Dn. Mediator proponeret, vt fieret Articulus, cuius vigore pax facta promulgaretur, omniaque hactenus conuenta, et per manus Secretariorum Legationum ſubſcripta, et inter partes commutata, Inſtrumento Pacis, nihil niſi de conſenſu partium mutando, adprobarentur, atque inſerenda declararentur. Placuit omnibus, et quo magis irruebat nocturnum tempus, eo auidius omnium animi adſpirabant aurorae iamiam oriturae pacis. Proiicitur itaque taliſmodi, et aliquot horis hunc in modum elaboratur: "Quum iam, diuina adſpirante gratia, eo Tractatus Pacis deducti, et omnes Articuli numero — finiti, adprobati ac manu Secretariorum Legationum ſubſcripti, ac inter partes commutati ſint: ideo nos infra ſcripti Commiſſarii ac Legati Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae eos omnes nunc quoque ratihabemus Articulos, eoſque omnes numero dicto, prout a Secretariis ſubſcripti ſunt, nihil niſi de conſenſu partium ad illos, vel in illis, addendo aut demendo, vel mutando, in Inſtrumentum Pacis inſcribendas, et ab omnibus ſubſcribendas eſſe declaramus, atque a ſubſcriptione huius Articuli pacem factam promulgamus: incipiatque ab hac die et ſit armiſtitium, atque ceſſet omnis hoſtilitas per totum Regnum Poloniae et M. D. Lithuaniae, praecipue in Pruſſia et Curlandia, ac poſtarum litterarumque, vt et mercaturae, peregrinationis et agriculturae commercium et fa-

 cultas

cultas ſecura, tuta et libera detur. Et proinde id ſtatim, poſtquam ſubſcriptus erit hic Articulus, omnium partium Generalibus et Officiariis, in Pruſſia et Curlandia, hoc ipſum notificabitur, et ſine mora vbiuis publicabitur."

Interea quoque alia perficiuntur, nimirum ſequentia. Quae ad ordinem, ſiue Methodum Articulorum in Inſtrumento Pacis heri proiecta erant, hodie in paucis ita mutantur a noſtra parte. — *Polonici:* 1) Introitus. 2) Punctum amicitiae generalis. 3) P. amneſtiae generalis. 4) P. renunciationis Sueciae, et §. de titulis. 5) Ceſſio Liuoniae Septentrionalis ad Conceptum, d. $\frac{1 \text{ Maii}}{21 \text{ April.}}$ conuentum. 6) De religione Catholica, et tituli prouinciales. 7) Iudicia et decreta. 8) Controuerſia limitum. 9) De ſubditis fugitiuis et exulibus atque expulſis Liuonia, (non inſerendum). 10) Signa nautica in Domeſnes. 11) De Liuonia Auſtrali. 12) Liberatio Ducis Curlandiae. 13) Reſtitutio vrbium Pruſſiae, et de emigratione ciuium, et aliorum incolarum Pruſſiae. 14) Diplomata et ſcripturae, atque inter eas Ducis Curlandiae, reſtituantur vel aboleantur. 15) De modo deductionis, et ſuſtentationis ſiue alimentationis. 16) Debita. 17) Depoſita ac bona mobilia. 18) Tormenta bellica. 19) De captiuis per diuerſas prouincias, et de captiuis in Tataria. 20) Commercia. 21) Eliberatio Comitis a Koenigſmark. 22) Bona Radziuiliana. 23) Corpora mortuorum. 24) De ſatisfactione Ducis Croyani, Comitum Dohnauiorum, et Gyldenſternii. 25) De reſtitutione gregariorum militum Praeſidii Strasburgenſis. — *Imperiales:* 26) Amicitia, amneſtia, reſtitutio locorum, pacta. 27) Captiui apud Imperiales. — *Brandeburgici:* 28) Amicitia et amneſtia. 29) Reſtitutio locorum in Pomerania et Holſatia. 30) Caſſatio pactorum inter Sueciam et Electorem Brandeburgicum. 31) Captiui apud Brandeburg. 32) Debita. 33) Commercia. — *Communes:* 34) Ceſſatio hoſtilitatis. 35) Exauctoratio. 36) Incluſio Daniae. 37) Incluſio Principum aliorum. 38) Modus et ordo ratificandi et extradendi. 39) Guarantia communis. 40) Guarantia Regis Chriſtianiſſimi: Ratificationum formulae. Reuerſales. Epilogus. Procuratoria partium, et Dn. Mediatoris Procuratorium pro mediatione et guarantia. Subſcribuntur autem, vt pars altera concepit, hoc modo: *Articuli Polonici:* 1) Introitus. 2) Punctum amicitiae

tiae Poloniae ac Sueciae. 3) Punctum amneſtiae Poloniae. 4) Punctum renunciationis Sueciae, et §. de titulis. 5) Ceſſio Liuoniae Septentrionalis. 6) §. Exercitium religionis Catholicae. 7) §. Tituli prouinciales. 8) §. Iudicia et Decreta. 9) 10) De Liuonia Auſtrali. 11) §. Controuerſiae limitum. 12) §. Subditi fugitiui. 13) §. Signa nautica. 14) Eliberatio Ducis Curlandiae. 15) Euacuatio vrbium Pruſſiae. 16) §. De modo deductionis. 17) §. De emigratione ciuium Pruſſiae. 18) Diplomata et ſcripturae reſtituendae. 19) Obligationes Ducis Curlandiae reſtituendae. 20) Debita. 21) Depoſita et bona mobilia. 22) Tormenta bellica. 23) Captiui. 24) Captiui in Tataria. 25) Commercia. 26) Eliberatio Comitis a Koenigſmark. 27) Bona Radziuiliana. 28) Corpora mortuorum. 29) 30) 31) Dux Croyanus, Comes Dohna et Gyldenſtern. — *Imperiales:* 32) Amicitia et amneſtia Imperialis. 33) Reſtitutio Pomeraniae. 34) Captiui a parte Imperiali. — *Brandeburgici:* 35) Amicitia et amneſtia Brandeb. cum adpendice. 36) Caſſatio pactorum praeteritorum cum Brandeburgicis. 37) Reſtitutio Pomeraniae a Brandeburgicis. 38) Captiui Sueco-Brandeburgici. 39) Debita Sueco-Brandeburgica. 40) Commercia Sueco-Brandeburgica. —*Communes:* 41) Regis Daniae incluſio. 42) Incluſio Principum exterorum. 43) Exauctoratio militum in Imperio. 44) Ceſſatio hoſtilitatis. 45) De alimentis huic inſerendis. 46) Modus ratihabendi. 47) Guarantia communis. 48) Guarantia Regis Galliae.

Deinde Dn. Mediator adfert ab altera parte quaedam monita ad Articulos, iam ante ſubſcriptos et commutatos, primum et decimum nonum: ſuntque iſta. In Articulo primo Curlandiae poſt: *Publica ſiue priuata,* adde: *Nobilitatis incolarumque Documenta.* In Art. 19. Subditi fugitiui etc. poſt: *ſubditi hoc vltimo bello,* adde: *et in futurum fugitiui.* Quoad primum, nempe Ducis Curlandiae Articulo reſtitutorio ſiue liberatorio, pro *ſiue publica, ſiue priuata,* ponitur, idque in ipſo Originali a nobis Legationi Polonicae dato, per manum Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarii, *ſiue publica, ſiue priuatorum.* In illo autem, de ſubditis fugitiuis, decimo nono, verbis, *hoc vltimo bello fugitiui,* interponitur, *et in futurum.* Similiter in Art. 39. qui eſt Pacis cum Imperatore, poſtquam inter partes ita conuentum eſſet, iuſſu praefati Illuſtriſſ. Dn. Regni The-

ſaurarii praeſentis Secretarius Legationis Suecicae in noſtro Originali ſubſcripto haec adpoſuit, 1) Ad verba: *Quae in Pomerania et Megapoli occupata praeſidiis inſidentur*, vocem, *ſuis*. 2) Ante parentheſin *(praeuia tamen cautione* etc.*)* particulam *qui*. 3) Poſt parentheſin, ante vocem *reſtituet*, verba: *hac pace conſenſu partium incluſus cenſebitur*. 4) Poſt verba, *locorum ſcil. Pomeraniae*, voces *et Megapoleos*. 5) Ante verba, *Et Ducem Holſatiae*, voces *Duces Megapolitanos*. Et hoc quoque obſeruatum eſt ab altera parte, vt in Originalibus nobis antea datis Secretarius Legationis Polonicae quidem in iis ſub numero 1. et 19. Caeſareae vero in eo, quod eſt numero 39. ſupra dicta adderent, nec iſta tria Originalia de nouo ingroſſarentur et ſubſcriberentur. Denique noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiae petunt, vt fiat ſeparatus Articulus, quoad abductionem frumenti et pabuli Mariaeburgo, ante vrbis arciſque eius euacuationem: proiiciturque hoc modo. "Ne forſitan ſiniſtra aliqua opinio aut controuerſia inde ſuboriatur, quod in Articulo euacuationis vrbis arciſue Mariaeburgenſis, non exſertius mentio euehendi inde proprium, et, quod in Suecici praeſidiarii militis ſuſtentationem adhuc ſuppetit, frumentum, remque cibariam aliam, atque pabula, facta fuerit: conuentum eſt, vt, quantumcunque illiuſmodi, quod ſuſtentandae vitae militum equorumue inſeruit, illud omne Mariaeburgo, ante eius vrbis et arcis ceſſionem, Elbingam aduehere liberum atque licitum ſit." Qui Articulus ſubſcribitur, hora noctis vndecima, et commutatur talis: "Ne forſitan ſiniſtra aliqua opinio aut controuerſia inde ſuboriatur, quod in Articulo euacuationis vrbis arciſue Mariaeburgenſis, euehendi inde proprium, et, quod in Suecici praeſidiarii militis ſuſtentationem adhuc ſuppetit, frumentum, remque cibariam aliam, atque pabula, non expreſſe mentio facta fuerit. conuentum eſt, vt, quantumcumque illiuſmodi rerum, quae ſuſtentandae vitae militum equorumue inſeruiunt, illud omne Mariaeburgo, ante eius vrbis et arcis ceſſionem, Elbingam euehere liberum atque licitum ſit."

Interea ingroſſata erant ſubſcribenda exemplaria Articuli Promulgatorii. Quae quum Dn. Mediator adtuliſſet, noſtrumque vice verſa partis alterius Legatis monſtratum fuiſſet, atque, vt ſubſcribatur, inter omnes conueniſſet, ad commutandum praeparatoria fiunt, ſubſcribiturque

turque a Legatione Suecia hoc modo: "Quum iam, diuina adſpirante gratia, eo tractatus pacis deducti, vt omnes Articuli, qui ſollemne Pacis Inſtrumentum conſtituere debent, adprobati, ac manu Secretariorum Legationum ſubſcripti, ac inter partes commutati ſint: ideo nos infra ſcripti Commiſſarii ac Legati S. R. M. Regnique Sueciae eos omnes nunc quoque ratihabemus Articulos, eoſque omnes, prout a Secretariis ſubſcripti ſunt, nihil niſi de conſenſu partium ad illos, vel in illis, addendo aut demendo, vel mutando, in Inſtrumentum Pacis inſcribendos declaramus, atque a ſubſcriptione huius Articuli pacem factam promulgamus inter S. R. M. Regnumque Sueciae, et Sereniſſ. Regem ac Remp. Polonam, eorumque Foederatos, S. C. M. et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum. Incipiatque a tempore et die, determinatis per Articulum de ceſſatione armorum, et ſit ita armiſtitium, atque omnis hoſtilitas ceſſet per totum Regnum Polniae et M. D. Lithuaniae, Pruſſiam et Curlandiam, nec non in Pomerania, Megapoli, Holſatia, aliiſque partium ditionibus omnibus, in et extra Imperium ſitis, ac poſtarum litterarumque, vt et mercaturae, peregrinationis, et agriculturae commercium et facultas ſecura dehinc, tuta et libera ſit: et proinde id ſtatim, poſtquam ſubſcriptus erit hic Articulus, Generalibus et Officiariis omnibus notificabitur, et ſine mora vbiuis publicabitur. Magnus Gabriel de la Gardie etc." A Legatis Polonicis et Electoralibus ita: "Quum iam, diuina adſpirante gratia, eo tractatus pacis deducti, vt omnes Articuli, qui ſollemne Pacis Inſtrumentum conſtituere debent, adprobati ac manu Secretariorum Legationum ſubſcripti, ac inter partes commutati ſint: ideo nos infra ſcripti Commiſſarii ac Legati S. R. M. Regnique Poloniae, tum quoque Suae Serenit. Electoralis Brandeburgicae, eos omnes nunc quoque ratihabemus Articulos, eoſque omnes, prout a Secretariis ſubſcripti ſunt, nihil niſi de conſenſu partium ad illos, vel in illis, addendo, aut demendo, vel mutando, in Inſtrumentum Pacis inſcribendos declaramus, atque a ſubſcriptione huius Articuli pacem factam promulgamus inter Sereniſſ. Regem ac Remp. Polonam, eorumque Foederatos, S. C. M. et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum, et Sereniſſ. Regem Regnumque Sueciae. Incipiatque a tempore et die, determinato per Articulum de ceſſatione armorum, et ſit ita armiſtitium, atque omnis hoſtilitas ceſſet per totum Regnum

Poloniae et M. D. Lithuaniae, Pruſſiam et Curlandiam, nec non in Pomerania, Megapoli, Holſatia, aliiſque partium ditionibus omnibus, in et extra Imperium ſitis, ac poſtarum litterarumque, vt et mercaturae, peregrinationis et agriculturae commercium et facultas ſecura dehinc, tuta et libera ſit: et proinde id ſtatim, poſtquam ſubſcriptus erit hic Articulus, Generalibus et Officiariis omnibus id notificabitur, et ſine mora vbiuis publicabitur. Actum Oliuae, die tertia Maii, An. milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo. Ioannes Comes de Leſno, Palatinus Poſnanienſis, Maioris Poloniae Generalis, ad Tractatus Pacis Polono-Suecicos Legatus Plenipotentiarius, etc.— Ioannes ab Houerbecke, Ser. Electoris Brandeb. Legatus Plenipotentiarius, etc.“—

A Legatis Caeſareis hoc modo: “Quum iam, diuina adſpirante gratia, eo Tractatus Pacis deducti, vt omnes Articuli, qui ſollemne Pacis Inſtrumentum conſtituere* debent, adprobati, ac manu Secretariorum Legationum ſubſcripti, ac inter partes commutati ſint: ideo nos infra ſcripti Commiſſarii ac Legati S. C. M. eos omnes nunc quoque ratihabemus Articulos, eoſque omnes, prout a Secretariis ſubſcripti ſunt, nihil niſi de conſenſu partium ad illos, vel in illis, addendo, aut demendo, vel mutando, in Inſtrumentum Pacis inſcribendos declaramus, atque a ſubſcriptione huius Articuli pacem factam promulgamus inter Sereniſſ. Regem ac Remp. Polonam, eorumque Foederatos, S. C. M. et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum, et Sereniſſ. Regem Regnumque Succiae: incipiatque a tempore et die, determinato per Articulum de ceſſatione armorum, et ſit ita armiſtitium, atque omnis hoſtilitas ceſſet per totum Regnum Poloniae et M. D. Lithuaniae, Pruſſiam et Curlandiam, nec non in Pomerania, Megapoli, Holſatia, aliiſque partium ditionibus omnibus, in et extra Imperium ſitis, ac poſtarum, litterarumque, vt et mercaturae, peregrinationis et agriculturae commercium et facultas

* Ex his ita memoratis a Diarii huius auctore, qui rei interfuit, emendari poſſunt perperam tradita, in LVNIGII Theſauro Cerem. T. I. pag. 856 ſq. Nam primo ipſa Pacis Inſtrumenta tum quidem commutata non ſunt, ſed tantum Articulus, quem vocant, Promulgatorius. Deinde Pacificator non Secretariorum manus, ſed ſuas ipſius, *in modum crucis*, compoſuit. Qua in re Lumbranus, ſicuti in aliis, imitari videtur voluiſſe Thuillerium, Legatum Gallicum, qui eam rationem, in Bromſebroenſi pacificatione, praeiuit. De eo, haud ingratum

tas ſecura dehinc, tuta et libera ſit: et proinde id ſtatim, poſtquam ſubſcriptus erit hic Articulus, Generalibus et Officiariis omnibus notificabitur, et ſine mora vbiuis publicabitur. Actum Oliuae, die III. Maii, An. MDCLX. Franciſcus Car. Libſteinski, Comes a Kolourat. Franciſcus Baro de Liſola."

Quo facto Dn. Mediator, in puncto dimidiae duodecimae, ſtetit in medio tramitis, ad conclauia Legationum Suecicae ac Polonicae hinc inde ducentis, et tempus eſſe, vt Secretarius Suecicus veniat, parato iam et exſpectante Polonico, Legationi noſtrae nunciari fecit. Iuſſus igitur a Suis Excellentiis praefatus Secretarius ex conclaui noſtro, praeeuntibus ex alba cera facibus, a pediſſequis portatis, lentum gradum cepit, donec et Polonicum Legationis Secretarium adpropinquare videret. Qui quum ſimilibus albis facibus incederet, ſequente copioſa ab vtraque parte et aulicorum et aliorum hominum turba, ita paſſus quaſi dimenſi ſunt, vt ſimul vterque latus Dn. Mediatoris, Suecicus quidem dextrum, Polonicus ſiniſtrum clauderent. Ceremonias, ſiue reuerentiam, alteri neuter ſeu verbis ſeu geſtibus tunc exhibuit. Et ſine mora Dn. Mediator interrogans, an Articulus factae Pacis ſit ad manus paratus? et eſſe, ab ambobus reſponſo, chartas ſubſcriptas, brachiis in modum crucis compoſitis, ex manibus Secretariorum excepit, et momentaneo motu commutat.° Reuerentiam, vbi Suecicus verba, *Felix ſit fauſtumque!* dixiſſet, et Dn. Legatus Mediator, non ſine pii adfectus expreſſione, per eadem reſpondiſſet, Polonicus autem plane tacuiſſet, propino capite atque incuruatis genubus Dno Mediatori primum, deinde ſibi inuicem reddunt Secretarii, et ſuo quilibet coetu comitatus ad Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatos redeunt. Confeſtim in templo, ad cuius fere valuas permutatio facta eſt, *Te Deum laudamus*, canitur, et ab Abbate Miſſa cele-

tum ſit lectoribus, ſi verba adſcribam BOECLERI, in Hiſt. belli Sueco-Danici, Lib. III. pag. 386. Sunt autem haec: — *Deſcendit ad locum, inter duos pontes medium, apud Bromſebroam. Statim miſſus ab vtraque parte Secretarius adfuere cum Inſtrumento pactorum, et conuentorum exemplis. Thuillerius ſuſceptum dextra manu Suecicum Inſtrumentum tranſtulit in laeuam, et deinde dextram, qua et Inſtrumentum Danicum acceperat, decuſſatim laeuae impoſuit, atque illa quidem Secretario Suecico Iſraeli Iſraelis ſcriptum Danicum, hac autem Secretario Danico Kragio Suecicum exemplum porrexit.*

Digitized by Google

celebratur, exploduntur que maiora minoraque tormenta, et ſclopeta vtriuſque generis ſatis numeroſa. Poteramus per occultos aditus deſuper, in templo quae agebantur, perſpicere: et inter alia praefatus Abbas, in manu Hoſtiam tenens, verba haec recitauit: *Saluum fac Populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae!* Certe nemo, licet Cultui eorum non addictus, abſque votis ac ſuſpiriis cogitare et conſiderare potuit, a tantilla ſemiquadrantis horulae particula tot millium hominum ſalutem pendere, fortunaſque reparari. Nec moratus eſt, (quem peractis ſacris Abbas ſequebatur,) gratulari Dn. Mediator omnium partium Legatis. Quo autem ordine factum ſit, in Protocollo adnotari ob diſſita conclauia nequiuit; ex temporis tamen, quo haec omnia facta ſunt, interuallo iudicari poteſt, honorem Legationi Suecicae primum datum eſſe, idque iure merito, quia (ſi alii reſpectus ſeponantur,) illi erant hoc in loco Polonorum hoſpites, et pars altera prima fuit, aut eſſe debuit in loco Tractatuum Oliuenſi, ceu ſupra ex eorum Declaratione vltima ſuper loci praeliminaribus videri poteſt.* Itaque bono omine duodecima noctis ſexaginta annorum bello finem adtulit, et velut ex tenebroſa nube eluctante ſole, ortus ſequentis diei quaſi natiuitas reductae pacis fuit. Erat dimidia prima, quum nos Sobothum rediuimus: et quae reſtant, complanabuntur, vbi Regem prius comitati ad iter erunt Dnn. partis alterius Legati.

Actum Sobothi d. $\frac{24\ \text{April.}}{4\ \text{Maii}}$ ante meridiem.

Loquutae hodierno diluculo in curru fuerant Suae Excellentiae, dum Oliua redirent, vt feſtum Iubilaeum, ſeu gratiarum actorium celebraretur, tum Sobothi, tum Elbingae, Mariaeburgique et Stumae, et Caput Eſ. XII. totum pro textu eſſet: ſed nondum de die conſenſerant. Itaque Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius arceſſitum Secretarium Legationis iuſſit Dnn. Comitum et Legatorum reliquorum mentem experiri, quo vna cum notificatione concluſae Pacis, id Dnn. Gene-

* Declarationis iſtius Formula, opinor, inſerta erat primo Diarii huius Volumini: quod, cum duobus inſequentibus, incendio Holmienſi periiſſe iam memoraui. Ego vero illius Formulae exemplum ex Codice Zaluſciano deſcripſi, in Actis Pacific. Publicis, No. IV. p. 8 ſq. Ex ea huc faciunt verba haec: *Cum non dubi-*

Digitized by Google

Generalibus Elbingam et Mariaeburgum in tempore notificari poſſit. Quum itaque conſenſum eſſet in diem $\frac{29\ April.}{9\ Maii}$ proximum, qui nobis ſecundum Calendarium Gregorianum eſt Dominica Quaſimodogeniti, non dubitato intra hoc tempus ſubſcribi Inſtrumentum quoque Pacis poſſe; perſcripta haec ſunt ad Dnn. *von der Linde* et Bilouium, tranſmiſſique Articuli pro tempore ipſis ſcitu neceſſarii. Hodiernus quoque dies totus Gedano et Oliuenſibus atque Fortalitio Viſtulomundae fuit feſtiuus, et in gaudiis ac Iubilo, commorante adhuc in vrbe Rege Poloniae cum Legatis ac Aula, peractus: audiuimuſque Sobothi tormentorum tonitrua, alia aliud excipientia.**

Interea nobis cura fuit eorum, quae ad perfectionem totius negotii adhuc pertinent, rite peragendorum. Ad S. R. Maieſtatem, tranſmiſſis copiis Articuli ceſſationis hoſtilitatum et concluſae promulgataeque pacis, ſcribitur, eidemque laetum nuncium rei praeterita nocte geſtae notificatur, pacem videlicet, ſuperatis tandem tot difficultatibus praeter ſpem omnium, pro quo beneficio bonitas Altiſſimi laudanda ſit, feliciter factam eſſe. Non omnia quidem ex voto obtineri potuiſſe; quidquid tamen poſſibile fuiſſet, atque praeſentium temporum coniunctio, S. R. M. ſtatus, Regna et Prouinciae iuſſiſſent et paſſa eſſent, Legatos feciſſe. Specialia temporis anguſtiam perſcribi modo non concedere, ſed omnia vſque ad Dn. Regni Theſaurarii aduentum in Succiam differri, vtpote qui, ſimul atque Inſtrumentum Pacis fuerit ſubſcriptum, iter ſuum maritimum illuc ſine mora ſit initurus. Prae omnibus iam notificandum eſſe S. R. Maieſtati, quod praeſidium Elbingenſe tribus adhuc, a ſubſcripta pace, menſibus ibi ſit commoraturum; Mariaeburgum et Stumam octauo poſt ſubſcriptum Inſtrumentum die euacuatum, et militem illum ſimul Elbingam deductum iri; ſe tamen tentaturos, vt praefatus Mariaeburgenſis ac Stumenſis miles in Pomeraniam et Scaniam traiici queat. Denique requiri decem millium thalerorum expenſas, in honoraria Legato Gallico de Lumbres, Miniſtro Gallico Akakiae, et omnium Legationum Secretariis

dubitetur, Legationem Suecicam ſuperioribus adquieturam, Dnn. Legati Polonici exnunc verſus Oliuam ſe conferunt. Legatio Suecica, repulſa vlteriori circa locum tractatuum deliberatione, expectatur.

** De huius diei feſtiuitate memoraui, ad PASTORII Diarium p. 302 ſq. n.*

Digitized by Google

riis danda; qua in re aeque nihil hic ſuppeditet; itaque rogari S. R. M. vt cambium aut parata pecunia mittatur. Praeterea Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius litteris ſuis ſpecialibus Catalogum hunc copiarum noſtrarum, adhuc in Pruſſia degentium, includere voluit. Catalogus: *Equitum Legiones et Cohortes:* Colonelli Andreae, Stenbockiana, Duglaſſiana, Colonelli Arenſonii, Colonelli Broneſtorfii, Tottiana, Biſtrumii. *Peditum Legiones et Cohortes Nationales:* Oſtrogothi, Smålandi, Colonelli Pleutneri, Finnones, Aboenſes, Colonelli locum tenentis Küne, qui in obſidione Hoefftii ipſe occubuit, ex Nortlandiis et pluribus legionibus ſelecti. *Germani:* Praetoriani Regis, Praetoriani Reginae, Scoti, Comitis a Dohna, Lindenſes, Colonelli Duderſtadii. *Dani:* Billouii, Colonelli Weiſenſtenii, Colonelli Stegmanni. *Hippopodes*, vulgo Dragouner: Colonelli Hattonis, Colonelli Andreae, Generalis Wirtzii. Qui Catalogus quum forte eſſet dubius, promittitur S. R. M. proxime exactior, et ideo ad Dn. Generalem Gubernatorem, Campi Mareſchalli locum tenentem, *von der Linde,* ſcribitur. Aeſtimatae ſunt autem hae copiae hactenus omnes ad ſex et dimidium millia. Adeſſe heri non poterat Oliuae ob aegritudinem Dn. Legatus Gyldenklau: igitur mandauit Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius, vt, quae peracta ſint, ipſi communicarentur; praeprimis vt Formulas ratificationum ſibi curae eſſe vellet. Facta ſunt iuſſa.

Actum Sobothi d. $\frac{25 \text{ April.}}{5 \text{ Maii.}}$

Illuſtriſſ. Dnus Regni Theſaurarius heri mandauerat, vt Secretarius communicaret Formulas ratificationum, nudius tertius et nudius quartus proiectarum, Dno Legato Gyldenklauio, eiuſque iudicium praeſertim ſuper his, quae ipſo abſente tractata fuiſſent, requireret. Id hic fecit: et ſunt hae notae eius. — Ad Formulam Ratificationis Regiae Suecicae. — In ingreſſu iam inuenitur poſitum: *Conſanguineo noſtro, et Regno ac Republica Poloniae:* in priore vero Formula ratificationis de An. 1655. ponitur rectius ſecundum ſtatum Poloniae, *Conſanguineo noſtro, et Republ. Polona.* Debent itaque abeſſe, *et Regno.* In fine nunc ponitur: *poſterorum noſtrorum:* ſed quia Rex Poloniae procul dubio illud in ſua Formula ratificationis, vt proiectum erat, poſuit, hic

hic ad eumdem modum neceſſario ponendum fuit, idque, ratione Sueciae, maioris ſecuritatis cauſſa. Deberet itaque poni, *heredum.* Ad Formulam ratificationis Imperatoriae:— In ingreſſu: Si monſtrata mihi Copia huius ratificationis conformis ſit extradito Dnn. Caeſarianorum Legatorum Originali formulae ratificandi, poteſt et optandum eſt, vt retineretur, *Maieſtatis eius,* nimirum Regis Sueciae. — Ad Formulam ratificationis Suecicae, Caeſarianis tradendae: — In ingreſſu iam ponitur: *Qui congreſſi cum alte memoratae Serenitatis eius Commiſſariis:* die vero $\frac{22\ \text{April.}}{2\ \text{Maii}}$ poſtularunt eorum loco poni: *Qui congreſſi cum Maieſtatis eius Legatis ac Commiſſariis:* et id a Dnn. Suecicis ipſis in ſcripto indultum ac reſponſum fuit, et ideo hic merito retinendum. In fine ponitur in Caeſaris Formula Ratific. titulus eius abbreuiatus, vt poſtulatum fuit a Dnn. Suecicis in dicto reſponſo ac declaratione; quum illi inuſitatum et inutile fuiſſe dixerunt, vt titulus Caeſaris repeteretur. Ideo conſiderandum eſt, vtrum hic, in Regio Suecico Diplomate ratificationis, ponendus ſit Regis noſtri integer titulus, vel ſaltim abbreuiatus, vt tandem conſenſerunt Caeſarei. Item in Proiecto Dnn. Suecicorum tradito Caeſarianis poſitum, vt a Caeſarianis adprobatum fuit: *nomine noſtro, heredum ac ſucceſſorum noſtrorum:* atque ita in ſuo Conceptu, *nomine Caeſaris,* ipſi poſuerunt. In hoc vero Suecico Conceptu mutatur ad hunc modum: *nomine noſtro, ſucceſſorum ac poſterorum noſtrorum.* Item ſubiungitur, *et Regni Sueciae,* quod nec in priori Dnn. Suecicorum fuit, nec iam ponitur in Caeſarea Formula ratificationis. Item in Caeſareo ponitur, vt a Suecicis poſtulatum fuit: *Nec paſſuros a nobis, aut noſtratibus, aut aliis hic paciſcentibus vllo modo violari.* In Suecico autem Conceptu ponitur ita: *nec paſſuros a noſtratibus ac Regni Sueciae Vaſallis, Officialibus et ſubditis vllo modo violari.* In fine, pro *haecce* ponendum eſt *haſce.* Item, an non praeſtet poni *manibus,* pro *manu honoratiſſimae et chariſſimae matris noſtrae, nec non Regni Sueciae Adminiſtratorum ſubſ.* — Ad Formulam ratificationis Regis Sueciae tradendae Electoralibus: — In ingreſſu deeſt, *interueniente mediatione Chriſtianiſſimi Regis.* Deeſt item, *ac Commiſſariis.* In fine: conſiderandum iterum eſt, vtrum totus vel abbreuiatus Regis Sueciae titulus hic loci ponendus ſit. Et conduceret, ſi ad manus haberi poſſint Formulae ratificandi Electoralium. Quod ſi fieret, formari poſſet, ſecundum

Digitized by Google

eorum formam, quae ſequuntur: *nec paſſuros a noſtris ac Regni Sueciae Vaſallis, Officiariis ac ſubditis vllo modo violari.* Sed videntur Electorales extraditionem ſuae Formulae propter hanc inprimis rationem cohibere, et anguem apud illos in herba latere. Item pro *manu*, videtur commodius poni *manibus Matris noſtrae, nec non Regni Sueciae Adminiſtratorum.* Alias in Stumſdorfienſi ratificatione ita probatur: *manibus tutorum noſtrorum Regnique adminiſtratorum ſubſcriptas, ſigillo Regni noſtri muniri iuſſimus. Datum.* Et, ſi recte memini, in Conuentione, cum altera parte, de ratificatione Suecica, fit mentio tantum Adminiſtratorum, non item Senatorum, quod Dn. Secretarius poteſt in Articulo inueſtigare. Porro in Caeſarea Formula, *vt in Tractatibus Pacis perpetuae Polono-Suecicis, in Pruſſia inſtitutis.*

Congreſſus adhuc continuari nequiuit Oliuae, dum heri interfuerunt ſollemnitatibus et iubilis Dnn. Legati Polonici, hodie vero profectum Dantiſco Regem ſuum ad partem itineris comitati. Scribuntur denuo litterae ad S. R. M. Dn. noſtrum Clementiſſimum, repetitis breuiter, quae heri nunciabantur de concluſa nudius tertius et promulgata pace. Tranſmittuntur dupla litterarum quarumdam praecedanearum, nempe $\frac{4}{14}$ $\frac{5}{15}$ $\frac{7}{17}$ $\frac{8}{18}$ $\frac{17}{27}$ Aprilis, et heri datarum. Gratulantur S. R. M. Dnn. Legati, quod per pacificationem hanc renunciatio praetenſi iuris in Sueciam a Rege, et ceſſionis Liuoniae a Republ. Poloniae reportentur, ſopitumque inde ſexaginta annorum bellum, atque S. R. M. et Regnum Sueciae hac in parte nacti ſint quietem. Inuocatur Diuinum Numen, quo perennare iſtam felicitatem, ac porro S. R. M. ac throno eius benedicat, ita vt omnia in emolumentum Regni ac ſubditorum incolarumque Sueciae vergant. De pace Danica breui ſubſequutura non dubitant, ſiquidem Imperator et Elector Brandeburgicus non lautas aliquas conditiones pro illo Rege, praeter nudam eius, ſine praeiudicio tamen Tractatus in Dania, incluſionem obtinere contenderit. Quamuis aliquot ante dies abſurde admodum poſtulaſſent, vt,

* Qua de cauſſa Dani ipſi, in Hafnienſis Pacis tractatione, titulum Scaniae abnegauerant Sueco. Id quod a PVFENDORFIO Comment. de rebus Caroli Guſtaui, Lib. VI. §. 45. relatum accepimus, hiſce verbis: *Circa diploma porro iſtud* (Salui Conductus pro Commiſſariis Danicis) *difficultas ſurgebat ſuper titulo vtriuſ-*

vt, non obſtante Polonica Pace, Confoederatorum arma in Holſatia atque Dania exerceri liceret: id quod deinde rationi conſentaneum non eſſe ipſi agnouerint.

Actum Oliuae d. $\frac{26 \text{ April.}}{6 \text{ Maii}}$ *hor. II pomerid. vſque ad X veſpert.*

Abſentibus Dn. Regni Theſaurario, et Dn. Comite Schlippenbach. Profectum heri Regem ſuum Dnn. Legati Polonici comitati redierunt: et agi coeptum eſt de inſertione Articulorum ſubſcriptorum in Inſtrumentum Pacis, noſtrumque Conceptum iam paratum eſſe, indicatum. Dn. Mediator: Oblitum eſſe Poloniae Legationis Secretarium, et de ordine inſerendorum Articulorum, nec Inſtrumenti Proiectum ex ſubſcriptis Articulis eſſe formatum; rogat noſtrum itaque, ſi habeamus, aut Articulos ſubſcriptos apud Dn. Mediatorem deponendos. Dn. Comes Oxenſtierna, conformante ſe Dn. Gyldenklau: Concedendum Proiectum noſtrum, ſed praeſente Legato Secretario Suecico fieri conducere, vt, ſi quae monenda eſſent, is adnotare poſſet. Factum eſt: et ſequutus eſt Secretarius Dn. Legatum Mediatorem, qui eum introduxit in conclaue Dnn. Polonicorum Legatorum, vbi etiam Dnn. Electorales aderant. Lecti ſunt Articuli per eumdem Secretarium Legationis Suecicum, ſicuti a Secretario Legationis Polonico ſubſcripti erant, et auſcultauit Conceptum noſtrum Dn. Cancellarius Pacius, notante in illo, quae corrigebantur, vel errores ſcribae, vel etiam conſenſu partium mutata nonnulla in Curialibus, praefato Secretario Suecico, quoties opus fuit manu ſua, quamuis initio quoque Dn. Mediator manum adhibuerit.

Interea Dn. Comes Oxenſtierna, cum Dn. Legato Gyldenklau, tractauerunt, digrediente inter partes Dn. Mediatore, Formulas ratificandi; et magnae denuo difficultates ortae ſunt ſuper titulis Scaniae, item Iuliaci, Cliuiae et Montium. Titulum Scaniae enim negant nobis Imperatoris Legati, dicentes in alio ſtatu rem eſſe, atque per inuaſionem vltimam inualidam redditam Pacem Roſchildenſem fuiſſe.*

 Iuliaci

vtriuſque Regis, quod Sueci Dano titulum Regis Gothorum tribuere abnuerent, velut qui nil amplius in Regno Gothiae poſſideat; Dani viciſſim Sueco Scaniae titulum negarent, quod Pacem Roſchildenſem agnoſcere nollent, cuius vi Scania in iſtum collata erat. Addit PVFENDORFIVS: *Demum tale temperamentum*

Iuliaci vero, Cliuiae et Montium titulos Imperatorem nulli concedere, praeter ab ipſo inueſtitum in dictos Ducatus.* Suecica Legatio obtinet, Dnn. Legatos Caeſareos et Scaniae et Iuliaci etc. titulos S. R. M. Sueciae in Articulo, *Eadem ſimiliter pax*, qui eſt amicitiae et amneſtiae cum Imperatore, dediſſe: qui Articulus non modo ſubſcriptus et commutatus fuerit, verum etiam per promulgationem nuperam a Legatione Imperatoria aeque ac reliquis omnibus ratificatus. In illo igitur abſque conſenſu partium nihil mutari poſſe. Caeſareis non tam Scaniae negare, quam expungi Iuliaci, Cliuiae, Montium, veluti errorem Concellariae, velle viſum eſt: ſed hac vice res manſit indeciſa, in craſtinum quidem relicta. Ceterum quoad ſaepe memoratum titulum Iuliaci, Cliuiae, Montium, temperamentum ſiue expediens acceptatur ab Electoralibus, vt nimirum ſcribatur in parentheſi, (tot. tit. ſicut hactenus fuit inter S. R. M. Sueciae et S. Serenitatem Electoralem vſitatum). Legatio Suecica vero declarat, quod maneat, ſicut nuperrime ſit conuentum, quo videlicet S. R. M. Sueciae aeque ac Sereniſſ. Elector Brandeburgicus vtantur hiſce titulis, quum de ſe loquuntur ipſis, neuter vero alteri dare eoſdem teneatur. Sed nec hoc penitus hodie tollitur difficultatis. Interea apud Dnn. Polonos pergitur in conferendis, cum Inſtrumento Pacis, Articulis et §phis, modo praeſente, modo abſente propter ea, quae ſimul in conclaui Legationis Suecicae tractarentur, Dno Mediatore. Abſoluimus Inſtrumenti Conceptum vſque ad Articulum: *Sit eadem pax* etc. vbi Confoederatorum, et poſtea communia ſequuntur. Pergere voluiſſent, ſed inclinabat dies ad veſperam, nec aderant Dnn. Caeſariani Legati: et Dn. Mediator praeterea libentiſſime voluiſſet complanari Formulas ratificationum. Itaque curialia decentia praemiſit Secretarius Suecicus, et abiit, Dominorumque Legatorum ſuorum Excellentiis, quae acta ſunt, retulit; quibus omne placuit. Conceptum vero noſtrum Legatio Polonica retinuit, vt ſuum inde formari poſſit, atque cras nobis reſtituet.

Fuerunt

tum a Belgis propoſitum vtrimque admittebatur, vt Carolus Guſtauus Rex Sueciae, Fridericus Rex Daniae vocaretur, nullo alio additamento. Conf. Dn. HOLBERGII Hiſt. Daniae, P. III. p. 396.

* Saxoniae Principem Electorem indigitabant: qui quidem iis temporibus nondum ab ipſo Leopoldo Imp. iſtos Ducatus in fidem clientelamque ritu ac formula ſollemni acceperat. Sed vero maiores

Fuerunt autem partim mutata, partim addita, quae ſequuntur. In Introitu: *Marchionem Brandeburgenſem*, pro *Brandeburgicum.* Item, *In Pruſſiae etc. etc. etc. Ducem*, pro *in Pruſſia Ducem etc. etc. etc.* Item additum in titulo Dn. de Lumbres, *Comitem Conſiſtorianum.* Item monuit Dn. Cancellarius Pacius, et additum eſt ad imitationem Suecici Concepti: *Ex ordine Senatorio quidem* — et, *ex ordine vero Equeſtri.* Item in Articulo amneſtiae, qui eſt iam ordine ſecundus, §. 5. *Quae durante bello*, additum eſt *hoc vltimo.* Item Articulo Liuoniae Auſtralis, qui iam eſt in Inſtrumento ordine quintus, poſt verba §. 1. *ab altera diuerſam*, additum eſt, *neque in Ducatus Curlandiae Semigalliaeque et Diſtri*c*tum Piltenſem, reſpectu Liuoniae Septentrionalis, vel quouis alio praetextu, vllum vmquam ius praetendent, aut praetendere poterunt:* quae verba partim Dn. Legatus Gyldenklau, partim Dn. Mediator conceperunt. Item eodem Articulo §. 4. omiſſum erat in Concepto, *et in futurum:* additum itaque eſt. Hic Articulus in Originali, tunc a Suecica parte ſubſcricto, incipit: *Pars Liuoniae, eaque Auſtralis.* Poloni autem in ſuo omiſerant, forte per errorem, vocem *eaque:* igitur quum Articuli Suecici non adeſſent, vt ſupra memoratum eſt, ſed ſecundum eos, quos Poloni et Confoederati ſubſcripſerant, inſertio facta eſſet, hic quoque in Concepto Inſtrumenti non eſt adtentum: et id factum quoque eſt in aliis diuerſis particulis, vt pro *aut* poneretur *vel;* pro *et*, *ac atque;* item interdum tranſpoſitae eſſent voces nonnullae, ſenſu nihilominus integro et genuino: quod licet moneretur, adtendere quandoque noluerunt. In Articulo Ducis Curlandiae, qui iam eſt ordine ſextus, *priuatorum* poſitum eſt pro *priuata:* veluti mutatum erat ante in Originali ipſo ipſius Articuli. Ad Articulum Radziuilianum, qui modo per inſertionem Inſtrumenti factus eſt 17. datur per Dn. Mediatorem, quem ſollicitauerat Principiſſae Mandatarius, haec ſchedula: In Articulo illo, vbi mentio fit Filiae Illuſtriſſ. Ducis Radziuilii, addantur haec verba: *Supremi Exercituum M. D. Lithuaniae Ducis vnicae filiae* etc. Sed reſpondit Dn. Cancel-

iores illius a Rudolpho II. Matthia, Ferdinando II. AAA. accepiſſe ſatis conſtabat. Litterae clientelares a Dn. BVDERO, viro illuſtri, ac iuris et hiſtoriarum ſcientiſſimo, indicatae ſunt in Catalogo talium litterarum aliorumque diplomatum Domus Saxoniae, (*Anzeige der mehreſten Kayſerl. Lehen-Briefe, auch Anwartſchaften und Confirmationen derer Privilegien des Chur-und Fürſtl. Hauſes Sachſen,*) p. 27 ſq. et a viris doctis iterum iterumque editae.

Digitized by Google

Cancellarius Pacius: Satis eſſe, ſi accipiat Dn. Principiſſa bona ſua reſtituta. Dn. Gninski dixit: Si ſua res eſſet, nolle ſe, iſta vt inſerantur; petere, ne poſteritati innoteſcat: ſubintelligens illum partes hoſtiles ſequutum. Dederant hoc Memoriale Secretario Illuſtriſſimus Dn. Oxenſtierna, et Dn. Legatus Gyldenklau. — Cum Dnn. Polonicis: — Vt Articulus de exulibus Liuoniae ſubſcriptus inſeratur Inſtrumento Pacis. — Cum Dnn. Caeſareis: Vt Megapoleos in Puncto reſtitutionis locorum iterata fiat mentio, videlicet Pomeraniae et Megapoleos, exceptis etc. Et in Articulo de rebus Imperii, vt inſerantur verba: *ante hoc bellum interceſſit.* — Cum Electoralibus: — Vt inſerantur Inſtrumento Pacis. Standum de cetero eſt Receſſui Limitaneo, inter S. R. M. Sueciae et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum Stetini concluſo.* Quum ad Articulum de exulibus peruentum eſſet, et Dnn. Poloni neutiquam admitterent Articulum, de exulibus Liuoniae, Inſtrumento publico inſerendum, nec Dn. Mediator iis id perſuadere poſſet, perrexerunt: et haec res in craſtinum adhuc reſeruata eſt a Secretario Suecico, Suis Excellentiis referenda.

Interea quae acta ſint in conclaui noſtro Suecico, exhibent hae ſchedulae, quas Dn. Legatus Gyldenklau manu ſua concepit. Notae Electorales ad Proiectum Suecicum, ratione Formulae ratificat. ex parte Ser. Regis Sueciae pro Ser. Electore Brandeburgico: 1) et poſterum, 2) Regnique Sueciae, 3) inſerta, et 4) ac Regni Sueciae. Dnn. Brandeburgicorum notae in Formula ratificationis Regia Suecica, quas inſeri ante ſubſcriptionem petunt, et in quas a Dnn. Suecicis conſenſum eſt. Traditum eſt d. $\frac{16 \text{ April.}}{6 \text{ Maii}}$ Dnn. Electoralibus per Secretarium Mediatoris.

Ad Formulam Ratificationis Electoralis. In ingreſſu: 1) pro *Regnumque Poloniae*, ponatur *Rempubl. Poloniae.* 2) Neceſſe erit, vt vtrobique obſeruetur aequalitas in titulis, ratione Iuliaci, Cliuiae et Montium. In fine: 3) quia ratificatio Electoralis modificatur per illa verba: *Ita tamen* etc. et contra omnem vſum eſt, inſerere aliqua reſeruata in ratificationum Formula, quae ſimplex eſſe debet ac clara; et ſi ſuper

* De quo dixi ad PASTORII Diarium pag. 241. n.**** Formula ipſa primum edita eſt ſigillatim, dein incluſa GASTELII Libro, de ſtatu Iur. Publ. Euro-

Digitized by Google

per declaratione ſeparata Articuli 11. ratificatio aliqua neceſſario dari debeat, Legationi Suecicae videtur, vt Poloniae illa tradatur. Quo caſu, et, ſi ſuperfluum non fuerit, ſeparato aliquam ratificationem poſtulari, Legatio Suecica promittit ac recipit, ſe effecturam, vt peculiare diploma ratificationis vna cum eadem declaratione a S. R. M. Sueciae pariter cum principali ratificatione ſubſequantur. — Ad Formulam Ratificationis Sereniſſ. Regis Sueciae. 4) Ad modum Formulae Ratificationis Sueciae erga Poloniam et Caeſarem, poſſunt ex Electorali Formula excludi verba: *praeſentibus et futuris.* 5) Aequum eſt, vt Regius titulus integer inſeratur, prout in Electorali Formula titulus Electoralis plenus inſeritur. 6) Pro *Regnumque,* ponatur *Remquepublicam Poloniae.* — De Formula ratificandi Electorali: Fridericus Wilhelmus, Dei gratia (totus titulus inſeratur, Coloniae ad Spream, prout cum titulo obſeruatum fuit in litteris Suae Serenit. Electoralis ad Ser. Regem Sueciae Dn. Carolum Guſtauum, glorioſae memoriae, quum in viuis eſſet,) notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, quod quum etc. vſque ad verbum: *Dno Carolo* (tot. tit. inſeratur ibidem, prout obſeruatum fuit in titulo, quum ſcriberet Elector modernus ad defunctum Regem Sueciae). Et vice verſa in Formula Ratificationis Regiae: Nos Carolus (totus titulus inſeratur Stockholmiae, prout cum titulo obſeruatum fuit in commerciis litterarum inter Regem Sueciae defunctum et modernum Electorem, praeteritis annis,) notum teſtatumque etc. etc. Trad. Dnn. Caeſareis, die $\frac{26\ April.}{6\ Maii}$ per Secretarium Mediatoris: In ingreſſu ad Ratificationem Caeſaream: 1) Pro *Poloniae* et *Sueciae*, ponatur, in ratificatione tradenda Sueciae, *Sueciae et Poloniae.* 2) *Scaniae.* 3) *Nec non Comite Palatino* etc. 4) Addantur tituli, *Iuliaci*, *Cliuiae et Montium Duci* etc. vt eſt titulus Sereniſſ. Regis Sueciae. Dematur autem titulus *Comitum in Veldenz et Sponheim.* In concluſione: Quum Legatio Caeſarea, die $\frac{22\ April.}{2\ Maii}$ ſeſe declarauit, et conſenſit, vt pro *aut aliis*, poneretur: *aut aliis hic paciſcentibus:* ſperat Legatio Suecica iam illud non immutatum iri. 6) Quia praedicto die, quum Legatio Caeſarea ſua monita ac poſtulata, ad Suecicae Ratificationis

Europae nouiſſimo, p. 601. item LONDORPII Actis Publ. Tom. VIII. pag. 831. et DIARIO EVROP. P. VIII pag. 513.

tionis Formulam, Legationi Suecicae offerri per Dn. Mediatorem fecit, nulla mentio fiebat guarantiae, ſed conſenſit plane Legatio Caeſarea Conceptui Suecico, nec ſtyli eſt, de inuitatione ad guarantiam aut eiuſmodi rebus in Inſtrumento conuentis, in ratificatione ipſa per expreſſum monere: ideo non dubitat Legatio Suecica, quin §. Et quia, etc. hic expungatur. In Formula ratificationis Regiae Suecicae, ſub finem, 7) poteſt et debet addi poſt verbum, *Adminiſtratorum manibus ſubſcriptos, et ſigillo Regni noſtri corroboratos extradi iuſſimus.* Dabantur. — Cras hora octaua matutina continuabitur, euntibus iam quolibet ſuas ad ſtationes.

Actum Oliuae d. $\frac{27 \text{ April.}}{7 \text{ Maii}}$ *ab VIII matut. vſque ad XII noctis.*

Abſentibus Dn. Regni Theſaurario et Comite Oxenſtierna. — Rediuimus mane Oliuam, hora plerumque ſolita. Aderat Dn. Mediator: aduenerunt Dnn. Poloni et Electorales. Pergere voluiſſent in conferendis Articulis, Inſtrumento pactorum inſerendis, ſed adhuc exſpectabantur Dnn. Legati Caeſarei. Qui dum aduenirent, reaſſumta ſunt conferentia Articulorum ſubſcriptorum cum noſtro Inſtrumenti Pacis Concepto; Formularum ratificandi complanatio; Quaeſtio de titulis Iuliaci, Cliuiae, Montium; In mentem reuocatio mutui Dantiſcani; Inſertio Articuli de expulſis et exulibus Liuoniae, qui inter ſubſcriptos Articulus eſt ordine quintus. Item titulus Scaniae; item titulorum abbreuiatio. Quae omnia hodie ſunt hinc inde ventilata, et bonam partem complanata. Et quia Dn. Mediator intereſſe in conclaui Legationis Polonicae, praeſentibus Dnn. Caeſareis, non potuit, vix circa horam XI antemeridianam conferentia coepit Concepti, dum videlicet ille primum propoſuit modo memoratae, ac partis alterius Legationes ſuper iis inuicem conferrent. Refert Dn. Mediator, quod Dnn. Caeſariani conſentiunt, et volunt dare in ſuo Inſtrumento totum titulum, cum expreſſione Scaniae, ſed in Inſtrumento, quod Dnn. Electorales ſubſcribent ſimul cum Dnn. Polonis, vtentur Etceterationibus, quia alias Dnn. Poloni non poterunt ſubſcribere, quia conuentum eſt, quod Reges Sueciae et Poloniae non vti debent niſi titulis abbreuiatis, inuicem et inter miniſtros eorum. Sed in eo, quod ſub-

ſubſcribent ſoli, vt et in ratificationibus, dabunt totum titulum, tam Electorales, quam Caeſarei; Poloni autem cum abbreuiationibus. Quod vero ad Iuliaci, Cliuiae et Montium titulum adtinet, illum Dn. Elector non dabit Sereniſſ. noſtro Regi: et vice verſa ita obſeruabitur, quando S. R. M. ad Suam Serenit. Electoralem ſcribet.

Prandente ante factam relationem Dn. Mediatore, inſumtus erat ferme totus dies hac quaeſtione, dum interea, quae heri in Inſtrumenti Pacis Concepto remanſerunt, per Secretarium Legationis Suecicae conferrentur, et abſoluerentur cum Dnn. Caeſarianis et Electoralibus Legatis, praeſentibus ex Legatione Polonica Dn. Palatino Leſzinski, Dn. Cancellario Pacio, Dn. Morſtyn, et Dn. Gninskio. Et deinde in longam veſperam fuit diſputatio de reliquis, in ratificationum Formulis: tandem autem placitum eſt, vt habent Concepta, quae infra eius diei Protocollo, quo ſubſcriptio earum fiet, inſerentur. Quum vero hac nocte ſubſcribi nequirent illae Formulae, placuit, vt craſtina mittantur Secretariis Legationis, qui inter ſe conferant et ſubſcribant. Diu inſtiterunt Dn. Comes Schlippenbach et Dn. Legatus Gyldenklau, vt memoratae Formulae ratificationum non ſubſcribantur a Secretariis, ſed ipſis Legatis. Retulit autem Dn. Mediator, voluiſſe pridem hoc Dnn. Electorales, non autem Polonos et Caeſareos, quia craſtina non poterunt conuenire; et ſi per Secretarios Legationum a diſperſis tanto ſpatio, diſſitis in hoſpitiis, Dnn. Legatis accipi ſubſcriptio deberet, totus dies inſumendus eſſet; iam autem non eſſe tempus Secretariis, qui ſatis habent laboris in Inſtrumenti conficiendis Originalibus. Ergo conueniant ea de re Secretarii cras, circa horam nonam, ante meridiem: Dn. Mediator denuo proponit, et a partibus accipitur. — In conclaui Legationis Polonicae. Artic. 39. modo 22. *Principis Hereditarii* nuncupatio erat omiſſa, ſed tamen recipiunt, (et ipſe monet hoc Dn. Comes a Colourat,) optionem dantes Legationi Suecicae, vtrum inſeri cupiant, an perinde ipſis ſit, velut abſque hoc notum, Sereniſſ. Regem Succiae Hereditarium eſſe. Reſpondit Dn. Cancellarius Pacius, et Dnn. Polonos poſſe concedere, quia Sereniſſ. Rex Poloniae Sereniſſ. Regem Succiae pro Hereditario Succiae agnoſcat. Inſeretur itaque. In eodem Articulo 22. addita ſunt verba: *iuxta Formulam, de qua hic conuenit.* Art. 37. modo 24. oc-

 currit

Digitized by Google

currit totus titulus Succiae: volunt cum Etceterationibus Dnn. Caeſarei et Electorales; et addidit Dn. Comes a Colourat, quod in toto Inſtrumento nullibi poneretur totus titulus, niſi in Art. 22. et 24. Acceperunt hoc Dnn. Poloni, et tam Dn. Palatinus Poſnanienſis, quam Dn. Cancellarius Pacius, et Dn. Referendarius Regni Morſtynius, declararunt, quod ſubſcribere non poſſint Inſtrumentum, vbi totus titulus Sereniſſ. Regis Sueciae ſit expreſſus, ſiquidem pactum inter Poloniam et Sueciam hac de re exſtet. Dn. Comes a Colourat reſpondit, ideo Imperatorem negare Regi Sueciae integrum titulum non poſſe, nec ideo Imperatorem Etceterationibus vti; nihil enim de titulis illi cum hoc eſſe; poſſe tamen ſe, Imperatoris Legatos, libenter concedere, vt ponatur titulus abbreuiatus. Secretarius Suecicus excuſauit, quod hic referre ipſum oporteat Excellentiis Suis, quid oriatur difficultatis; recordari interea, illas mentem ſuam heri hac de re declaraſſe Dn. Mediatori. Igitur perreximus in aliis, remiſſo hoc ad Dn. Mediatorem. Quum autem omnia abſoluiſſemus, praefatus Secretarius Legationi retulit. Et manſit conuentio, quod in Inſtrumenti exemplaribus, quae inter Sueciam, Imperatorem et Electorem ſubſcribentur, et commutanda ſunt, retinebuntur in 22 et 24 Articulis, tamquam Imperatoris et Electoris propriis, integri tituli Regis Sueciae, Imperatoris, et Electoris, abbreuiato Regis Poloniae titulo: in his vero, quae Poloniae videnda venient, manebunt abbreuiationes omnium Poteſtatum. Art. 41. modo 26. Paci incluſionem Ducis Holſatiae a parte Electoris monet Dn. Comes a Colourat: quae admittitur, et inſcribitur ab Electoralibus per verba, *Qui* etc. *hac pace conſenſu partium incluſus cenſebitur.* Reſtitutionem in Megapoli Electorales facere non poterunt, quia ibi non habent exercitum. Reuerſales vel declaratio Ducis Holſatiae, et ceterae, non inſertae ſunt Inſtrumento; et parcendum honori Principum, vt verba erant praefati Dn. Comitis a Colourat. Iterum propoſuerat Dn. Mediator ante meridiem, quod Principiſſae Radziuiliae Mandatarius peteret denuo, quo inſerantur illi Articulo verba, quibus eius parens vocaretur *Supremus Exercituum M. D. Lithuaniae Dux.* Et conſentiunt Dn. Comes Schlippenbach et Dn. Legatus Gyldenklau: ſed non admiſerunt Dnn. Poloni. At circa nonam veſpere Secretarius Dn. Mediatoris adfert ſchedulam atteſtatoriam, de

Digitized by Google

de conſenſu Dnn. Polonorum, ab eorum Secretario Legationis, Capitaneo Bidgoſcienſi, talem: Conſentiunt Excellentiſſimi Dnn. Legati Poloniae in Articulo Radziuiliae, haec addi verba: *Supremi Exercituum M. D. Lithuaniae Ducis vnicae filiae.* Factum eſt itaque iuſſu Legationis noſtrae, et iſta verba in Inſtrumento Pacis inſerta ſunt Articulo 32. modo 17. Elenchus ſeu index omnium, quae vt et quo ordine iam ſecundum Articulos et §phos Inſtrumento Pacis, omnium partium conſenſu, inſerta ſunt. *In Nomine Sacroſanctae et Indiuiduae Trinitatis.* Notum ſit vniuerſis et ſingulis etc. qui eſt Introitus. Art. I. *Sit pax vniuerſalis* etc. De amicitia cum Rege Regnoque Poloniae et Confoederatis, Imperatore videlicet, et Electore Brandeburgico. Art. II. §. I. *Sit vtrimque perpetua obliuio* etc. De amneſtia generali. §. 2. *Hac generali amneſtia gaudeant omnes et ſinguli* etc. De amneſtia particulari. §. 3. *Ciuitatibus Pruſſiae Regalis* etc. De ſaluis priuilegiis et iuribus Eccleſiaſticis et profanis locorum in Pruſſia, a Suecia hactenus poſſeſſorum. §. 4. *Cunctae actiones* etc. De non inſtituendis inquiſitionibus fiſcalibus, vel aliis actionibus contra eos, qui hoc vltimo bello partes hoſtiles ſequuti ſunt. §. 5. *Quae durante hoc vltimo bello* etc. De confiſcatis bonis mobilibus et immobilibus. Art. III. *Sereniſſimus ac Potentiſſimus Rex* etc. De renunciatione Regis Poloniae in Sueciam. Art. IV. §. I. *Sereniſſimus Rex et Status* etc. De ceſſione Liuoniae. §. 2. *Quoad Religionem* etc. De Religione Catholica in Liuonia. §. 3. *Tituli Prouinciales* etc. De retinendis, ſine prouentibus, et abſque praeiudicio iuris Regii Suecici etc. ad vitam titulis Senatorii et Equeſtris Ordinis. §. 4. *Iudicia omnia* etc. De his, quae hoc bello in locis a Suecia occupatis iudicialiter acta ſunt. Art. V. §. I. *Pars Liuoniae Auſtralis* etc. De parua ſiue illa Liuonia, quae manebit in poſſeſſione Polonica, nempe Duneburgum, Roſiten etc. §. 2. *Titulis et Inſignibus* etc. De vtendo promiſcue titulo et inſignibus Liuoniae. §. 3. *Si quas poſthac* etc. De modo complanandi controuerſias, ſuper limitibus et finibus, aut de rebus aliis, vt et lites minores inter ſubditos et accolas vtriuſque partis in futurum forte ſub- et exorituras. §. 4. *Subditi hoc vltimo bello* etc. De ſubditis fugitiuis Lithuaniae, Samogitiae, Liuoniae Polonicae, Curlandiae Semigalliaeque, et contra. §. 5. *Quo fauorem commerciis* etc. De pharo, ſiue ſignis nauticis, in Domeſnes et Luſerort,

ſerort. Art. VI. *Illuſtriſſimus in Liuonia* etc. De Ducis Curlandiae eliberatione ac reſtitutione. Art. VII. §. I. *Sereniſſimus Rex Regnumque Sueciae* etc. De reſtitutione locorum in Pruſſia et Curlandia. §. 2. *Deductio militiae* etc. De militis Suecici e dictis locis deductione. §. 3. *Si cui aut quibus* etc. De emigratione, et euacuandis ciuitatibus Pruſſiae earumque territoriis, triennali abhinc ſpatio licita. Art. VIII. *Quidquid in Polonia* etc. De Diplomatis et Obligationibus, Actiſque, quae vel a priuatis, vel a Communitatibus et prouinciis exercitui per neceſſitatem belli data ſunt, Regi Regnoque Poloniae et Duci Curlandiae extradendis, aut, ſi non ſuperſint, annihilandis et eliminandis. Art. IX. *Reſtituentur quoque* etc. De reſtitutione Archiuorum et Actorum publicorum Polonicorum, Bibliothecaeque Regiae. Art. X. *Obligationes et Recognitiones* etc. De caſſatis Obligationibus Curlandicis, Semigallicis et Piltenſibus hinc inde extortis. Art. XI. *Debita* etc. De debitis, a Ducibus et Officiariis belli contractis, bona fide ſoluendis. Art. XII. *Depoſita* etc. De reſtituendis mobilibus Fiſco nondum adiudicatis. Art. XIII. *Tormenta bellica* etc. De captis tormentis reſpectiue relinquendis, et ſecum auferendis. Art. XIV. §. I. *Quicumque hoc bello* etc. De captiuis Suecicis et Polonicis, et his, qui inuiti militiae nomina dare coacti ſunt, reſtituendis ac dimittendis, et de lytri ſolutione. §. 2. *S. R. Maieſtas* etc. De captiuis Suecicis in Tataria. Art. XV. §. I. *Commercia priſtina* etc. De libero exercitio commerciorum inter Regnum Sueciae et Poloniae, Magnumque Ducatum Lithuaniae, deque libera defluitatione per Dunam et Bulderauiam fluuios, et commerciorum vſu, vt et de teloneis et vectigalibus. §. 2. *Maioris quoque Poloniae incolae* etc. De non onerandis Polonis Stetini nouis teloneis et Gabellis. §. 3. *Ciuitas quoque Gedanenſis* etc. De libertate commerciorum et vectigalium Dantiſcanae et aliarum Pruſſiae ciuitatum, in Regno Sueciae eique ſubiectis prouinciis. Art. XVI. *Dominus Comes* etc. De Dn. Campi Mareſchalli a Koenigſmarck eliberatione et Reuerſalibus. Art. XVII. *Rex et Reſp. Poloniae* etc. De ſatisfiendo, quod hereditas et bona paterna ac materna Principiſſae Radziuiliae — Art. XVIII. *De mortuorum* etc. Tam de adhuc inhumatis, quam in priori et hoc vltimo bello humatis, belli Ducum, atque Officialium, aliorumque corporibus. Art. XIX. *De Dn. Ducis Croyani deſiderio* etc. Quod concer-

concernit debitum eiuſdem apud Rempubl. Poloniae et praetenſum ius Ducis Curlandiae. Art. XX. *Quoad Dnn. Comitum a Dohna* etc. De poſtulatis, quoad amiſſa bona in Liuonia, et debitum apud Poloniam praefatorum Dnn. Comitum. Art. XXI. *Habebitur quoque aequa ratio* etc. De bonis, quae Dn. Baro Sigiſmundus a Gyldenſtern in Suecia, vel illi ſubiectis prouinciis, praetendit. Art. XXII. §. 1. *Eadem ſimiliter pax* etc. Qui eſt amicitiae et amneſtiae cum Imperatore. §. 2. *Vt autem firmioribus fundamentis* etc. De reſtituendis ab Imperatore locis in Pomerania et Megapoli, Holſatiaque occupatis: de Ducis Holſatiae eiuſque Archiuorum, mobilium etc. plenaria reſtitutione ac Paci incluſione: de eiuſdem Reuerſalibus: de euacuationis locorum (quo Elbinga quoque reſtituenda Poloniae) tempore et modo, inter Generales conueniendo. §. 3. *Ceterum* etc. De rebus Imperii. Art. XXIII. De captiuis Suecico-Caeſareis. Art. XXIV. §. 1. *Sit itidem pax perpetua* etc. De amicitia et pace inter S. R. M. Regnumque Sueciae, et Suam Serenit. Electoralem Brandeburgicam. §. 2. *Pacta vero* etc. De manentibus in pleno robore pactis et foederibus, ſine tamen praeiudicio pacis huius tranſactae. §. 3. *Sit etiam vtrimque* etc. De amneſtia inter Sueciam et Electorem. §. 4. *Nemini quoque* etc. De amneſtia ſpeciali, boniſque mobilibus et immobilibus, item de Comitum Koenigſmarkii et Wittenbergii bonis immobilibus in ditionibus Electoralibus. Art. XXV. *Et ne occaſione anteactorum* etc. De renunciatis et abolitis pactis, inter S. R. M. Sueciae et S. Serenit. Electoralem in Pruſſia A. MDCLVI. initis. Art. XXVI. *Sereniſſimus Elector Brandeburgicus* etc. De reſtituendis ab Electore locis in Pomerania et Holſatia occupatis: deque incluſione ac reſtitutione Ducis Holſatiae Gottorpienſis: item de euacuationis locorum tempore et modo. Art. XXVII. *Captiui huiuſce belli* etc. De captiuis Suecicis et Electoralibus, eorumque lytro et debitis in captiuitate contractis. Art. XXVIII. *Debita* etc. De ſoluendis debitis vbicumque contractis, vel caſſatis Obligationibus et recognitionibus extortis. Art. XXIX. *Inter S. R. M. Sueciae* etc. De reſtituendis commerciis, inter ſubditos Suecicos et Electorales. Art. XXX. *Si quae bona* etc. De depoſitis et Fiſco adiudicatis. Art. XXXI. *Quum vero ad ſtabilitatem* etc. De Regis Daniae, concluſa in Dania pace, in hoc Tractatu comprehenſione. Art. XXXII. §. 1. *Ceſſent* etc. De

De ceſſatione hoſtilitatis. §. 2. *Generales* etc. De non amplius exigenda militis ſuſtentatione more hoſtili, in Pruſſia et Pomerania. Art. XXXIII. *Denique omnium belligerantium* etc. De exauctoratione militiae. Art. XXXIV. *Pacta haec ratihabeantur* etc. De modo et tempore ratificationum Pacis huius Oliuenſis, earumque permutationi loco. Art. XXXV. §. 1. *Quo firmior* etc. De guarantia mutua. §. 2. *Si vero contingat* etc. De amicabili ratione ineunda, antequam ad arma recurrere liceat. §. 3. *Si vero laedentem* etc. De inferendo bellum refractario, et ius ſuum armis proſequendo. §. 4. *Quod ſi vero* etc. De controuerſiis ſuper limitibus, citra vim armorum terminandis. Art. XXXVI. *Quum autem pro maiori ſecuritate* etc. De guarantia Gallica, et inuitatione ac nominatione aliorum quoque in tempore ratificationis Principum ac Poteſtatum. Art. XXXVII. *Si qui Regum* etc. De incluſione Poteſtatum exterarum. *In quorum omnium et ſingulorum fidem* etc. Quod eſt epilogus. Reliquos, qui mox hic ſpecificantur, Articulos, partim nec neceſſarium fuit Inſtrumento inſerere, partim diuerſas ob rationes vna vel altera pars noluit publicari: omnes tamen per Articulum promulgatorium factae Pacis a Dnn. Legatis Plenipotentiariis omnium partium paciſcentium ratificati ſunt. Eſtque ſecundum ordinem ſubſcriptionis haec ſpecificatio memoratorum Articulorum aeque ac reliquorum conuentorum et commutatorum, ſed Inſtrumento Pacis, vt modo dictum, non inſertorum. N. 5. *Nulla ſatisfactio* etc. qui eſt Articulus, quod nulla recompenſatio damnorum belli praeſtabitur. N. 8. *Exulibus* etc. qui eſt Articulus, quod Suecia expulſis Liuoniae ad nullam reſtitutionem tenebitur. N. 14. *Quae ſub hoc numero* etc. quod eſt de non praetendendo in Curlandiam Semigalliamque et Diſtrictum Piltenſem, inſertumque Articulo 9. modo 5. et quidem eius Articuli §. 1. N. 15. *De Reuerſalibus* etc. quae ſunt Reuerſales Ducis Curlandiae. N. 20. *S. R. M. Regnique Sueciae Senator* etc. Quae ſunt Reuerſales Dn. Comitis a Koenigſmark. N. 31. *Legatio Suecica declarat* etc. qui eſt Articulus de Elbinga ſecretus. N. 47. *Nos N. N. Dei gratia Heres Noruegiae* etc. quae eſt Ducis Holſatiae declaratio, ſiue de non vindicando vel offendendo cautio. N. 50. *Quum in pactis* etc. qui eſt Articulus promiſſorius de mutuo Dantiſcano, pro alimentatione praeſidiariorum Suecicorum in Pruſſia vſque ad euacuationem.

N. 51.

Digitized by Google

N. 51. *Praeſidiarios oppidi Strasburgenſis* etc. qui eſt de plenaria reſtitutione reſidui militis, et duorum tormentorum, vna cum vexillis, quam et quae Electorales interceperunt, quando Colonellus *Pleutner* Strasburgo exiret. N. 52. Eſt Formula ratificationis Regiae Suecicae pro Polonia, quae, ſicuti reliquae, Inſtrumento Pacis, a Legationibus omnium partium ſubſcripto, non eſt inſerta: videreque erit infra, in Protocollo eius diei, quo de dictis hiſce Formulis plane conuenietur. N. 56. Concernit ordinem inſerendi Articulos Inſtrumento Pacis, et videre eſt ſupra, in Protocollo d. $\frac{23 \text{ April.}}{3 \text{ Maii}}$ MDCLX. Oliuae. In quibus autem ille ordo deinde, quum inſertio fieret, mutatus ſit, Elenchus hic ſupra praeſens exhibet. N. 58. *Ne forſitan* etc. qui eſt Articulus ſeparatus de euehendo frumento ac pabulo, ex arce ac ciuitate Mariaeburgenſi, ante traditionem Poloniae fiendam. N. 59. *Quum iam diuina adſpirante gratia* etc. qui eſt Articulus promulgationis factae pacis a Dnn. Legatis Suecicis ſubſcriptus. N. 59. b) Idem a Dnn. Legatis Polonicis et Electoralibus ſubſcriptus. N. 59. c) Idem a Dnn. Legatis Caeſareis ſubſcriptus. Quos Articulos conuentos, ſubſcriptos et permutatos omnes, tam inſertos ſaepe nominato Inſtrumento Pacis, quam non inſertos, in Originalibus apud Acta Legationis huius videre eſt. N. 64. Faſciculo IX. Reuerſales Curlandiae Ducis, vt et exules Liuoniae, qui Inſtrumento publico non inſerentur: poſtulant noſtri Dnn. Plenipotentiarii, vt a Dnn. Legatis Commiſſariis ſubſcribantur. Ratio autem erat a parte Polonorum et Confoederatorum non inſerendi, quo parcatur honori Principum: vt Dn. Comes Colourat hodie inter conferendum quoque repetebat. Quoad exules vero Dnn. Polonis forte ſuberat ratio, ne in futuris Comitiis nimis adprehendatur: quam quidem rationem Dn. Mediator indigitauit, eamdemque illis etiam ipſis exprimentibus, quando noſtrates nihilominus tam per praefatum Dn. Mediatorem, quam Secretarium Legationis Suecicum, inſertionem vrſerunt, quod nimirum eſſet odioſum, et non neceſſarium praeterea adſerentibus, praeſertim quum etiam Legatio noſtra Suecica Articulum, de non danda ſatisfactione, Inſtrumenti Pacis fieri partem recuſarent. De viſitationibus Legatorum hodie ita conuentum eſt per Dn. Mediatorem: Craſtina die, horis antemeridianis, Sobothum mittent Dnn. Poloni Aulicum, et audientiam petent; deinde circa decimam viſitabunt noſtros Dnn.

Plenipotentiarios: vice verſa idem fiat a noſtris poſt prandium, circa horam quartam. Licet enim Inſtrumentum Pacis adhuc ſubſcriptum non ſit: fieri tamen poſſe praefatus Dn. Mediator cenſuit, quum Polonicae Legationi non vacet tempus amplius hoc in loco commorandi, vtpote Regem ſequi neceſſe habenti. Et quo tempus lucrari poſſint, Inſtrumentum in charta, hac nocte, ingroſſandum eſſe, holoſericis filis conſuendum, et cras circa vndecimam antemeridianam hic ſubſcribi poſſe et ſubſignari: ſtipulatione hinc inde facta, de ſubſequuturis intra octiduum, vel ad ſummum quatuordecim dierum ſpatium, in pergameno et forma vſitata ſollemni, ſcriptis et ſigillatis Originalibus, vbi deinde chartacea retradi ſingulis Legationibus poſſint. Dn. Legatus Gyldenklauius hoc practicabile non eſſe cenſuit: quippe, quum veſpera iam proxima ſit, impoſſibile eſſe ſcribis, tot continuis laboribus hactenus plane defatigatis, Inſtrumentum tam anguſto ſpatio conficere: deinde dimidiam et amplius diem conferendo cum conceptis Originalibus, vnico vix ſufficere. Rem tanti negotii dignam eſſe pergameno; et in pergameno ſcribi talia moris et obſeruantiae, et ab antiquo receptum.* Cum ſubſtitutis autem pergameno chartis, commutare poſtmodum noua Originalia, diſperſis Legatis difficile futurum. Rogandos eſſe Dnn. Polonos reliquoſque Dnn. Legatos, vt tantillum temporis, quod conficiendo feliciter peracto negotio reſtet, in loco hactenus Tractatuum inſumere non grauentur. Dn. Mediator: Dnn. Confoederatos adhuc partim in loco Oliuenſi, partim Dantiſci, donec pergamenea mittant Dnn. Poloni Originalia, commoraturos: ſolam Polonicam Legationem properare maturando abitum, quia oporteat S. Excellentias ſequi Regem. Dn. Comes Schlippenbach, vt acceptetur, voluit, quod Dn. Mediator propoſuerit; et, ſi fieri poſſet hac nocte ingroſſatio, craſtina die,

* De vſu Pergamenae, in tabulis pacis, foederum, litteris fiduciariis, reuerſalibus, atque id genus aliis, digna lectu ex hiſtoriarum monimentis commemorat FRID. CAR. MOSERVS, Vir Illuſtris ac Celeberrimus, in Grammatica Politica, (*Verſuch einer Staats-Grammatic,*) P. I. c. 6. p. 45-49. Singulare eſt, quod PVFENDORFIVS l. c. §. 46. p. 557. tradit de controuerſia, inter Suecos ac Danos exorta, ſuper Procuratorio Danico, quod nec pergamenae inſcriptum, nec more conſueto complicatum, ſuiſque rugis diſtinctum eſſet. Lubet autem verba ipſa PVFENDORFII huc transferre. *Sic igitur inter Suecos Danoſque tractandi initium fuit factum in tentoriis, medio ſpatio inter vrbem et caſtra poſitis, quae quin-*

die, ſi non ante, tamen poſt meridiem fieri ſubſcriptionem Oliuae poſſe; viſitationem noſtrae Legationis Dnn. Polonis dandam differri in diem ſequentem, non alienum eſſe. Dn. Legatus Gyldenklau, communicandum hoc abſentibus Illuſtriſſ. Dnn. Regni Theſaurario, velut capiti, et Comiti Oxenſtierna, velut ſecundo Legato, exiſtimauit. Interea Secretarius iubetur, vt det ſub manus in mundam chartam mittenda quatuor exemplaria ſubſcribenda, (tot enim ſunt,) nempe vnum pro Dnn. Polonis, alterum Dnn. Caeſareis, tertium Dnn. Electoralibus, et quartum pro Dn. Mediatore: dandis nobis e contra tribus, vno a Dnn. Polonis, ſecundo Dnn. Caeſareis, vltimo Dnn. Electoralibus Legatis. Dn. Mediatori dabunt ſuum quoque Dnn. Poloni, et ſuum ſimiliter Dnn. Electorales Brandeburgici: Imperatoris Legatio eidem nihil dabit, tamquam non mediante inter nos et Caeſarem Gallia. Vbi forte omnes quatuor ad hoc tempus perfici nequeant, tentandum, ſi duo adeſſe poſſint, alterum pro Polonis, alterum pro Caeſareis Legatis Commiſſariis. Secretarius debitam operam omnem promtus ſpondet, diligentiamque ſuam; minime vero effectum, praeſertim quoad quatuor exemplaria Originalia, promittere valet. Reliquum communicabitur Suis Excellentiis Sobothi, vnde mentem eorum exploratam huc arceſſere iam nox prohibuit.

Hodie ante coenam Dn. Abbas Oliuenſis Suas Excellentias, Legationem Suecicam quoque, inuitauit ad prandium craſtinum. Cui Dn. Comes Schlippenbachius ciuili ſermone gratias egit, nihil promittendo, nihil recuſando, ſed velle ſe Suis Excellentiis, quae iam abſint, huius rei copiam facere. Monuerunt etiam Dnn. Legati Dn. Mediatorem promiſſionis de mutuo Dantiſcano, rogantque, promoueat. Ille: Dn. Cancellarium *Pratzmowski*, antequam abiret, promiſiſſe, quod Magiſtra-

quinquaginta paſſus a ſe inuicem diſtabant. Prodibant e caſtris Scheringius Roſenhanius et Steno Bielkius, ex vrbe Olaus Pasbiergius et Magnus Hoeckius. — Sermonem ordiebatur Pasbiergius: reſpondebat Roſenhanius, ſua vterque vernacula. Vtrimque de ſtudio pacis teſtatio; ſimul Procuratoria mutuo tradebantur. Inde vtrique in ſuum tentorium regreſſi ſunt. — Sueci circa Procuratorium Danicum monuerant, id chartae inſcriptum, non pergamenae, et forma minore complicatum. Quod Pasbiergius cauillatione eludebat, pergamenam calce praeparari, cuius acrimonia litterae demum erodantur. Conf. HOLBERGIVS Hiſt. Danic. loc. comm.

giſtratus vrbis Gedani procuraturus ſit ſummam mutuae pecuniae, modo nominentur mercatores a noſtra parte. Dn. Comes Schlippenbach: Magiſtratum ſuos ciues, qui mediis atque diuitiis abundent, aut quibus accommodare pecuniam animus ſit, optime noſſe; nos hic peregrinos, parum hac in re habere notitiae; velle tamen periculum facere, an aliquos inquirere poſſimus; interea rogandam eſſe Legationem Polonicam, quo auctoritatem ſuam interponat.

Tandem hodie conuenta eſt Formula Epilogi, primum a Dn. Legato Gyldenklau proiecta eiuſmodi: "In quorum omnium et ſingulorum fidem maiuſque robur, omnium partium Legati et Commiſſarii praeſens Pacis Inſtrumentum manibus ſigilliſque propriis muniuerunt ac firmarunt. Datum Oliuae, die $\frac{\text{vigeſima tertia April.}}{\text{tertia Maii}}$ An. milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo. Deinde vero itidem monuit, quo in vnoquoque exprimatur, cuius ſint Legati; videlicet in noſtro ponatur, *Suecici Legati:* ita vt ſic ſonaret: "In quorum omnium et ſingulorum fidem maiuſque robur, Regii Suecici Legati et Commiſſarii praeſens Pacis Inſtrumentum manibus ſigilliſque propriis muniuerunt ac firmarunt. Datum Oliuae, die $\frac{23\ \text{April.}}{3\ \text{Maii}}$ An. MDCLX." Et ſic vice verſa fiat in reliquis: nec neceſſarium eſſe duxit numerum, ſicut Articulis, praeponi. Poſtmodum fuit Formula correcta, vt ſequitur, et ſingulis Inſtrumentis, mutato fere nihil in realibus, (niſi quod in eo Inſtrumento, quod reddi debet Dnn. Caeſarianis, omittenda ſunt verba: *Cum Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Mediatore,*) immediate abſque diſtinctione per numerum, poſt Articulum 37. eumque vltimum, inſerta. Nempe Suecici Inſtrumenti Epilogus eſt: "In quorum omnium et ſingulorum fidem maiuſque robur, omnium partium Legati et Commiſſarii cum Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dn. Mediatore praeſens Pacis Inſtrumentum, et hoc quidem exemplar Sereniſſ. Regis Sueciae Legati ac Commiſſarii, manibus ſigilliſque propriis munierunt ac firmarunt. Datum Oliuae, die $\frac{\text{vigeſima tertia April.}}{\text{tertia Maii}}$ Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo." Polonici Inſtrumenti, vbi Dnn. Electorales coniunctim cum Legatione Polonica ſubſcripſerunt, Epilogus: "In quorum omnium et ſingulorum fidem maiuſque robur, omnium partium Legati et Commiſſarii, cum Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dn. Mediatore, praeſens Pacis Inſtrumentum, et hoc quidem exemplar

Sere-

Ser. Regis et Reip. Poloniae atque Ser. Electoris Brandeburgici Legati ac Commiſſarii, manibus ſigilliſque propriis muniuerunt ac firmarunt. Datum Oliuae, die tertia Maii, An. milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo." Caeſarei Inſtrumenti Epilogus: "In quorum omnium et ſingulorum fidem maiuſque robur, omnium partium Legati et Commiſſarii praeſens Pacis Inſtrumentum, et hoc quidem exemplar Caeſarei Legati ac Commiſſarii, manibus ſigilliſque propriis muniuerunt ac firmarunt. Datum in Monaſterio Oliuenſi, die tertia Maii, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo." Inſtrumenti, quod Electorales ſubſcripſerunt ſoli: "In quorum omnium et ſingulorum fidem maiuſque robur, omnium partium Legati et Commiſſarii, cum Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dn. Mediatore, praeſens Pacis Inſtrumentum, et hoc quidem exemplar Sereniſſ. Electoris Brandeburgici Legati ac Commiſſarii, manibus ſigilliſque propriis muniuerunt et firmarunt. Datum Oliuae, die vigeſima tertia April./tertia Maii Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo."

Item Legatio noſtra per ſchedulam poſtulauit, vt a Dnn. Commiſſariis expediantur et ſubſcribantur ſequentes Formulae ratificandi: 1) Formula Sereniſſ. Regis Poloniae: 2) Formula Delegatorum Lege Comitiali Reipublicae. Vbi in memoriam Illorum Excellentiis reuocatur prouiſionalis ratificatio Inſtrumenti Pacis Sereniſſ. Regis Poloniae. Deinde ab iiſdem noſtris Dnn. Legatis Suecicis data ſunt haec monita: Ad Formulam ratificationis Regis Poloniae: 1) Poſt Lithuaniae ponitur *Ruſſiae* etc. etc. etc. 2) *Dediſſe nos Commiſſarios ac Legatos noſtros* etc. 3) *Regni Sueciae Legatis ac Commiſſariis* etc. — Ad Formulam ratificationis Dnn. Delegatorum Reipubl. 4) Pro *tum et a Republ. nobis factae*, ponatur *et a Republ. illis factae.* Quae pars altera admiſit, et correxit. Conuentum quoque hodie demum eſt de titulo *Iuliaci*, *Cliuiae et Montium*, inter S. R. M. Sueciae et Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum: debetque haec manere Formula tituli Dn. Electoris, quem integre ſcripturus inpoſterum eſt ad Regem Sueciae, titulum vero *Iuliaci, Cliuiae et Montium* eius Maieſtati non daturus eſt. — "Fridericus Wilhelmus, D. G. Marchio Brandeburgicus, S. R. I. Archi-Camerarius et Princeps Elector, Magdeburgi, Pruſſiae, Iuliaci, Cliuiae et Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum Vandalorumque, nec

Digitized by Google

non in Sileſia Croſnae et Carnouiae Dux, Burggrauius Norimbergenſis, Princeps Halberſtadii et Mindae, Comes Marcae et Rauensbergi, Dnus in Rauenſtein." — Vice verſa Rex Sueciae in ſuis litteris ad Electorem ſcribet integrum ſuum titulum, vna cum Iuliaci, Cliuiae et Montium, ſed eumdem titulum non daturus eſt Rex Electori Brandeburgico inpoſterum.

Quae clarius quoque adparent in ratificatione Regia Suecica pro Electore, cuius Formula $\frac{23 \text{ April.}}{3 \text{ Maii}}$ hoc modo concepta fuerat: "Carolus, D. G. Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex et Princeps Hereditarius, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Scaniae, Eſthoniae, Liuoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae, Princeps Rugiae, Dominus Ingriae et Viſmariae, nec non Comes Palatinus Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Dux, Notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, praeſentibus et futuris, quod quum Legatos et Commiſſarios noſtros, plena poteſtate ac mandatis inſtructos, deputauerimus, vt in tractatibus pacis perpetuae inter nos et Regnum Sueciae, ac Sereniſſ. et Potentiſſ. Regem Regnumque Poloniae, ac eorumdem Foederatos et belli ſocios, in Pruſſia inſtitutis, tractarent itidem nomine noſtro de pace perpetua, cum Sereniſſ. Principe ac Dno, Dno Friderico Wilhelmo, Marchione Brandeburgico, S. Rom. Imp. Archi-Camerario et Principe Electore, Magdeburgi, Pruſſiae, Iuliae, Cliuiae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnae et Carnouiae Duce, Burggrauio Norimbergenſi, Principe Halberſtadii et Mindae, Comite Marcae et Rauensbergi, Dno in Rauenſtein etc. ineunda: qui congreſſi cum Suae Serenit. Electoralis Legatis et Commiſſariis ſequentia pacta, vti verbotenus infra hic ſunt inſerta et expreſſa, inierunt, ſtatuerunt ac concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Carolus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex et Princeps Hereditarius, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Scaniae, Eſthoniae, Liuoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae, Princeps Rugiae, Dnus Ingriae et Viſmariae, nec non Comes Palatinus Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Dux etc. promittimus et recipimus nomine noſtro, heredum ac ſucceſſorum, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis

ptis comprehenſa, bona et Regia fide adprobare, laudare et ratihabere, prout hiſce quoque adprobamus, laudamus et ratihabemus, ita tamen, vt vtriuſque amneſtia generalis, ſecundum declarationem Articulo ſeparato editam, accipiatur, nec paſſuros a noſtris ac Regni Sueciae Vaſallis, Officiariis et ſubditis vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, haſce manibus honoratiſſimae Dnae Matris, et Regni noſtri Adminiſtratorum ſubſcriptas, et ſigillo Regni noſtri in debita forma corroboratas, extradi iuſſimus. Dabantur.“ Hodie autem ſic eſt mutata. “Nos Carolus, Dei gratia Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex et Princeps Hereditarius, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Scaniae, Eſthoniae, Liuoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae, Princeps Rugiae, Dominus Ingriae et Viſmariae, nec non Comes Palatinus Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Dux, Notum teſtatumque facimus vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, quod quum Legatos et Commiſſarios noſtros, plena poteſtate ac mandatis inſtructos, deputauerimus, vt de pace perpetua cum Sereniſſ. Principe ac Dno, Dno Friderico Wilhelmo, Marchione Brandeburgico, S. Rom. Imperii Archi-Camerario et Principe Electore, Magdeburgi, Pruſſiae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnae et Carnouiae Duce, Burggrauio Norimbergenſi, Principe Halberſtadii et Mindae, Comite Marcae et Rauensbergi, Domino in Rauenſtein etc. ineunda tractarent: qui congreſſi cum Serenitatis eius Legatis, ſequentia pacta, vti verbotenus infra hic ſunt inſerta et expreſſa, inierunt, ſtatuerunt ac concluſerunt. — *Inſertio Pactorum.* — Nos itaque Carolus, eadem gratia, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex et Princeps Hereditarius, Magnus Princeps Finlandiae, Dux Scaniae, Eſthoniae, Liuoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae et Vandaliae, Princeps Rugiae, Dnus Ingriae et Viſmariae, nec non Comes Palatinus Rheni, Bauariae, Iuliaci, Cliuiae et Montium Dux, promittimus et recipimus nomine noſtro, heredum ac ſucceſſorum noſtrorum, nos ſingula et vniuerſa capita, pactis ſupra ſcriptis comprehenſa, bona et Regia fide adprobare et ratihabere, prout hiſce quoque adprobamus, laudamus et ratihabemus, nec paſſuros a noſtris ac Regni Sueciae Vaſallis, Officiariis et ſubditis vllo

vllo modo violari. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, haſce honoratiſſimae et chariſſimae Matris noſtrae, nec non Regni noſtri Adminiſtratorum manibus ſubſcriptas, Regni noſtri ſigillo muniri iuſſimus. Dabantur." Ad omnes ratificationum Formulas, quomodo tandem manſerunt conuentae et ſubſcriptae, quod adtinet, eae inferius videbuntur. Dn. Mediator diligentiam ſuam promittit. Media nox erat, quum abiuimus Oliua.

Actum Sobothi d. $\frac{28\ \text{April.}}{8\ \text{Maii}}$ ante meridiem.

Sicut heri cum Dn. Mediatore egiſſent, hodie Dnn. Legatos Suecicos viſitauit Sobothi Legatio Polonica.* Praemiſerunt autem, circa dimidiam nonam, Aulicum, qui apud Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Regni Theſaurarium audientiam praeſtolatus eſt. Iubetur Excellentiae Suae Aulae Magiſter, eum in ſalam inferiorem ducat, deſcenſuro mox Illuſtriſſimo. Quod factum. Aulicus Legationis Polonicae praeuiis Curialibus officia, cum amica ſalutatione Dnn. Legatorum ſuorum aperit, et quod illi, ſi Legationi Suecicae moleſtum non fuerit, dimidiam poſt horam adfuturi ſint, quod partium ſuarum eſſe ſciant exequuturi, nunciat. Illuſtriſſimus diſerte reſpondit, dimiſſoque Aulico, Mareſchallo noſtro Baroni Kurckio mandat, quo omnia, quae ad ceremonias et obſeruantiam, comitatuſque bene receptionem requiruntur, parata ſint. Miſitque Aulicos ad conuocandum S. Excellentias, Dnn. Legatos reliquos: qui ſine mora adſunt. Siſtuntur in armis tam praeſidiarii, quam ſatellites, et Heyducci, tum in domo Illuſtriſſimi, tum etiam in foro, et platea Oliuam ducente, per quam intrare Dnn. Polonos aduenientes oportuit. Circa decimam aduenerunt Dnn. Legati Polonici tres numero, videlicet Dn. Palatinus Leſzinski, Dn. Cancellarius M. Ducatus Lithuaniae, Pacius, et Dn. Gninski, Succamerarius Pomeraniae. Dn. Morſtynius enim aegrotare ferebatur. Dn. Prazmowski vero, et Dn. Rey, iam profecti cum Rege abierant. Comitatus fuit mediocris, nec adparatus admodum ſplendidus: currus ſiue carpenta erant ſeptem, et triginta circiter equitantes Nobiles. Dnn. Legatorum

* Conf. PVFENDORFIVS l. c. Lib. VIII. §. 14. pag. 613.

Digitized by Google

rum noſtrorum Excellentiae vſque ad currum obuiam iuerunt venientibus, et deinde eo vſque etiam comitati ſunt abeuntes Dnn. Polonos, quibus praecedentia tamquam peregrinis data eſt a noſtris Dnn. Legatis. Praeibat more ſolito Mareſchallus Legationis cum baculo argenteo, quem ſequebantur Aulici et comitatus reliquus. In medio praecedebant vtrique Dnn. Legati, quos ſequuti ſunt Conſiliarii de Weydenhayn et Wieder, Secretarius item Legationis Suecicus, (Polonicus immediate iuit ante Dnn. Legatos Polonicos in reuertendo poſt noſtros, quum ad domum Illuſtriſſ. Regni Theſaurarii adſcenderetur,) deinde priuati Secretarii, et nonnulli alii noſtri, poſt hoſce Ephebi, pediſſequi, ſerui et famuli. Dnn. Legati introducti ſunt in conclaue Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarii intimum, comitatus in Sala inferiore, per quam in memoratum conclaue ibatur, quaeque coenaculum eſt, et prandio inſeruit; ibi bellariis et vino optime recepti atque tractati ſunt peregrini, donec Illuſtriſſ. Legati Polonici abierunt. Vtrimque graues ſermones habuerunt Suae Excellentiae, et Ill. Dn. Regni Theſaurarius a noſtra parte loquutus eſt verbis admodum diſertis: conſtante toto actu in curialibus, gratulationibus de pace, et reſpectiue condolentia ſuper morte Regis glorioſiſſimi, gratiarum inuicem actionibus, ſtabiliendae magis magiſque inter vtroſque Reges et Regna amicitiae ſponſionibus, votis, et denique priuati officii promiſſionibus. Subſcriptio autem Inſtrumentorum Pacis hodie fieri nequiuit, ſiquidem impoſſibile fuit exemplaria parata habere. Licet etiam heri conuentum eſſet, vt hodie ſubſcriberent Secretarii ratificationum Formulas: factum tamen non eſt, partim propter temporis anguſtiam, diſſita loca, vnde Oliuam venire oportuit, et occupationes alias omnium Secretariorum, partim, quod noſtri Dnn. Legati adhuc ſperarent ſe perſuaſuros in proximo congreſſu Dnn. Polonis, quo dictae Formulae ſubſcribantur ab ipſis omnium partium Legatis.

Actum eodem, poſt prandium.

Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legati noſtri ſimul omnes viciſſim viſitarunt Dnn. Polonos in ſtatione eorum, qui eſt pagus *Striez*, factumque hoc eſt reciprocis ceremoniis, adparatu, receptione, mo-

Digitized by Google

do, obſeruantia, tractamentis Aulicorum comitantium, ſicuti apud nos hodie Sobothi Dnn. Polonis exhibitum erat. Adparatus et comitatus noſter conſtitit in ſex carpentis et ad xxv. equitibus Aulicis, numeroque ſufficiente Epheborum, ſatellitum, pediſſequorum, ſeruorum et famulorum. In reditu Suae Excellentiae voluerunt Oliuae Dn. Legatum Mediatorem de Lumbres inuiſere, cumque eo loqui de rebus diuerſis, praecipue tempus, locum et modum tandem certum ſubſcriptionis et permutationis Inſtrumentorum Pacis concernentibus; item de punctis et Articulis, quae Inſtrumento Pacis non inſeruntur, quomodo eorum firmitas conſiſtere poſſet, quum quidem a Secretariis ſubſcripti et per Articulum promulgatorium ab ipſis omnium partium Dnn. Legatis ratihabiti, non vero ſeorſum quilibet a Legatis ſubſcripti ſint, ceu ſupra in Protocollis dd. $\frac{26}{6}$ et $\frac{27}{7}$ $\frac{\text{April.}}{\text{Maii}}$ continetur, ibique videri poteſt; item vt efficeret Dn. Mediator, quo Formulae ratificationum ab ipſis Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatis ſubſcribantur. Sed is profectus in vrbem Dantiſcum fuerat. Prandio vero Dn. Abbatis, ad quod heri fuerunt inuitati, non interfuerunt Dnn. Legati noſtri, non conuenire propter luctum Regis dicentes, proindeque ſe excuſatos habere petentes.

Actum die $\frac{29\ \text{April.}}{9\ \text{Maii.}}$

Hodie, qui dies nobis ſecundum Calendarium Iulianum eſt *Dominica Quaſimodogeniti*, Pontificiis autem *Dominica Exaudi*, celebratum eſt Feſtum gratiarum Actorium pro pace, Sobothi, Elbingae, Mariaeburgi, et Stumae, fuitque textus pro concione Cap. XII. Eſ. ceu ſupra iam adnotatum eſt. Ante concionem, iuſſus eſt ab Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurario Secretarius Legationis Suecicus adire Dn. Mediatorem Oliuae, cumque ipſo de ſequentibus colloqui. 1) Remonſtrare debuit, hoc die vt fiat ſubſcriptio Inſtrumenti Pacis, non eſſe poſſibile, ideoque rogandum Dn. Cancellarium Pacium, quo differre adhuc iter ſuum ipſi haud diſpliceat, quum omnino, vt is vna ſubſcribat, ſit neceſſarium. 2) De ordine procedendi, noſtros Dnn. Legatos velle craſtina octaua matutina conuenire, Inſtrumentaque conferre. Item, quoad Articulos Separatum, et reliquos non inſertos, quo-

quomodo illi confirmandi ſint: oportere autem confirmationem eorum fieri ante ſubſcriptionem ſollemnem Inſtrumentorum. 3) Si fieri in templo ſubſcriptio debeat, quaeri, an vna, vel duae, vel tres tabulae ſeu menſae ponendae, propter Imperatoris Legatos, quaeue aliae obſeruandae ceremoniae? quo loco cuiuſque partis Legati ſtaturi? quo colore menſae et ſellae vel ſubſellia induenda, quum noſtri nigro, ob luctum propter mortem Regis, vti neceſſe habeant. 4) Inſtrumenti exemplaria num imponenda menſae, an vero per Secretarios praeſentanda ad ſubſcriptionem Legatis? 5) Quinam ſermonem habituri ſint, parteſne, an Mediator? Si iſtae; cuius Legatio initium factura, quum nullus cedere alteri velle praeſumatur? Numquid conducat, Mediatorem loqui, deinde partes ſibi inuicem gratulari? Et ſi quae alia inter diſſerendum moneat Dn. Mediator, vt Secretarius ea omnia diligenter obſeruet ac referat, quo cum Dnn. Collegis S. Excellentiae communicare poſſit. Conſcendit currum Secretarius, et quum paſſus aliquot progreſſus eſſet, e regione Carlekouiae, obuium vidit Dnum Mediatorem. Quare quum carpenta prope ſe adtingerent, ex ſuo hic proſiliit, receptuſque in currum Dn. Mediatoris ſuperiora eidem explicauit. Dum Dn. Mediator ad ſingula diſſerere incipit, ad domum Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarii adpropinquamus, vbi praeſens cum praeſente hac de re contulit. Videbatur autem Dn. Mediator adhuc ipſe in pleriſque non inſtructus atque incertus eſſe, et eamdem fuiſſe cauſſam iſtius aduentus eius. In hoc tamen ad extremum perſtitit, vt Legati omnes circa tertiam aut quartam pomeridianam hodiernam Oliuae conuenirent, et cuncta, quae vel in ſuperioribus conferentiis nondum complanata, vel adhuc, ceu ante non propoſita, perficienda ſint, componantur atque adaptentur, ita vt craſtino non niſi ſollemniſatione opus futurum ſit: ſiquidem Dn. Magnus Cancellarius amplius remorari nec velit, nec poſſit, adeo vt, ab ipſo ſubſcriptio an fieret, dubitetur. Cum quibus ſe ad Dnn. Polonos et Electorales recepit, vrgente Illuſtriſſimo, vt omnem det operam, quo Dn. Pacius non abeat ante factam ab ipſo quoque ſubſcriptionem. Deſcendenti ad Cancellarium Legationis ſupra memorato Secretario noſtro, occurrit ad portam domus inferiorem, aditurus Illuſtriſſimi Dn. Regni Theſaurarii

Digitized by Google

ſaurarii Excellentiam Dn. Legatus Gyldenklauius, qui totus conſenſit in ipſo Dn. Mediatoris propoſito, dicens valde periculoſum, ſi Dn. Cancellarius M. Ducatus Lithuaniae abiret, pace ab ipſo non ſubſcripta. Conuenerunt etiam Dnn. Comites Oxenſtierna et Schlippenbach, totique Collegio recenſuit Dn. Regni Theſaurarius, quae ſupra hic notata ſunt: et nemo fuit, qui non optaret congreſſum a Dn. Mediatore propoſitum fieri; eoque modo cuncta componi hodie poſſe. Sed exſpectandum fuit Dn. Mediatoris nuncium.

Interea coepta ſunt ſollemnia; habita tam inſtrumentalis quam vocalis muſica; celebrata concio; decantatus hymnus, *Te Deum Laudamus*, conſuetus; exploſa tormenta tum terra, tum ex duabus galeotis noſtris in littore, auditus ſclopetorum ſonus atque tympanorum, et tubarum tibiarumque clangor amoenus; pranſum deinde, ac pro neceſſitate et gaudio, velut in iſtiuſmodi conſueuit fieri, bibitum, et totum Sobothum vicinaque montana iubilo repletum. Dum haec aguntur, dies ad veſperam declinat, et praeterlapſis non tantum tertia et quarta, verum etiam quinta pomeridianis, congreſſum differri oportere in craſtinum, per miſſum a Dn. Mediatore Aulicum nunciatur.

Actum Oliuae d. $\frac{30\ \text{April.}}{10\ \text{Maii}}$ ab VIII matut. vſque ad XII noctis.

Manus vltima fuit imponenda operi, inſumtuſque eſt dies fiendis praeparatoriis omnibus aliis neceſſariis perficiendis, vt infra ſequitur. Formulae ratificationum demum conuentae ſubſcribuntur, et permutantur.* Ipſe autem Articulus Separatus de Elbinga hodie extenſus, ſubſcriptus ab Illuſtr. atque Excellent. Dnn. Legatis noſtris, Dnn. Polonis eſt extraditus, qui per Reuerſales ſe obſtrinxerunt ad eius extraditionem Dn. Electoris tunc Legato futuro ante commutationem ratificationum. "Nos infra ſcripti S. R. M. Regnique Sueciae ad Tractatus Sueco-Polonicos Legati Plenipotentiarii, Sereniſſ. Regis Regnique Sueciae nomine declaramus, ea, quae in Inſtrumento Pacis, Articulo

* Harum ratificationum Formulas pleraſque, ex Inſtr. Pac. editione Regiomontana deſcriptas, inſerui Actis Publicis Pacific. No. LXVIII ſq. Neque hic repetendas putaui, quippe inter ſe parum diuerſas.

culo II. de redintegratione iurium diſponuntur, non debere concernere ditiones, ſtatus, ciuitates, terras et loca, quae a Sua Serenitate Electorali Brandeburgica poſſidentur, nec eo trahenda, neque obſtare eumdem Articulum, quominus *Elbinga iure, quod eidem Suae Serenitati Electorali competere poteſt, tenenda tradatur, ſaluis* de cetero eiuſdem Ciuitatis priuilegiis et immunitatibus, tam in Eccleſiaſticis, quam Politicis, ſaluo itidem iure retractus conuentionalis Sereniſſ. Regi et Reipubl. Polonae, quoad Elbingam. Atque haec Declaratio eamdem vim cum Inſtrumento Pacis hodie ſubſcripto obtinebit. Proinde nos ſupraſcripti promittimus, hanc Declarationem eodem tempore, quo ratificatio principalis Inſtrumenti Pacis expedietur, per peculiare diploma ratificationis ratihabitum, eoque nomine illud Dnn. Polonicis Commiſſariis eodem tempore, quo ratificatio principalis Inſtrumenti extradetur et communicabitur, iisdem pariter traditum iri. In cuius rei fidem nos eamdem Declarationem ſubſcriptione et ſigillis noſtris gentilitiis corroborauimus. Actum Oliuae, die $\frac{23\ \text{April.}}{3\ \text{Maii}}$ MDCLX."—

Deinde inſtituta eſt collatio exemplarium Inſtrumenti Pacis in Cancellaria noſtra per Secretarium, et Regiſtratorem, et Cancelliſtas; adiunctique Dn. de Weydenhayn et Secretarius Rudolphi, ſiquidem perſonae Cancellariae Legationis propriae, quatuor exemplaribus legendis et auſcultandis non ſufficiebant. Quippe dandum erat exemplar noſtrum Dnn. Legatis Polonicis, alterum Caeſareis, tertium Electoralibus, quartum Dn. Mediatori. In eo, quod datum eſt Dnn. Caeſareis, Art. XV. §. 3. in margine, manu Secretarii *von Schroer*, poſita ſunt iſta verba: *et vectigalia.* In eo, quod acceperunt Dnn. Electorales in procuratorio S. R. M. Caroli Guſtaui, poſt verba, *finaliter terminandas; vt et*, inſerta eſt particula *ad*, quae omiſſa erat. In eo, quod datum eſt Dn. Mediatori, eodem Articulo, poſt verba, *Dn. Legatus Gallicus*, correctum eſt *ratificationem* pro *rationem*, per modo memoratum Secretarium. In Plenipotentia S. R. M. Caroli, titulo Electoris poſt verbum, *Conſanguineum*, inſerta eſt particula *et*, quae fuit omiſſa. Idque omne, per ſupra dictum Secretarium. Non fuit aliquid correctum hodie in eo, quod dandum fuit Dnn. Legatis Polonicis. In Polonico tituli abbreuiati ſunt, ſed in Articulis, qui Caeſarem et Electorem proprie concernunt, titulus Regius Suecicus poſitus eſt totus. In

Digitized by Google

titulo Electoris omiſſi *Iuliaci*, *Cliuiae et Montium* tituli: ſed S. R. M. Sueciae titulus totus poſitus.

Quoad ſollemnia ſubſcriptionis, primum Dnn. Legatis partium omnibus, non minus quam Dn. Legato Mediatori, mens fuit, vt in templo illa fieret, eoque fine poſitae ſunt ibi menſae in medio, a ſummi Altaris parte dextra, quae ſtratae aulaeis et holoſerico, ad pompam (niſi quod noſtra tabula ac ſellae in colore nigro luctum Glorioſiſſimi Regis et hic praeſentem monſtrarent,) adornatis cunctis, oculo ſpectatum venientis populi per integrum diem ſe praebuerunt. Similiter poſitae ſunt pro legendis publice Inſtrumenti Pacis concluſae et ante octiduum promulgatae ſubſcribendis exemplaribus, in illo Monaſterii tramite ſeu meatu, qui ex conclaui Legationis Polonicae ducit, ac vulgo *Creuzgang* adpellatur, cuius ſupra quoque, ante octiduum videlicet, mentio facta eſt; primum vnica, deinde duae, tandem tres menſae, holoſerico Damaſceno tectae; videlicet vna verſus noſtrorum Dnn. Legatorum conclaue, altera in medio pro Gallico Secretario, tertia conclaue Dnn. Polonorum ſpectans pro Polonico et Foederatorum Secretariis; ſatiſque mutata eſt haec ordinatio, modo ſublatis, modo iterum adlatis menſis iſtis. Quum vero diuerſa emergerent conſideranda, inprimis quod Caeſarei, tamquam partis acceſſoriae Legati, prae parte paciſcente principali Polonia praeferentiam ambirent, et velut directorio vti volentes, praeſidere haud obſcure praetenderent, adeo vt non parum inter ſe illi diſputare coeperint; item, quod eadem Legatio Caeſarea, ſe praeſente, Dnn. Legati Gallici praeſentiam recuſaret: deinde ſub veſperam menſae ac praefatus adparatus omnis ſummotus eſt;* peractaque ſunt ſollemnia hoc modo.** Nimirum claudebatur ob hominum multitudinem, quae Dantiſco, quod milliari diſtat ab Oliua, egreſſa fuit, locus hic ſupra memoratus Heyduccis et ſatellitibus, ſteteruntque omnium Legationum Secretarii in medio tramitis, quem totum deſuper, vt in monaſteriis ſolet, fornix tegit, et circa ſextam ferme veſpertinam publice per eoſdem permutata

* Prorſus in eumdem modum rem commemorat PVFENDORFIVS l. c. p. 612. quem, in Suecia functum aliquamdiu Hiſtorici munere, haud dubitauerim in his deſcribendis hoc ipſum ante oculos Diarium habuiſſe. Ita vero ait: *Placuerat initio ſubſcriptionem in templo fieri: quo fine iam menſae pro Suecis, Polo-*

tata ſunt exemplaria Inſtrumenti Pacis ſubſcribenda omnia. Suecicus ſua dedit in manus Secretarii Gallici, qui Suecico viciſſim obtulit Polonicum et Brandeburgicum, ac deinde hoc modo diſtribuit, vt Secretario Polonico illa duo pro Polonis et Caeſareis, Brandeburgico id, quod Electoralibus Legatis offerendum erat, traderet, quartum pro Dn. Mediatore retineret. Sed Secretarius noſter Caeſarianorum exemplar ex manu Secretarii Polonici accepit, quemadmodum etiam Suecicum Inſtrumentum Secretarius Caeſareus per eumdem Secretarium Polonicum mediate accepit. Hiſce, quae tamen tumultuarie propemodum, vt hactenus pleraque fere reliqua fiebant, ita vt ſpectantium, niſi prius informatus, vix centeſimus ordinem in non-ordine obſeruare potuiſſet, peractis, clara et quidem lenta voce, quo eo melius audiri atque intelligi poſſet, Secretarius Gallicus auſcultantibus reliquis legit. In Art. II. §. 5. in verbis, *Quae durante bello*, omiſſum deprehenditur, *hoc vltimo.* Quae tamen verba in Concepto, d. $\frac{29 \text{ April.}}{9 \text{ Maii}}$ ex conuentione addita tum fuerunt, in exemplaribus autem per errorem ſcribarum omiſſa, et propterea vbique adponenda. Dum ad Articulum V. *Pars Liuoniae* etc. deuentum eſſet, in §. primi principio omiſſa fuit particula, *eaque*, quam in ſuis exemplaribus habebant Poloni, quia formauerant ſua exemplaria ex parte, ſecundum Articulos a nobis ſubſcriptos; Conceptum autem ipſum, quod alias genuinum eſt, et adſeruatur apud Acta Legationis huius Suecicae ſub No. 65. nos formauimus ab initio ex Articulis, a parte Polonica ſubſcriptis, vbi inter conferendum, (properantibus plerumque nimirum et Dnn. Polonis et Dn. Mediatore,) forte non fuit obſeruatum a Secretario, vel eo, qui ex Suis Excellentiis auſcultauit. Denunciatur Dn. Mediatori, quaeriturque, cuius addi manu debeant omiſſa? Sed ſimul irruebant tenebrae, et quum tota nox inſumenda videretur conferendo Inſtrumento toti, ob Dnn. Cancellarii Pacii abitum vero res moram non pateretur amplius, conuenerunt Legati, poſt ſubſcriptionem differre actum conferendi, per Secretarios Legationum perficiendum, qui manu quiſque

Polonis et Foederatis poſitae erant. Sed quia Caeſarei tamquam pars acceſſoria Polonos velut principalem partem praecedere, et directorium quoddam exercere poſtulabant, menſae ſub veſperam remotae ſunt.

** Conf. PVFENDORFIVS loc. comm. Verba ſatius viſum eſt infra adferre, Obſeru. XXI.

que ſua in ſuis Originalibus addere manifeſte omiſſa, et ſuis Principalibus referre etiam poſſint, ſi aliqua difficultas oriatur.

Itaque circa decimam veſpertinam Secretarii Legationis Suecicae, Polonicae et Brandeburgicae in conclaui Dn. Mediatoris congregabantur, et exemplaria omnia, praeter illa duo inter Sueciam et Auſtriam commutanda, oblata ſunt ipſis, quibus ſingulis ille vbi ſubſcripſiſſet, primus reddidit ad ſubſcribendum offerenda partium Legatis: Polonicum quidem et Brandeburgicum data ſunt Secretario Suecico, tria autem Suecica, pro Polonica, Electorali et Gallica Legationibus, acceperunt illi Secretarii; ſed Caeſareum, pro Legatis Suecicis, Secretarius Polonicus Suecico, et reciproce Suecicum pro Legatis Caeſareis, Secretarius Suecicus Polonico dedit. Hiſce contulerunt ſeſe, praeeuntibus facibus cereis candidis, Suecicus in Legationis Polonicae, vbi ſimul fuerunt Confoederati, Polonicus, Caeſareus et Electoralis Brandeburgicus in Dnn. Legatorum Suecicorum conclauia, et ſingulis quiſque Legationibus exemplar illorum Legatorum proprium ad ſubſcribendum, ſine vllo ſermone, factis reuerentiae curialibus, obtulit. Conſederunt in conclaui Dnn. Polonorum, in ſummitate menſae, Dn. Comes a Colourat et Dn. de Liſola: his ad dextram in vno ſubſellio, Dn. Palatinus Leſzinski, Dn. Cancellarius Pacius, Dn. Morſtynius, et Dn. Gninski: in ſubſellio tabulae ſiniſtro, tergis parietem prementibus, Legati Electorales Dn. ab Houerbeck, Dn. a Somnitz et Dn. ab Oſtau. Excepit ex manu Secretarii Suecici omnia tria exemplaria, Polonicum videlicet, Caeſareum et Brandeburgicum, Dn. Cancellarius Pac, ſubſcripſitque primus Polonicum, deinde Dn. Palatino Poſnanienſi modo memorato obtulit, qui in ſpatio ſibi relicto quoque ſubſcripſit, prae loco Dn. Pacii; deinde ſubſcripſerunt ordine Dnn. Morſtynius et Gninski, ſiquidem, vt ante memoratum eſt, cum Rege Dn. Cancellarius Praſmowski et Dn. Rey iam erant profecti, Dn. Lubomirski autem non interfuit Tractatui, praeſertim in loco Oliuenſi. Poſtea Dn. Leſzinski idem exemplar tradidit Dn. ab Houerbeck, qui cum ſuis Collegis penes Dnn. Polonos illud ſubſcripſit. Hoc facto Dn. Palatinus Poſnanienſis Leſzinski alterum Inſtrumenti ſubſcribendi exemplar Dn. Comiti a Colourat exhibuit, atque ita hoc ſubſcripſerunt Dnn. Caeſariani, abſque aliquo Mediatore. Tertio loco ſeorſiuum

uum

Digitized by Google

uum Electoralium exemplar Dn. Pacius iis obtulit, ſubſcripſeruntque Dnn. Electorales. Cauſſa, cur Electorales bis ſubſcripſerint, eſt, quod in vnico velut communi Inſtrumento, licet diuerſis in Originalibus, et pars principalis Polonia, et ambo Confoederati ſubſcribere debuiſſent: ſed impediuit hoc praetenſa Caeſarianorum praerogatiua atque Mediatoris recuſatio, factumque eſt, vt, quum hi ſoli ſeorſiuum ſubſignarent, Electorales quoque, praeter commune, ſeparatum ſubſcriberent exemplar, tum vero etiam quod in eo Originali, quod dederunt nobis Poloni, tituli erant abbreuiati, Electorem autem S. R. M. Dn. noſtro Clementiſſ. integrum dare titulum oportuit. Conſignatis deinde hiſce tribus pro Suecia Originalibus, eius Legationis Secretarius, factis (quum loqui nihil in mandatis haberet,) curialibus geſtum et debitis ceremoniis, ad Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Principales ſeſe recepit, idque omne retulit. Interea cum partis alterius Secretariis eodem modo proceſſerunt in conclaui ſuo, ad modum, quem tabella exhibet, diſpoſito, noſtri Dnn. Legati. Secretarii Polonicus, Caeſareus et Electoralis obtulerunt noſtra exemplaria Suis Excellentiis ſubſcribenda, vt ſubſcripta ac ſigillata ſuis Dnn. Principalibus redderent. Facta ſubſcriptione et ſigillatione, receſſerunt, nihil aut parum loquuti, factis tamen decentibus curialibus, ad ſuos Dnn. Principales. Exemplar pro Dn. Legato Gallico ſubſcriptum fuit, antequam reliqua, ita vt non adeſſet Secretarius eius, vbi ſubſcriptio pro Polonis et Foederatis fieret. Quum intraſſent Secretarii modo dicti, Suae Excellentiae ordine ſteterunt ad menſae partem, quae conclauis reſpectu introitus latus dextrum eſt: quum ſubſcriberent, terga ianuae, per quam ex tramite (*dem Creuzgange*) intratur, obuerterunt. In altero latere conclauis Dn. Abbas, cum praecipuis Monaſterii, per dimidiam et amplius horam exſpectantes ſubſcriptionis actum, ſteterunt, ſiquidem ille iam intra parietum conclauia fiebat, quem ante in templo fieri crediderant. Iſti igitur, inter gratulantes nobis de facta ſubſcriptione Inſtrumenti Pacis, primi fuerunt: omnibus peractis, a Dn. Mediatore facta eſt gratulatio tam noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentiis, quam Dnn. Polonis et Electoralibus. Notandum quoque, quod in iis exemplaribus originalibus, quae vel Dnn. Caeſareis a parte Suecica et Electorali data ſunt, vel illi hiſce ſubſcripta extradiderunt, in Epilogo omiſſa ſint

 verba,

verba, quae Dn. Mediatoris Gallici mentionem faciunt: id quod eſt quarta cauſſa ſeorſiuae ſubſcriptionis. Inuoluta fuerunt Originalia chartacea, quae deinde pro pergamenis, quibus tempus iam fuit conficiendis nimis anguſtum, retradentur, noſtrum atro holoſerico, Polonorum argyroſerico albo, Caeſarianorum holoſerico rubro, et Electoralium holoſerico nigro. Dum haec agebantur ab vndecima nocturna, vſque ad dimidiam duodecimam, media nox adpropinquauit, et feſſis per labores praeteritos omnibus, Secretarii noctem inſumere conferendis iam ſubſcriptis Originalibus non valuerunt: ſed dilatum eſt hoc negotium in matutinum craſtinum, vbi adtentius auſcultatio fieri poſſet. Diſceſſum eſt, ad ſuas quilibet ſtationes.

Actum eodem.

Monuit Dn. Legatus Gyldenklauius Sobothi, antequam iretur Oliuam: 1) Vt Ablegatus Neoburgicus Rautenſtein rogaretur communicare nobis Copiam ſcripti illius Brandeburgici, contra Receſſum Limitaneum Pomeraniae, nuper elapſis diebus editum: 2) Vt Suae Excellentiae ſcriberent ad Sereniſſ. Ducem Holſatiae, tranſmitterentque Copias Declarationis ſ. Reuerſalium nomine ipſius conuentarum, vti et Articulorum, Serenitatem Suam concernentium: 3) Vt Gubernatori Rigenſi demandaretur mittere Dnn. Commiſſarios, qui ſtatim reuideant limites inter Curlandiam et Liuoniam, in partibus videlicet Ciſdunanis: Commiſſio enim ex pacto finiri intra menſem debet poſt ſubſcriptam pacem, quod erit vltimo Maii, ſt. v. Commiſſarii vero bene inſtruantur, oportere, ne vel negligatur quid, vel etiam poſtuletur aliquid, quod commutationi ratificationum cauſſari moram impedimentumue poſſet.

Hora duodecima noctis, poſtquam Oliua rediſſemus Sobothum, Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius per ſchedulam monuit, ac iuſſit Secretarium Legationis noſtrum, vt craſtina probe obſeruaret: 1) Vt in Articulo Amneſtiae ad ea, quae de bonis mobilibus vel immobilibus loquuntur, ad voces, *quae durante bello*, addatur *hoc vltimo:* ſiquidem hodie iterum conuentum eſſet, vt nimirum ea verba in omnibus exemplaribus, vbi in Cancellariis Polonica et Confoederatorum omiſſa ſunt, inſeran-

inſerantur. 2) Vt in Originali noſtro, pro Legatis Electoralibus, ponatur totus titulus *Iuliaci, Cliuiae et Montium* Sereniſſimi Regis noſtri. 3) Vt poſtulet Atteſtata Dn. Mediatoris ſuper nonnulla, quae Inſtrumento Pacis non inſerta ſunt. 4) Vt Procuratoriorum apographa ſubiungantur ad omnia Inſtrumenti Pacis ſubſcripta exemplaria.

Actum Oliuae d. $\frac{11}{1}$ Maii, ante et poſt meridiem, vſque ad veſperam, et ipſam noctem.

Sicut praeterita nocte hinc inde promiſſum fuit, omnes omnium Legationum Secretarii conuenerunt cum ſuis Cancelliſtis Oliuae, et quidem in conclaui, vbi Legatio Polonica tempore congreſſuum manſerat; tum quia conclaue a Dnn. Legatis Suecicis inhabitatum, vti etiam Dn. Mediatoris, quod vel ipſe neceſſe habebat, nimis erat anguſtum pro capiendis quindecim hominibus, (tot enim exemplaria Inſtrumenti Pacis, ab omnibus Legatis praeterita nocte hinc inde in charta originaliter ſubſcripta, fuerunt conferenda,) ad quos etiam Secretarius Gallicus acceſſit; tum quod ipſius Conceptum in illo conclaui, vt ſupra habet Protocollum, fuerat confectum; tum quia non cenſebatur e re, inter Secretarios mouere ſuper loco litem competentiae, et rem maximi momenti vel remorari, vel etiam dare anſam penitus non conficiendi negotium, quod, minitante quauis horae minuta abitum Secretario Polonico, valde Suecicus metuebat. Facta proteſtatione, ne quid locus praeiudicare debeat, ingreſſis et congregatis omnibus, dextrum in ſuprema longae menſae parte locum occupauit Secretarius Mediationis, ſiniſtrum Suecicus; ita vt Polonicus in dextro latere menſae ad dextram Gallici, Caeſareus in ſiniſtro diametraliter verſus Polonicum ad ſiniſtram Suecici Secretarii adſiderent; et ſic ſecundum ordinem ſequentibus reliquis. Coeptum eſt conferri, legente Secretario Gallico, auſcultantibus ceteris. Et ſi quid dubii fuit, recurſum fuit ad Dn. Mediatorem. Animaduerſa ſunt autem, obſeruata et ratificata, quae ſequuntur. In Articulo II. §. 5. verbis, *Quae durante bello*, omiſſum fuit *hoc vltimo:* quod adpoſuit manu ſua Secretarius Suecicus in ſuis quatuor exemplaribus originalibus. Art. V. §. 3. poſt verba, *Et Regnum Sueciae, eique ſubiectas prouincias*, additum ſimiliter

Digitized by Google

eſt per eumdem Secretarium, *inprimiſque Liuoniam Suecicam.* In Concepto autem Inſtrumenti Pacis, die $\frac{26\ \text{April.}}{6\ \text{Maii}}$ omiſſa ſunt haec verba, quod ad manus tantum fuerunt Articuli, a parte Polonica ſubſcripti, quas iuſſu Dn. Regni Theſaurarii Secretarius Suecicus Oliuam ſecum tunc tulerat, oblito Polonico Secretario, vt Dn. Mediator adſeruit, eos adferre, qui a noſtra parte ſubſcripti fuerunt, et cum Polonicis commutati. Ex hiſce Polonicis enim conficiebatur Inſtrumentum, die modo dicta, vſque ad Articulum XXI. incluſiue: vbi deinde noſtros Articulos in ingroſſatione adhibuerunt Poloni. Facile vero contingere potuit, quod per tumultuariam quandoque properantiam Dnn. Polonorum, et interdum etiam Dn. Mediatoris accelerationem, dum commutarentur Articuli, haec minus ſint adprehenſa. In Art. XXII. §. I. inſertus eſt a nobis et ab Electoralibus titulus Suecicus totus: in omnibus ſubſcriptis exemplaribus chartaceis. Quum autem Dnn. Poloni recuſent aliquod Originale accipere, in quo ſit expreſſus Suecicus titulus integer: ideo in exemplaribus Confoederatorum, Legationi Polonicae dandis, omnes tituli non tantum in Art. modo nominato XXII. verum etiam XXIV. abbreuiabuntur; in his vero, quae inter Suecicos, Caeſareos et Electorales Dnn. Legatos Plenipotentiarios commutata ſunt in Originali exemplaria, vti quoque in his, quae dantur a Suecia et Brandeburgico Regi Mediatori, obſeruabantur tituli toti, tam S. R. M. Sueciae, quam Imperatoris et Sereniſſ. Electoris Brandeburgici, in praefatis iſtis Articulis. Nam in Introitu huius Inſtrumenti, et Articulo primo, tamquam Regis Poloniae cum S. R. M. Sueciae proprio, tres Etceterationes ponuntur: ceu ſupra Protocollum demonſtrat. In eodem Art. XXII. §. I. in Electorali nobis dando deeſt, *Fortunis:* quod addit Secretarius eius Legationis. In Art. XXIV. in Electorali Ill. atque Excell. Dnn. Legatis noſtris dando Originali, extendi debet titulus S. R. M. Regis noſtri, et pro abbreuiato inſeretur integer, vt modo hic ſupra mentio facta eſt: e contra in illo, quod Dnn. Polonis datur, Etceterationes ponentur. In eodem Art. in Caeſarianis exemplaribus extenſus eſt titulus S. R. M. Regis Sueciae, et abbreuiatus Electoralis: quare mutare petit Secretarius Electoralis, aut extendendo Electorali, aut ſimul quoque abbreuiando Suecico titulo. Caeſareus Secretarius facile admittit, vt abbreuietur Suecicus: ſed Secretarius noſter id recuſat, veluti

contra

Digitized by Google

contra pugnans hiſce, quae iam modo de Articulis XXII et XXIV. dicta, et a Legatis complacita ſunt. Tandem promittit Caeſareus Secretarius emendationem, ita vt Electoralis quoque titulus extendatur, ſecundum vti conuentum eſt ratione Iuliaci, Cliuiae et Montium, ſicut habet Protocollum ſupra. Porro in omnibus, praeterquam Suecicis, Inſtrumenti originalibus exemplaribus, in Art. I. §§. 22. 24. item in Introitu omiſſum eſt in titulo S. R. M. Sueciae *Princeps Hereditarius:* quod in tot locis mutare poſt ſubſcriptionem Dnn. Legatorum haud facile, immo vix conſultum fuit. Itaque Secretarius Suecicus proteſtatur et reſeruat Suis Excellentiis Dnis Legatis, vt in pergamenorum ingroſſatione Originalium vbique inſeratur.

Hiſce, perlecto et auſcultato Inſtrumento toto, obſeruatis, dum cenſet Dn. Mediator minutiora non eſſe adtendenda, veluti copulae, vtpote *ac* pro *et;* item in Art. V. §. I. in principio, vbi in quibuſdam omiſſa eſt particula, *eaque*, poſt verba, *Pars Liuoniae*, ita vt alia exemplaria habeant, *Pars Liuoniae, eaque Auſtralis;* alia vero *Pars Liuoniae Auſtralis*, et ſimilia: diſceditur. Et deinde, quae ratione tituli in Articulis XXII et XXIV. emendanda erant, poſt meridiem circa veſperam conficiuntur: vbi ſciendum, quod in noſtro Polonis dato Originali quatuor folia ea de cauſſa exſciſſa ſint, et eadem Concelliſtae manu, qui ſcripſerat, iterum ingroſſati: id quod et Brandeburgicum et Caeſareum Secretarios facere oportuit. Hic notandum, quod Dn. Legatus Gyldenklau, per ſchedulam, Sobotho euntem Oliuam Secretarium noſtrum quidem monuerit, vt in §. penultima, *Cunctae actiones* etc. Articulo II. qui eſt Amneſtiae, in verbis, *Pruſſiae Regalis, Curlandiaeque*, interſereretur etiam Liuoniae, ita vt ſonaret, *Liuoniae Curlandiaeque.* Sed quum neque Conceptum Inſtrumenti Pacis, neque eius ſubſcriptorum Originalium vllum, neque ſubſcriptus a Secretariis Legationum iſte Articulus, neque aliquod eiuſdem Proiectum, Liuoniam exprimant, vel mentionem illius faciant, mutari non potuit. Atque dum mentio hic facta eſt Concepti Inſtrumenti Pacis, notandum eſt, quod Conceptum Inſtrumenti Pacis Suecico-Polonicae An. MDCLX. Oliuae concluſae genuinum illud ſit, quod in Cancellaria Regia Suecica Holmiae, apud Acta Legationis eiuſdem, ſub No. 65. adſeruatur. Ad normam enim illius, vtpote quod a Legatione Suecica ex

 Arti-

Digitized by Google

Articulis, a Secretariis, ſubſcriptis formatum, et praeſentibus die VI. Maii ſt. n. Dn. Mediatore, Dnisque Legatis Polonicis et Electoralibus, die VII. eiuſdem vero Dnn. Polonicis, Caeſareis et Electoralibus Legatis praeſentibus, ſubdelegato iterum Suecico Legationis Secretario, in conclaui Legationis Polonicae, cum modo memoratis ſubſcriptis Articulis collatum atque adaequatum, ac deinde in ordinem Articulorum et §§. quo illud ipſum Inſtrumentum Pacis iam exhibet, redactum et a Dnn. Plenipotentiariis Suecicis comprobatum, Originalia tam Suecicum quam Polonicum, Caeſareum et Electorale ingroſſata atque ſubſcripta ſunt, exceptis emendatis, quae hic ſupra dicta ſunt, paucis, ratione abbreuiationum et titulorum, itemque verborum, *hoc vltimo bello*, §. 5. Art. II. item verborum, *inprimiſque Liuoniam Suecicam.* Quum enim Poloni in Articulis XXII et XXIV. totum titulum Regis noſtri accipere nollent, deſcribendi erant illi Articuli de nouo in Originalibus Legationi Polonicae dandis, et tam Imperatoris et Electoris Brandeburgici titulus, quam Suecicus et Polonicus, abbreuiandi cum Etceterationibus: quod melius adparebit infra in obſeruandis in ingroſſatione Inſtrumenti Pacis ratificandi. Namque haec fuit cauſſa exſciſſorum hodie quatuor foliorum praefatorum in Inſtrumento Pacis, in charta ſubſcripto, et Dnn. Polonis a Suis Excellentiis dato.

Vbi iam haecce fuiſſent emendata et penitus recte perfecta, poſt ſigillationem Illuſtriſſ. Dnn. Legatorum, quilibet Secretarius in ſuo, ſub finem inſertorum apographorum, ſeu Procuratoriorum, traducto filo holoſerico, quoque ſubſcripſerunt et ſubſignarunt, quemadmodum ipſa Originalia id in Cancellaria Regia Holmiae ad oculum exhibebunt. Sed quod ad Procuratoria adtinet, noſtra tantum in noſtris fuerunt inſerta; ideo promiſerunt Secretarius Polonicus inſertionem circa commutationem Originalis, in pergameno ſubſcribendi, Caeſareus propediem, Brandeburgicus ſimiliter: quod et is praeſtitit hodie, ſed tantum inſerto illo de A. MDCLIX. quia Plenipotentiae de A. MDCLX. nec adhuc ab Electoralibus nobis extraditae ſunt, ſed intra tempus ratificationis Inſtrumenti Pacis extradi promiſſae. Vrſit quidem Secretarius Suecicus inſertionem reliquorum Procuratoriorum, ſed fruſtra; ſiquidem ſumma properatione abire ſe cogi, vt Regem ſequeretur, praetenderet Polonicus Legationis Secretarius; Caeſareus autem ad

manus

Digitized by Google

manus, veſpera iam ingruente, ſe non habere, ſed Dantiſci apographa eſſe diceret; Electoralis Dnn. Legatis ſuis nondum tranſmiſſum eſſe Originale nouiſſimae Plenipotentiae adſeueraret. Reſpondit Caeſariano Secretario Suecicus, hic adeſſe Procuratorii vtriuſque Caeſarei Originalia, quae ipſi monſtrauit. Verum ille negauit hodie inſeri poſſe, quia redeundum ſibi ſit in vrbem, ad Illuſtriſſ. Dnn. Principales ſuos, promittens ſe craſtina Sobothum venturum, et praeſente Secretario Suecico, qui extraditum nobis Caeſarianum Originale chartaceum, aeque ac Polonicum et Electorale, ſecum retinuit, inſcribi facturum, ac deinde quoque poſt Plenipotentias inſertas ſubſcripturum ac ſubſignaturum. Stipulato hocce dextris, adquieſcere coactus eſt noſter Legationis Secretarius.

Eodem die, dum haec Oliuae circa reuiſionem et conferentiam Inſtrumenti Pacis agerentur, viſitationes Illuſtr. Dnn. Legatorum factae ſunt. Nimirum ante meridiem Dnn. Electorales noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentias viſitarunt Sobothi: poſt meridiem eaedem reuiſitauerunt Dnn. Electorales in ſtatione eorum, *Flemmingshof:* et tota res conſtitit, ceu moris eſt, in ceremoniis, gratulationibus, ſincerae amicitiae inter Sac. Reg. Maieſtatem ac Coronam Sueciae, et Suam Serenitatem Electoralem Domumque Brandeburgicam, adſecurationibus, ac tandem pro ſtudio, diligentia et labore, in Tractatuum per Dei gratiam adeo feliciter finitorum et concluſorum curſu, adhibito, hinc inde gratiarum actionibus. Quoad pompam ſplendoremque aulicum nihil vtrimque defuit, adornatis quoque pro comitatu bellariis ac vino; vti in viſitationibus Suecico-Polonicis ſupra mentionem fecit Protocollum. Dnn. Legati Caeſariani, noſtrorum Dnn. Legatorum Excellentias, et iſtae reciproce illos, ipſi non viderunt: ſed Legatio Caeſarea hoc ipſo die $\frac{4}{1}\frac{4}{}$ Maii, circa ſecundam pomeridianam, miſit Secretarium ſuum, (qui circiter hoc idem tempus, vnius horulae abitum ſignificabat ceteris, ac reditum promittebat, quod etiam praeſtitit,) qui gratularetur de pace, et reliqua, quae ad mutuam officiorum praeſtationem pertinent, breui ſermone compleret. Cui Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius viciſſim breuiter, diſerte et humaniſſime reſpondit, idemque Suis Excellentiis Dnn. Legatis Caeſareis vt nomine Legationis Suecicae reciproce conteſtaretur, eum rogauit. Factum autem eſt

hoc,

Digitized by Google

hoc, antequam Dnn. Legati noſtri proficiſcerentur ad Dnn. Legatos Electorales. Redeuntes a *Flemmingſhof*, Illuſtriſſ. atque Excell. Dnn. Legati noſtri viſitatum Dnn. Legatum Mediatorem, (qui et ipſe toto pomeridiano commodam horam, qua Sobothi videret Suas Excellentias, exſpectauerat,) Oliuam ſub quintam veſpertinam venerunt. Hi praemiſſis curialibus, laudantes indefeſſum Regis Chriſtianiſſimi in promouenda hac pace ſtudium, gratias Illuſtriſſ. eius Dn. Legato, pro adhibito per totum tempus labore ac diligentia ſedula, egerunt: ea, quae ad exequutionem dictae pacis ſpectant, in Aula Polonica vt perficeret, cumprimis conuentum ad ratificandum Reipubl. Deputatorum vrgeret, ipſum rogarunt, atque gratiam S. R. M. Dn. ac Regis noſtri Clementiſſimi eidem promiſerunt. De praeſenti, Regis Poloniae ratificationem euentualem vrſerunt. Ille, poſt curialia, Regis ſui in reducenda quiete Regnorum Septentrionalium Germaniaeque ſpontaneam operam depraedicans, quod ſuarum fuerit partium, lubentem ſe feciſſe, ſacereque debuiſſe dixit, ac promittendo ſua vel in futurum, cumprimis in his, quae adhuc exſequi Rex et Reſpublica Poloniae, vna cum Foederatis ſuis debent, officia S. R. M. Sueciae perhumillime ſua commendari petiit. Euentualem ratificationem adhuc hodie aduenturam a Rege adſeruit. Vbi mixto hiſce, quae hic promiſſa ſunt, diſcurſu vno vel altero, Suae Excellentiae Dn. Legato valedixiſſent, iamque in area currum conſcendere vellent, Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius Secretarium noſtrae Legationis ad ſe vocatum, et quid hodie actum ſit Oliuae, Suae Excellentiae referentem, iuſſit, vt Abbatem adiret, vti et Patrem Priorem, et cuilibet nomine Legationis Suecicae valedicendo, gratias pro exhibita, tempore congreſſuum, humanitate ageret, et illi quidem 1200. Imperiales, ſiue 3600. Florenos Polonicos, ad erigendum aliquod Pacis monumentum Oliuae;* huic vero torquem aureum ducentorum Imperialium; Patri hoſpitum, Patri Granarii, Patri Culinae Praefecto, Patri Ioſepho, et Patri Sub-Priori, vnicuique octo Imperiales; Ianitori, qui Suis Excellentiis conclaue aperuit, duodecim, et

* Quale et poſitum deinceps fuit; nimirum, tabula marmorea cum titulo Latino, quem ſupra in medium adtuli, Obſ. VII. p. 257. parum antea exteris cognitum.

Digitized by Google

et famulo, qui id mundauit, quatuor Imperiales promittet. Abbas enim, praeter exhibitam ciuilitatem, ſingulis matutinis fructus conditos, et poſt meridiem vinum cereuiſiamque in conclaue Suarum Excellentiarum miſit, interdum etiam aliquot fercula pro prandio offerri curauit. Prior autem, et reliqui, ac prae his quidem ille, conteſtari ſua officia eo vſque, donec congreſſus finirentur, non deſierunt. Secretarius iuſſa expediuit, quem Abbas in ſuo conclaui condimentis et vino, quod in ſanitatem primo Legationis, deinde Illuſtriſſ. Dni Regni Theſaurarii propinauit, excipiebat: Pater Prior autem coena lautiſſima in conclaui, quod Dnn. Legatorum noſtrorum Excellentiae inhabitauerant, ibique Inſtrumentum Pacis ſubſcripſerant, tractabat. Ambo, ſeparatim quidem, ſuo et Intereſſatorum nomine gratias pro oblato honorario, quod, extenuando ſua officia, maximi faciebant, egerunt, vtque Suis Excellentiis humillime commendarentur, rogauerunt. Dederat quoque Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius hodierno matutino in mandatis, vt a Dn. Mediatore 1) Atteſtatum vrgeret ſuper his, quae vel per ſubſcriptos Articulos non ſunt conuenta, per Protocolla tamen placita; vel conuenta quidem in certis Articulis a Suecico et Polonico ſubſcriptis, Inſtrumento Pacis autem haud inſerta: 2) Apographum, ſub manu praefati Dn. Mediatoris promiſſum, poſceret euentualis ratificationis Pacis Regis Poloniae. Eumdem rogaret, vt apud Dnn. Polonos extraditionem vltimi Procuratorii promoueat. Fecit id Secretarius, atque ad primum quidem quod ſpectat Memoriale, ſequens Dn. Mediatori dedit. Is Atteſtatum promiſit, licet non eſſe neceſſarium dicens; quoad duo poſtulata reliqua, ſe iam in vrbem ad Dn. Leſzinski et Pacium miſiſſe Aulicum reſpondit; ſimul atque acciperet, ſe miſſurum (cras) Sobothum, ſi forte hodie nimis ſerum foret, adſerens. Sunt autem, quae ſequuntur.

Atteſtanda.

1) Articulus de iuriſdictione et cognitione vrbis Rigenſis in cauſſis commerciorum cum peregrinis, ex delictis et contractibus. 2) De non nauigando Mitauiam. 3) De conuentione, cum Duce Curlandiae, An. MDCXL. ſollemniter non ſunt conuenti et ſubſcripti: ſed per Dn. Mediatorem ad Protocollum, de $\frac{14}{4}$ April. A. MDCLX. Oliuae declaratum eſt, quod iſta omnia manebunt in ſtatu ſuo, quo ab antiquo et ante

hoc vltimum bellum fuerunt. 4) Similiter per ſollemnem Articulum conuenire noluerunt Dnn. Poloni de moneta Elbingenſi, ſed per Dn. Mediatorem etiam declararunt, quod illa, per tacitum conſenſum Regis et Reipubl. Poloniae, manebit in ſuo curſu et valore, ſicuti nunc eſt. 5) Quod legere militem, in prouinciis Poloniae, licebit Sereniſſ. Regi Sueciae. 6) Quod Caeſar et Elector non praeſtabunt auxilia Regi Daniae. (v. Protoc. $\frac{21 \text{ April.}}{1 \text{ Maii}}$ MDCLX.) 7) Quod Articulus de expulſis et exulibus Liuoniae, vt et reliqui Articuli, qui a Secretariis Legationum ſubſcripti ſunt, et ad Articulum concluſae et promulgatae pacis ſe referunt, eandem vim et effectum habebunt, ac ſi verbotenus Inſtrumento Pacis ab omnium partium Dnn. Legatis ſubſcripti inſertique eſſent. Quo igitur omnia tria haec efficerentur, Secretarius Suecicus comperto, quod cras mane Dn. Legatus Mediator abitum pararet, per totum veſpertinum tempus manſit Oliuae, Dominumque Mediatorem per interualla et ipſe monuit, et moneri fecit. Qui ipſe quoque poſt coenam, circa decimam, in conclaue Prioris ad praefatum Secretarium venit, eumque ſecurum reddidit, quod adhuc exſpectet, quem miſerit, ex vrbe reducem. Quod ſi vero is forte hac veſpera non aduenerit, ſe cras bono mane et Atteſtatum, quod hodie concipere, feſſus dierum proxime praecedentium labore, nequeat, et reliqua duo, quae deſiderentur, mittere Sobothum velle promiſit.

Secretarius egit gratias pro iſta beneuolentia, et quod inſiſtere petitis paullo moleſtius ipſum oporteat, non aegre ferat Dn. Mediator, eum rogauit. Dn. Mediator ſibi nihil hinc moleſtiae creari dixit; dubitare autem de reditu, hac nocte, Aulici ſui; itaque ſuadere ſe, vt Secretarius Sobothum ſe conferat. Secretarius per horae vnius ſpatium ſe adhuc exſpectaturum reſpondit: quod facile paſſus eſt Dn. Mediator. Dum fruſtra ad duodecimam vſque horam noctis exſpectatum fuiſſet, precatus ſaepe nominato Dn. Mediatori, quem amplius a ſomno capiendo impedire non auderet, ſed cuius potius promiſſo dato quieſcere dignum eſſet, in conclaui eiuſdem fauſtam noctem, et craſtino matutino ſe iterum Oliuae adfuturum indicans, Sobothum Suecicae Legationis Secretarius abiit. Hodie quoque litterae notificatoriae, de pace concluſa, per tubicinem in Ducatus Pomeraniae, Bremae, Verdae etc. Wiſmariam miſſae ſunt.

Actum

Digitized by Google

Actum d. $\frac{12}{2}$ Maii.

Noſter Suecicae Legationis Secretarius Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurario retulit, quod licet in multam noctem exſpectaſſet Oliuae, non tamen acceperit vel Atteſtatum, vel Plenipotentiam, vel denique, quae maxime deſideraretur, euentualem Regis Poloniae ratificationem. Praeterea quod expediiſſet, quae Sua Excellentia heri iuſſerit, apud Abbatem, et Patrem Priorem, et quod illi reſponderint, videlicet quae notata ſunt in Protocollo praecedente. Dn. Legatus Mediator de Lumbres, qui primo mane Oliua profectus erat, Regem videlicet et Aulam Polonicam ſequutus, circa ſeptimam matutinam modo dicta tria deſiderata miſit ad Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarium, licet Atteſtatum, quod ſub x. Maii dedit, petitis Suarum Excellentiarum Dnn. Legatorum Suecicorum, in Memoriali per Secretarium noſtrum ipſi heri Oliuae exhibitis, non ſatis reſpondeat: velut videre eſt Originale, apud Acta Legationis, ſub No. 63. et inſerta hic Copia monſtrat. "Chriſtianiſſimi Regis Legatus et ad Tractatus Pacis Sueco-Polonicae, Suae Sacrae Maieſtatis nomine et mandato, Mediationis munere fungens, notum teſtatumque facimus omnibus et ſingulis, quorum intereſſe poteſt, in illo Tractatu agitatam fuiſſe quaeſtionem a Legatione Polonica, de iuriſdictione vrbis Rigenſis in extraneos, ratione commerciorum, eamque indeciſam remanſiſſe. Fuiſſe etiam ab eadem Legatione petitum, vt a mari Balthico Mitauiam vſque libera eſſet nauigatio; et ab ea petitione illam deſtitiſſe eo, quod adſereretur, vrbem Rigam iure Emporii gaudere, nec vmquam nauigationem iſtam fuiſſe conceſſam. Nihil fuiſſe concluſum de conuentione cum Duce Curlandiae, An. MDCXL. ſed omnia remanſiſſe in illo ſtatu, quo erant ante hoc vltimum bellum. Quantum ad monetam Elbinganam, noluit Legatio Polonica conſentire expreſſe illius expoſitioni, ſed promiſit ad aliquod tempus diſſimulaturum Sereniſſ. Regem et Rempubl. Poloniae. Fuiſſe declaratum a Legatione Electorali Brandeburgica, neque Caeſarem, neque Sereniſſ. Electorem auxilia praeſtituros Daniae, contra Sueciam, ſed obſeruaturos, quod conuentum eſt de auxiliis, hoſtibus vnius partis non ferendis. Quoad Articulum de expulſis et exulibus Liuoniae, ſubſcriptum a Secretariis Legationum vtriuſque partis principalis,

Digitized by Google

palis, quum peteretur ab Illuſtriſſ. Dnn. Commiſſariis Polonicis, vt ipſi ſubſcriberent, dixerunt, non eſſe neceſſarium, quum fides integra adhibenda foret ſuo Secretario. In quorum omnium fidem manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilloque noſtro confirmari iuſſimus. Dabatur Oliuae, An. MDCLX. decima Maii." — Euentualis ratificatio Regis Poloniae, cuius originaliter apud ſe depoſitae Apographum a Dn. Legato de Lumbres vidimatum, adſeruatur apud Acta huius Legationis ſub No. 62.* Plenipotentia vel Procuratorium nouiſſimum Sereniſſimi Regis Ioannis Caſimiri pro Dnn. Legatis Suecicis videatur apud Acta Legationis huius, in Cancellaria Regia Holmiae, ſub No. 53.** Datum autem illud eſt Gedani, d. IV April. MDCLX. Deinde Dn. Mediator Suis Excellentiis per litteras valedixit, praeſentiam ſuam excuſando, vt apographum hic ſequens exhibet:

Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Domini,

Summa cum confuſione per litteras eo munere defungor, quod ipſemet praeſtare debui. Nimia vrbanitas Excellentiarum Veſtrarum, quae me praeuenire dignatae ſunt, ea hora, qua ad illas accedere cupiebam, eſt, quae mihi facultatem praeripuit meo officio ſatisfaciendi, illius errati me reum fecit. Hac hora illud reparare conatus eſſem, niſi eam incommodam et importunam E. E. V. V. nouiſſem. Supereſt vnicum, vt meis humilibus obſequiis delere enitar, omneſque occaſiones captem, quibus poſſim teſtari me eſſe penitus

E. E. V. V.

Oliuae, 12 Maii 1660.

Addictiſſimum atque obſequentiſſimum Seruitorem
De Lumbres.

Illuſtriſſimus Dn. Regni Theſaurarius in mandatis dedit Secretario Legationis, vt iret Dantiſcum ſalutatum Legationem Caeſaream, quae

* Nos ratificationis huius Formulam ſupra edidimus, in Actis Publicis Pacific. No. LXVII. p. 185. quae, exceptis admodum paucis, iiſque leuioribus, prorſus cum hac conuenit. Ad hunc modum, etiam in Pacificatione Stumſdorfenſi exhibita eſt Suecis, a Vladislao IV. Poloniae Rege, Euentualis Ratificatio, haud

quae heri per Secretarium ſuum Suis Excellentiis, Dnn. Legatis noſtris, loco viſitationis perſonalis officia praeſtitiſſet: in itinere autem Dnum Leſzinski, nomine Legationis Suecicae ſalutaret, et ſpecialem exhiberet ciuilitatem, (vulgo, *en particulier complimentirte*,) rogaretque, vt ille pro poſſe ſuo mutuum apud Gedanenſes promouere velit. Hic notandum eſt, quod Dn. Comes Schlippenbachius monuit, ſe a certo quodam percepiſſe, Legationi Suecicae interpoſitionem Dnn. Legatorum Polonicorum hoc in negotio parum profuturam, ſed Suas Excellentias Dnn. Legatos noſtros melius facturos, ſi nonnullis cum mercatoribus Dantiſcanis ea de re tractari facerent, fidemque propriam ipſi interponerent. Id quod etiam obtinuit votum, commiſſaque haec res eſt Conſiliario *von Weydenhayn*: interea vero nihilominus adire Dnum Leſzinski, vt modo dictum eſt, Secretarius noſter iubebatur. Qui iter Dantiſcum maturauit, paratumque currum, quo Suae Excellentiae ipſae tempore tractatuum vſi erant, ſex equis albis vectum, et duobus pediſſequis, erectis, vt moris eſt, gladiis vagina conditis, praeeuntibus, conſcendit, primumque pagum *Striez*, vbi Dn. Leſzinski commorabatur, tendit. Quem vbi eo in loco amplius non inuenit, Gedanum, quo Sua Excellentia iam ſe mouerat, perrexit. Quo poſtquam veniſſet, Dnosque Legatos Caeſareos cum Polonicis et Electoralibus congregatos intellexiſſet, ante prandium, quod iam inſtabat, adire vel Legationem Caeſaream, vel Dn. Leſzinski, non potuit. Itaque, audita prima pomeridiana, pediſſequum ad aedes manſionis Dn. Comitis a Colourat miſit, qui percontaretur a Magiſtro Domus, num prandium peractum ſit, et Dn. Comiti commodum foret, vt nomine Legationis Suecicae Suas Excellentias, Dnn. Legatos Caeſareos, conueniret atque inuiſeret. Nunciante pediſſequo, prandium iamiam peractum eſſe, et horam ſecundam, vt accederetur Dn. Comes, commodam fore: praefatus Secretarius curru ad nominatas aedes vectus, in earum introitu, a Magiſtro Domus, adſtantibus Ephebis et Aulicis

 exci-

haud valde illa ab hac Ioh. Caſimiri abſimilis. Exemplum vid. apud OGERIVM loc. comm. p. 397 ſq. item apud LONDORPIVM, atque alios.

** Idem a nobis, ex editione Inſtr. Pac. Gedanenſi prima, prolatum eſt in Actis Publicis Pacificationis No. LI. pag. 131.

Digitized by Google

excipiebatur, atque in Salam ducebatur. Quam vbi hic intraſſet, Magiſter Domus eum rogans, ne paruiſſimam moram aegre ferret, ſtatim id Dn. Comiti, qui erat ſolus, haud praeſente Dn. de Liſola, in conclaui interiori, notificat, et nihil moratus reuertit, Secretariumque Suecicum, vt ad Suam Excellentiam ingrediatur, inuitat. Is igitur, vt fieri debet, incedit, et Illuſtriſſ. Dn. Comitem propino capite, inflexoque genu ſalutat; qui, donec praefatus Secretarius ſecundo ac tertio paſſu progreſſus gradum ſiſtere coepit, in ſuperiori parte conclauis, tenente tergum eius menſa, panno holoſerico purpurei coloris tecta, ſtetit, deinde vero proceſſit, et in medio fere conclaui, cuius parietes aulaeis ex Damaſceno, colorum flaui atqui rubri inter ſe alternantium, a ſummo ad imum veſtiti erant, illum porrecta dextra excepit. Miſſum ſe ab Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatis Plenipotentiariis Suecicis, vt Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatis Plenipotentiariis Caeſareis, Suarum Excellentiarum perofficioſam ſalutationem adferret, Secretarius dixit. Gratulari deinde praefatas Suas Excellentias Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatis Imperatoriis, eorumque Excellentiis, velut eaedem heri per Secretarium ſuum feciſſent, viciſſim agere gratias pro adhibito, in Tractatu Pacis, auxilio Diuini Numinis feliciter concluſae, labore, optareque, vt haec vtrobique ſit ſalutaris, atque, ceu Suecica Legatio a parte S. R. M. Regis et Dn. ſui Clementiſſ. hoc nomine Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatos Caeſareos certos reddere poſſit, perennet: quo non tantum inter coronata Capita, eorumque Foederatos et belli hactenus ſocios, firma, vera ſinceraque pax et amicitia coli, verum etiam totus Chriſtianus Orbis, reconciliatis iterum ſummis Europae Principibus, ſuaui demum frui quiete, et vel huius pacis fructus particeps fieri poſſit. Quantum ad officia priuata ſpectet, Suas Excellentias Dnn. Legatos Suecicos quouis tempore Suis Excellentiis Dnn. Legatis Caeſareis fore gratiſſimos atque promtiſſimos. Dn. Comes breuibus pro iſto humanitatis officio gratias egit; deinde, ſuarum fuiſſe partium, operam ſuam in tractatibus, quantum in ſe fuerit, collocare; laudabat ſtudium et induſtriam Legationis Suecicae, cumque illis gratias agendas Diuino Numini cenſuit, cuius auxilio res ad finem exoptatiſſimum

ſimum ſit perducta; illud inuocandum, quo perpetuum durare reductam iterum amicitiam inter altiſſima illa Capita ſinat; Legationem Caeſaream ſecuros reddere Illuſtriſſ. Dnn. Plenipotentiarios Suecicos poſſe, quod Sac. Suae Maieſtati Caeſareae nihil magis in votis agitetur, quam vt ſecura quies amicitiaque fallere neſcia, totam per Chriſtianitatem, praecipue vero inter Domum Imperialem et S. R. M. Regnumque Sueciae, vigeat ac floreat: demum Legationis Caeſareae officia ſpecialia viciſſim obtulit. Secretarius propinat caput, et genua flectit. Dn. Comes nonnulla differit, quomodo placuerit Suis Excellentiis locus Oliuenſis, interrogans, num res magno pretio fuerint emendae, et in copia ſufficiente adlatae? Qua amoenitate Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius, ſi ex negotio publico hora ſuperfuiſſet, tempus tranſegerit? Quid noui audiatur? Reſpondit Secretarius, prout res ferebat, ac ſeſe habuit: locum ſatis ſuauem et iucundum S. Excellentiae ceteriſque Dnn. Comitibus ac Legatis perplacuiſſe; ſub initium victui inſeruientia non adeo abundanter aduecta, poſtea vero copioſa et aequi pretii cuncta adfuiſſe; Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarium et Suas Excellentias reliquas, ante congreſſum priuatis diſcurſibus et viſitationibus fere alternis tempus, quod a publicis fuiſſet vacuum, tranſegiſſe; vbi autem feruere Tractatus Oliuae coeperint, nihil aut parum ſuperfuiſſe horarum, quieti inſeruientium. Noui nos Sobothi habuiſſe nihil, praeter rumorem ſparſum de concluſa et cum Moſco et Daniae Rege pace; id quod et hic Dantiſci a multis adſereretur. Dn. Comes idem ſibi et Dnn. Legatis Polonicis atque Electoralibus in principio Dantiſci contigiſſe, quod caro pretio omnia emenda fuerint; deinde, vbi homines vidiſſent paratam pecuniam, et lucrum ex peregrinis, abundantiam rerum ortam eſſe; laudabat et ipſe ruris amoenitatem, et de morbo ſuo, qui eamdem ſibi inuidiſſet, conquerebatur; Pacem Danicam concluſam non diffitebatur, Moſcouiticam autem negabat. Abſolutis hiſce, Dn. Comes paratiſſima et grata quaeuis officia Suis Excellentiis referri petiit, atque Secretarius, factis curialibus, abiit; quem Dn. Comes vſque ad ianuam praefati conclauis interioris dimiſit. Vbi vero Salam adtigiſſet retrogradus, a Magiſtro Domus recipiebatur, et eo, quo ſupra dictum eſt, modo vſque ad currum deducebatur.

Hinc

Digitized by Google

Hinc in reditu ad Dn. Leſzinski, in ſuburbio *Langarten* * commorantem perrexit, a quo humaniſſime exceptus, quae in mandatis habebat, eius Excellentiae expoſuit. Ille officia atque amicitiam repromittens, ſpem bonam de mutuo Dantiſcano dedit, addiditque, quod Dn. Legatus Morſtynius iam ea de re loquutus ſit cum Deputatis Senatus, qui referendam eius propoſitionem accepiſſent. Factis curialibus abiit Sobothum, ibique redux, Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurario, atque Illuſtriſſ. Dnn. Comitibus ac Legatis reliquis, quae peracta fuerint, retulit.

Eidem Secretario noſtro Secretarius Legationis Caeſareus, quum ille in motu eſſet Sobotho Dantiſcum, lapidis iactu a Carlekouia, obuius factus eſt, Sobothum eundi, et quod in deſcribendis Plenipotentiis Caeſareis adhuc reſtabat, velut heſternum Protocollum dictat, ſupplendi in animo habens. Qui quum impedimentum praeſens praecepit, reditum ſuum craſtino promiſit.

Actum Sobothi d. $\frac{13}{3}$ Maii.

Poſtquam heri fruſtra Dantiſco tenderet Sobothum, hodie denuo huc venit Secretarius Caeſareus, et in Cancellaria Legationis Suecicae per Cancelliſtam ſuum inſeri fecit Originali Caeſareae Legationis nobis dato chartaceo, Plenipotentiarum Imperatoris pro Dnn. Legatis Suecicis apographa, quae, vt habet Protocollum $\frac{12}{2}$ huius menſis, adhuc reſtabant. Quo facto, (et quidem praeſente Secretario noſtro) nomen quoque ſuum poſt Plenipotentias ſubſcripſit, et ſigillum ſuum addidit; Secretarius autem noſter Suecicus Originale recepit, Illuſtriſſimoque Dn. Regni Theſaurario monſtrauit, et iuſſus id quoque communicare Dnn. Comitibus, Oxenſtierna et Schlippenbachio, nec non Dn. Legato Gyldenklauio, et deinde adſeruare apud Acta, illo facto recondidit. Ante vero, quam haec peragerentur, Secretarius Caeſareus errorem commiſſum eſſe conqueſtus eſt, in modo dicto Originali chartaceo, Legationi Suecicae a Caeſarea dato, quod in Artic. XXII. titulus Iuliaci, Cliuiae et Montium Ducis adtribuatur S. R. M. Sueciae, quum

* Quod nomen inditum illi eſt a ſpatioſis hortis. Vid. GE. REINH. CVRICI Chronicon Dantiſcanum, Lib. I. c. II. p. 29.

quum Imperator nemini daret titulaturam illam, niſi qui ab ipſo fuerit inueſtitus, et ad Protocolla dierum $\frac{26.}{6.}$ $\frac{27\ \text{April.}}{7\ \text{Maii}}$ ſe retulit, petens, vt verba illa delerentur. Secretarius Suecicus rem iſtam per ſe ipſam decori Canceilariarum, vbi cancellata Inſtrumenta pro authenticis non habentur, contrariam, in Secretariorum poteſtate non conſiſtere, dixit; deinde conuentum eſſe, vt in Articulis a Secretariis ſubſcriptis, ſine conſenſu partium nihil immutaretur; multo igitur minus id fieri poſſe in Exemplari authentico, poſteaquam Inſtrumentum Pacis confectum, ſubſcriptum, publicatum et commutatum ſit. Ille, alia in ſubſcriptis Articulis eſſe vel addendo vel limitando mutata, regeſſit. Suecicus addendo id factum eſſe, ante ſubſcriptam et publicatam pacem; iam autem in ipſo Originali id amplius integrum non eſſe, praeſertim in titulo Regis, quum Principibus ampliare honores deceat, non demere, nec eorum exiſtimatio vel in charta raſuram admittat. Ille proinde, vt exſcindantur aliquot folia, atque de nouo ingroſſentur, poſtulauit. Secretarius Suecicus perrexit, ſe recordari ex modo allegatis Protocollis, quod de titulis Iuliaci, Cliuiae, Montium quaeſtio fuerit, ſed praecipue inter S. R. M. Sueciae et Ser. Electorem, eamque deciſam eſſe: de hiſce titulis vero Legationem Caeſaream, vt et de Scania, nihil amplius mouiſſe; quin potius ſecundum ſubſcriptum iſtum Articulum XXII. ingroſſationem in concepto Inſtrumento Pacis factam. Secretarius Caeſareus: De titulo Scaniae amplius quaeſtionem non eſſe; in illis alteris autem errorem patere manifeſtum, qui corrigendus ſit. Illuſtriſſimo Dn. Regni Theſaurario referendum id eſſe, Secretarius Suecicus repoſuit: ad quem etiam ſtatim ſeſe contulit. Sua Excellentia errorem negare non potuit; igiturque, ne anſam hinc quaerant Caeſarei, verita, rem iſtam exaggerandam haud cenſuit, ſed Secretario eatenus adnuendum eſſe, quod in pergameneo exemplari titulus Iuliaci, Cliuiae et Montium omitti poſſit. Is declarationem acceptauit: quam vero, ad docendam ſuis Dnn. Principalibus diligentiam, in ſcripto petiit, et quo addatur, hunc errorem praeiudicare non debere. Itaque iuſſu Illuſtriſſimi data eſt ipſi eiuſmodi declaratio hac conditione, vt Cancellariae noſtrae, dum permutabuntur Authentica in pergameno ſcripta, haec charta retradatur. Id quod ille promiſit. Eſtque tenor talis: "Quum in Articulo XXII. Inſtrumenti Pacis moderni Sueo-Polonici,

lonici, in Exemplari, quod a Legatione Caeſarea Legationi Suecicae datum eſt, error in eo commiſſus ſit, quod Iuliaci, Cliuiae et Montium adtributum, expreſſum fuerit; id vero et ſtilo Cancellariae Imperialis repugnet, et conuentioni nuperae Protocollorum, $\frac{16}{6}$ et $\frac{17 \text{ April.}}{7 \text{ Maii}}$ Oliuae habitorum, contrarietur, immo etiam in omnibus reliquis Inſtrumenti praefati exemplaribus authenticis, per omnium Legationum Secretarios nudius tertius collatis, omiſſa haec tria Ducalium nomina ſint: ideo hiſce declaratur, in conſequentiam hoc non tractum iri, et Legationem Suecicam contentam ſe reddere, vt in pergameno omittatur. Sobothi die $\frac{13}{3}$ Maii, An. MDCLX." Ad mandatum. *Gothofredus von Schroeer*, Leg. Secret.

Tandem Secretarius Suecicus (quod cumprimis monuerat Dn. Legatus Gyldenklauius,) Secretarium Caeſareum adhortatus eſt, ne ingroſſatione pergameneorum Authenticorum obliuioni detur adponere, in titulo S. R. M. Sueciae, in Art. I. XXII. et XXIV. *Rex Hereditarius.* Quod ille probe ſibi commendatum habere velle, ſe obligauit, atque ita diſceſſit, vrſa vtrimque maturatione ingroſſationis in pergameno.

Actum Sobothi, d. $\frac{4}{14}$ Maii.

Acceperant Suae Excellentiae de concluſa pace gratulatorias ab Illuſtriſſ. atque Excellentiſſimo Dn. Regni Archithalaſſo, Comite Wrangelio, et ſimul eiuſdem Excellentia pariter ſcripſerat ad Dn. Legatum Gyldenklauium hoc de negotio. Quae epiſtola cauſſam dedit Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatis, quo Regni Senatus informaretur prolixius remonſtrandi Suae Reg. Maieſtati, quam non paſſa res moram fuerit amplius, ſed maturationem pacis concludendae, ipſam neceſſitatem poſtulaſſe, finemque tractatibus toties rupturae proximis, duro illo telo tandem impoſitum fuiſſe. Cuius quoque relationis vel demonſtratiuarum litterarum apographum praefato Illuſtriſſ. Dn. Regni Archithalaſſo, in reſponſione Legationis ad ſupra memoratas, includebatur.

* Iſtius epiſtolae ad nos quidem exemplum non peruenit: neque illa valde opus erat in tam diligenti ipſius rei commemoratione. Si qua tamen facta videatur iactura, poterit aliquo pacto ea reparari ex his, quae PVFENDORFIVS Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VII. §§. 74 ſqq. retulit: quem manibus illam ipſam

batur. Recenſet autem Epiſtola haec ad Regem, (cuius non tantum Originale, verum etiam Autographum apud Acta Legationis praeſentis in Cancellaria Regia Holmenſi videre eſt,°) copioſe totam ſeriem hoc tempore geſtorum; et molem difficultatum non modo a Confoederatis Polonicis atque ipſa Polonia, verum etiam ab extra, fere in dies factarum, praemiſſo ſubſcriptionis et permutationis Inſtrumenti Pacis proceſſu, (quo de Protocolla ſupra, ſub Actis Oliuae die $\frac{30\ \text{April.}}{10\ \text{Maii}}$ et $\frac{11}{1}$ Maii, MDCLX. loquuntur,) explicat. Quae a menſe Ianuario MDCLIX. vſque ad finem eius anni in Pomerania et Pruſſia circa praeliminaria geſta ſint, ſilentio ſuperſedere volunt: nimirum octo menſes Saluis Conductibus inſumtos, immo eluſos eſſe,°° a prima conferentia cum Dn. Mediatore in Beerhoff, poſtquam Legatio ad littus Gedanenſe adpuliſſet, habita;°°° quatuor menſes ſuper loco tractatuum exactos; multa ſuper Plenipotentiis et Procuratoriis difficultata; commercium litterarum, partim per expreſſum miſſos, aut intercipiendo, aut arreſtando, partim epiſtolarum faſciculos vel reſerando vel auferendo, plane impeditum, atque interea Legatos Elbingae commorari coactos: Summa, Legationem Suecicam interdum adeo indigne habitam, vt enumerari omnia vix poſſint. Eoſdem Legatos Suecicos, poſt ſuum $\frac{26\ \text{Decembr.}}{5\ \text{Ianuar.}}$ An. $\frac{1659}{1660}$ Sobothi aduentum, quae d. $\frac{18}{8}$ Ianuarii, currentis An. Dn. Mediatori oretenus propoſuiſſent, in ſcripto etiam tradidiſſe,°°°° idemque paullo poſt Polonicam, Caeſaream et Electoralem Brandeburgicam Legationes feciſſe; quo facto, vtrimque reſponſum ac replicatum fuiſſe, et quater per ſeptimanam Sobothi atque Dantiſci per Mediatorem Legatos contuliſſe, donec res eo deducta eſſet, vt vtraque pars Inſtrumentum in charta proiicerent. Licet vero Dn. Mediator, exiſtentibus nobis Sobothi, Polonis vero et Confoederatis Dantiſci, non adtentis noſtris demonſtrationibus, adhuc commorantibus, ſuperandae difficultati ſub principium par non fuerit, tandem tamen noſtrae Legationis Suecicae proteſtatione, Dn. Mediatoris ſeria adhortatione, et Regis Poloniae mandato effectum fuiſſe, quo Dnn. Legati Polonici

ipſam epiſtolam verſaſſe haud ambigam.

°° Vid. PVFENDORFIVS loc. comm. §. 75. Conf. *Memoires du Chevalier de* TERLON, T. II. p. 336 ſq.

°°° PVFENDORFIVS l. c. §. 77.

°°°° Conf. PASTORII Diarium pag. 62.

et Electorales ad ſtationes ſuas ex vrbe ſe quoque receperint, ita vt Oliuae Monaſterium in medio omnium Legationum, quamuis ob Dn. Comitis a Colourat aegritudinem Caeſarea Legatione maximam partem Dantiſci degente, conſtitutum eſſet.[*] Congreſſus initium die $\frac{21}{31}$ Mart. MDCLX. intrante per ſeparatas portas et areas in ſingula conclauia Legatione vnaquaque, factum eſſe.[**] Conuenientius quidem tentoria, vel caſas exſtrui potuiſſe;[***] neminem autem ſerio eam rem egiſſe; ideoque Legationem Suecicam tempori cedere, omiſſis minutiarum ſcrutationibus, coactam. Laetantes propter conferentiarum ingreſſum Legatos noſtros, ſtatim in introitu ſumma triſtitia, dolore et luctu perfuſos fuiſſe, dum S. R. M.Glorioſiſſimi Regis noſtri mors praematura nimis certo vndiquaque innotuerit; pars aduerſa, quae funeſti nobis nuncii iam ante octiduum particeps facta fuerit, criſtas erexerit, et Tractatum alius ſuſpendendum, alius plane intermittendum damnandumque non dixerint modo, verum etiam reſoluerint. Nihilominus ex cura ſingulari Poloniae Reginae,[****] negotium eo demum redactum, vt partes adgrederentur, (hebdomadum ſeptem ſpatio) et Articulos omnes et ſingulos reaſſumerent, deliberarent, concluderent, per Legationum Secretarios hinc inde ſubſcriptos citarent, adſeruari vſque ad inſertionem commutatos facerent, ratificarent, pacem promulgarent, Inſtrumentum concipi et ingroſſari iuberent, idque ſubſcriberent, ac permutarent. Quoad ordinem procedendi, dum Dn. Mediator cuncta, quae inter Sueciam, Poloniam et Electorem pertractanda venirent, immediate a Dnn. Legatis noſtris et contra ab illis acciperet; quae vero cum Imperatore agebantur, mediate per manus Legatorum Polonicorum promouerentur, accipere eum Legationem Suecicam oportuiſſe, quem Dnn. Poloni et Legatus Mediator propoſuerint. Neque enim tempus, ob tot nobis contrarios, moram pati, vel neceſſitatem praeſidiariorum (quam recen-

[*] Conf. PASTORIVS ad d. XIX Febr. et n. [**] p. 106 fq.

[**] Conf. PASTORIVS ad h. d.

[***] Nec deerant Pacificationis exempla, ſub tentoriis tractatae: vt Stumſdorfianae, de qua OGERIVS loc. comm. p. 268. ait: *Sueci in pago* Ionasdorf, *Poloni in oppido* Marienwerder, *habitant, ſeque diebus conuentis in tentoria diuerſa conferunt, quae hinc inde ſunt in extremitate pagi. In medio pago tentorium eſt pro mediatoribus. Ad ſingula tentoria milites expoſiti ſunt.* — De Bromſebro-

recenſent litterae,) aliud concedere voluiſſe. Itaque Articulum poſt Articulum, vti res tulerit, aut vnicuique proficere viſum ſit, pertractandos fuiſſe. Et talem quidem bene confuſam methodum ſine dubio Confoederatos ideo maluiſſe, quod omne genus impedimenta et moras inde reperiundi, et pacem in ipſis incunabulis ſuffocandi ſpem fouerent. Quae tamen artificia Legati noſtri eludere, et Tractatus, quantum pote, faciles reddere quaeſiuerint. In negotio Curlandiae Ducis, illius Cancellarium per Legationem Electoralem Brandeburgicam effeciſſe, vt punctus reſtitutionis Curlandiae primus Tractatui ſubiiceretur; vnde per aliquot dies tot difficultates illi ciuerint, quod metu rupturae pacis, non ſolum in plenariam reſtitutionem iſtam conſentire, verum etiam a poſtulato Auſtralis Liuoniae deſiſtere coacti ſint Dnn. Legati noſtri. In ceſſione Liuoniae, quam Reges Regnumque Sueciae induciarum tempore poſſederunt, haud parum diſputatum eſſe, ante eiusdem Articuli, licet iam conuenti, ſubſcriptionem: dum videlicet de particulis Ciſdunanis, inſulis Dahlen et Runen, nauigatione Bulderaae, commerciis ac defluitatione per Dunam fluuium, Polonorumque et Lithuanorum a iuriſdictione vrbis Rigenſis, in cauſſis commerciorum, ex contractibus vel delicto, exemptione, et quae alia hinc dependerent, acriter ſatis certaretur, ita vt nouus abrumpendi Tractatum metus oriri coeperit. Et illum quidem cecidiſſe tam in noſtros, quam Gallicum Legatum, quod pars aduerſa tumide atque elate admodum procederet; Auſtriaci, eorumque factio, diuerſos per cuniculos nobis contrariarentur; Danicus Dantiſci degens Miniſter indefeſſam daret operam negotium pacis, ſi non penitus confundendi, tamen maxime remorandi, et, ad concluſionem ne perueniretur, impediendi; Ordines Confoederati Belgii Poloniae magna pollicerentur; et Moſcouiticus denique Nuncius ſpecioſa poſtularet ac promitteret. Huic metui acceſſiſſe, eumque ſumme auxiſſe, quod Poloni et eorumdem

ſebroenſi vid. BOECLERVS Hiſt. belli Sueco-Danici, Lib. III. p. 270. Nolo alia exempla, quamuis in promtu ſint, commemorare.

** PVFENDORFIVS loc. comm. §. 6. p. 608. *Ita, dum omnes Suecis aduerſantur, ac ſubinde de tractatibus diſſoluendis minas ſpargunt, ſola Poloniae Regina conſtantia et dexteritate ſua negotium ſuſtinebat; quae et eo rem deduxerat, vt, quum ante Poloni Auſtriacos metuerent, hi iam iſtos adulari neceſſum haberent.* Iſtius rei cauſſas arcanas promſi, Obſeru. III.

dem Confoederati melius nobis viderint, quo in ſtatu res Sueciae conſtitutae eſſent. Regem glorioſiſſimum, cuius ex vita diſceſſum dolor cordis ingemiſcat, amiſſum; ne vllum quidem Foederatum habere Sueciam; Galliae Regem nihil hactenus operis, quod effectu cognoſci poſſet, praeſtitiſſe, vel praeſtare voluiſſe. E contra totam fere Europam concurrere, et noſtrum in interitum quaſi coniuraſſe. In Curlandia ſolam vrbem Bauskium, incertum quamdiu, ſuperfuiſſe; in Pruſſia Legatis nullum fuiſſe, vt ante-annis, ad latera exercitum, cuius fauore pacis conditiones praeſcribere potuerint; quin potius tria duntaxat loca, Mariaeburgum, Stumam et Elbingam agonizauiſſe. Non modo ſeptimanatim, immo interdum quotidie, litteras Campi Mareſchalli locum tenentis *von der Linde*, collabentis fame praeſidii internecionem nunciaſſe. Dum ſerio et paullo rigoroſius vni atque alteri Articulo Legatio inhaerere ſtuduerit, Dn. Mediatorem loco reſolutionis optatae, reſponſum a Polonis (idem Akakiae ab Aula relatione confirmante) retuliſſe, quod praefata fortalitia cum ſuis praeſidiariis vel abſque Tractatu hoc, in manus eorum ſint peruentura. Iam vbi per neceſſitatem, abſque Tractatu, ciuitatibus omnibus hoſtis potitus fuiſſet, nihil niſi reformationem, per totam Pruſſiam Regalem futuram, ſperari potuiſſe: tali autem malo per pacem occurrendum fuiſſe. Quin immo Bilouium, cum Dno *von der Linde*, ſuper deditione particulari deliberare coepiſſe, et eius rei mandatum, vt relatum ſit, habuiſſe. Atqui hoc ipſum per ſe vix facile pariturum fuiſſe, quo Ciuitas Elbingenſis, in ſuae libertatis ac priuilegiorum amiſſionem, S. R. M. Dn. noſtri Clementiſſimi perniciem, Electoris emolumentum atque elationem, ac pacis certiſſimam impeditionem, praefato Electori ſtatim a Polonis tradi neceſſe fuerit. Poſtas intercluſas fuiſſe, vt Legatos S. R. M. et Regni aliis in locis ſtatum, plus coniecturis ex aliorum ſaepe fallaci relatione ediſcere, quam certo ſcire contigerit. Conditionem Legatorum propriam, vbi deficientibus mediis, et fide non valente

te

* Non quod Oſnabrugenſi Pace ſtatus ſacrorum, in Liuonia, ordinatus ſit, ſed quod ad illius normam exercitium religionis Romanae Catholicae definitum erat. Eſt autem Oſnabr. Pace, Art. V. §. 34. ita cautum: *Placuit porro, vt illi Catholicorum ſubditi, Auguſtanae Confeſſioni addicti, vt et Catholici Auguſtanae Confeſſionis Statuum ſubditi, qui An. 1624. publicum vel etiam priuatum religionis*

ſuae

te interpoſita, non nemini res anguſtae ſane interdum fuerint, ab aduerſariis haud raro exprobratam, ſilentio praeteriri. Punctum religionis in Liuonia, non minus hac vice, quam in Tractatibus Stumſdorfienſibus a Dn. Mediatore vrſum, idque tanto zelo, vt tandem Legatos cedere neceſſitati ineuitabili oportuerit. Et haſce quidem ob rationes, primo ne hinc cauſſa rupturae praeberetur, quam ſerio et Auſtriaci et Electorales Brandeburgici, non amore quidem religionis, ſed ſub fauore tantum Pontificiorum, quibus ſpecioſe hanc cauſſam praetexerent, exſpectarint. 2) Quod Rex Poloniae, admodum ſuperſtitioſe dum coleret religionem, ab Ieſuitis ſufflaminatus ſit. 3) Ipſe Mediator eiuſdem farinae rem iſtam acrius, quam in Tractatibus An. 1635. factum ſit, iam ageret. 4) Quod eo in ſtatu tum generaliter, tum particulariter omnia conſtituta fuerint, qui ſupra fuſius eſt indicatus; et tandem, quod haec conceſſio non ſit noua, ſed et Stumſdorfienſibus induciis, et Oſnabrugenſi Pace° nitatur, in eo tantum differens, quod idem, quod tunc oretenus ad Protocolla dictatum fuerit, iam inſeri Inſtrumento oporteret. Factam igitur in hunc ſenſum eſſe inſertionem, quod ſcilicet libertas conſcientiae, in religionis exercitio priuato, in domibus, ſine inquiſitione aut animaduerſione ſubditis et incolis Liuoniae, ſi qui ſint, non vero aliis aut aduenis, quod Poloni voluiſſent, concedatur. Vbi ſecrete Legatio noſtra ad verba, *Subditi et Incolae*, reſpexerint, illos nempe Catholicos, qui ſubditi non ſunt, nec vlla religionis libertate frui ſubintelligendo. Quare etiam poſthac curae Gubernatoribus et Conſiſtoriis futurum ſit, ne aliqui Pontificii irrepant; maxime vero praecauendum eſſe, ne poſthac alicui Papiſtae bona terreſtria vel ciuitatenſia, vnde ſubditus fieri poſſit, emere permittatur. Hinc prolixe recenſent, quid in Articulo renunciationis, praeſertim defuncto Glorioſiſſimo, factum ſit; quantum ſuper verbis, *iure, iure praetenſo, praetenſione, conceſſione et translatione in Regem Sueciae*, etc. diſceptatum. Quanto ſtudio atque induſtria per Auſtriacos, Brandebur-

ſuae exercitium nulla anni parte habuerunt, nec non, qui poſt pacem publicatam deinceps futuro tempore diuerſam a territorii domino religionem profitebuntur et amplectentur, patienter tolerentur, et conſcientia libera domi deuotioni ſuae, ſine inquiſitione aut turbatione, priuatim vacare — non prohibeantur. De Stumſdorfianis induciis ante dictum eſt ſaepenumero, et infra copioſius dicetur, Obſ. XVII.

deburgicos et Hollandos, Regi Poloniae exiſtimationem et reſpectum Anteceſſorum inculcantes, pro puncto hoc honoris pugnatum ſit; quomodo denique Rex Ioannes Caſimirus omnibus praetenſionibus in Regnum Sueciae et ſubiectas illi prouincias, et auita bona in illis ſita, pro ſe et heredibus ſuis plenarie renunciarit, titulum vero et inſignia ad vitam ſibi ſic reſeruarit, vt illis vti ad alias Poteſtates et in ipſa Polonia ipſi ſit integrum; quoties vero ad S. R. M. Sueciae, vel alias reſpectu Sueciae ſcribatur, abſtinere debeat; abbreuiaturis atque etceterationibus, ſicut hactenus fuit obſeruatum, poſt *Magnum Principatum Finlandiae*, et *Magnum Ducatum Lithuaniae*, retentis; prouti haec clarius in Articulo III. Inſtrumenti Pacis exprimuntur. In puncto amneſtiae, qui alias in propoſitione noſtra ſecundum locum tenuit, ſed ſimiliter ordine pertractatus non fuit, ſuper incluſione ciuitatum Pruſſiae Regalis, Diſſentientium a religione Romana, aliorumque in Polonia, qui durante hoc vltimo bello S. R. M. Regnoque Sueciae adhaeſerunt, non minores quam in aliis Articulis difficultates ortas eſſe, dicentibus Polonis, non indigere tutorum aduocatorumue, Regis et Reipubl. Poloniae ſubditos; tandem eo rem perductam eſſe, vt exercitium religionis Euangelicae et Catholicae, in vigore, quo ante bellum fuit, permanere debeat. Et licet vel e Lutheranis vel Reformatis nemo Legatos vel verbo quidem requiſiuerit, abſolute etiam pro his aliquid obtineri haud potuerit: omnes tamen, cuiuſcumque religionis homines, amneſtia frui poſſe; ſub quibus Legatio Suecica illos quoque intelligat, qui in religione ab Eccleſia Romana diſſentiunt, et Confoederationum,* ceu vocant, priuilegiorumque Poloniae vltra centum annos participes fuerunt. Pro Principe Rakocio, et militia Zaporouiana, tum Saluos Conductus in Pomerania atque Pruſſia quaeſitos, tum in Tractatibus ipſis eorum incluſionem poſtulatam, neutrum vero a Polonis admiſſum eſſe,

* Confoederationis vocabulo, apud Polonos cumprimis claro, venit ſocietas, qua illi, vt Ampliſſ. LENGNICHIVS ait, *pro diuerſis rerum ac temporum rationibus, nouo foedere animos et vires iungunt*. Varia iſtius genera luculenter expoſuit, quem modo dixi, LENGNICHIVS, Vir rerum Polonarum longe ſcientiſſimus, in Diſſ. de Confoederationibus Polonorum, (Gedani, 1735.) Conf. Eiuſd. Ius Publ. Polonum. — Hoc loco Sueci Oratores videntur indigitare Confoederationes, tuendo confirmandoque religionis exercitio initas: quarum prima, poſt Sigiſmundi Auguſti Regis obitum, An. MDLXXIII. Varſauiae in

eſſe, quin potius eiuſmodi petitum ſubterfugia et pacis remorandae media illi interpretati ſint. Non quidem, quod hi amneſtiae non eſſent participes, aut ille tamquam Sueciae Confoederatus haud includendus paci veniret: verum, quod Princeps Tranſiluaniae Rakocius A. MDCLVII. pacem cum Polonia in campo inierit; Coſſaci vero in Comitiis Varſauiae A. MDCLIX. ad officium redierint. Quum igitur obtineri aliud poſſibile non fuerit, adquieſcere oportuiſſe Legatos noſtros accommodatione et aſſecuratione, quam ſequaces partium earumdem a Polonis obtinuiſſent. Quoad ſatisfactionem, qui fuit vltimus inter punctos principales, propoſitionis Legatorum Suecicorum ordine quintus, longe diſceptatum, ideoque tractatus per aliquot hebdomadas moram paſſos eſſe, donec in fine diutius trahi tempus, praeſertim quum aliquid obtinendi ſpes omnis Polonis demeretur, nequiuerit. Nam etſi tum Legatus de Lumbres, tum Miniſter Gallicus Akakias, antehac certo promiſerint, vel ad minimum bis centena millia Imperialium impetrari poſſe: poſt defunctum tamenglorioſiſſimae memoriae Regem, et propter praeſentem Regni Reipublicaeque Poloniae egeſtatem, haec in negatiuam plane mutata fuiſſe, non adtento, quod tandem ad $\frac{150}{m}$ florenos Polonicos poſtulatum noſtrum ſit moderatum, idque non amplius ſub ſatisfactionis, ſed mutui tantum pro deducenda militia Suecica, nomine propoſitum. Multo minus acceptatos fuiſſe modos primum a nobis propoſitos; nempe vt $\frac{200}{m}$ Imperiales Duci Croyano Poloni ſoluant, et $\frac{400}{m}$ Imperiales Principi Rakocio, quae ille A. MDCLVII. promittere in campo coactus fuit, remittant, ſummaeque in ſatisfactionem belli a S. R. M. et Regno Sueciae poſtulatae detrahant. Sed reieciſſe Polonos alterum; quod poſtulatum Croyanum prius liquidari, et Originalium documentis probari oporteat; quare

in Conuentu Ordinum valuit. Ac tum quidem communibus ſuffragiis inter ipſos ſancitum, — *in Regem non conſentiendum prius, quam iura omnia poſt electionem illi offerenda, iureiurando confirmauerit; — inprimis vero iureiurando recipiat, pacem vniuerſalem inter Diſſidentes in religione conſeruare et tueri.* Vid. CONSTIT. REGNI pag. 208 ſq. Satis autem conſtat, alia etiam iura et priuilegia Diſſidentibus iam ante conceſſa ipſo ab Sigiſmundo Auguſto fuiſſe. Vid. ANONYMI Tr. de iuribus et libertatibus Diſſidentium in Religione Chriſtiana, in Regno Poloniae.

Digitized by Google

quare etiam, reſeruata Ducis Curlandiae quoque in hoc debitum praetenſione, in Comitia Regni iſtud negotium eſt remiſſum. Alterum vero refutaſſe, quod dicerent Regem Poloniae ſummam illam Rakocii donauiſſe Quartianorum militiae; quae ſi illa tali modo minus potiretur, motum exercitus metuendum eſſe. Demum in ſe recepiſſe Legationem Polonicam, procurare velle mutuum apud vrbem Gedanenſem $\frac{40}{m}$ Imperialium, a Corona Succiae cum vſuris refundendorum; noſtros quoque cum Vrbis Senatu per Subdelegatum egiſſe; nihil autem obtinuiſſe. Punctum guarantiae prae reliquis ita propoſitum eſſe, Caeſareos et Electorales Plenipotentiarios Legatos autumaſſe, vt Suecicis haud acceptari, et inde Tractatus certo abrumpi poſſet: quippe illis a principio ſecuritatem volutam in ore, et illius praeſtatione minas nobis intentatas fuiſſe. Aſt poſtquam Suecica Legatio Articulum iſtum tali modo comprehendiſſet, ne quiſquam contradicere, vel aliquid in eo deſiderare, eumue improbare auderet, negotium hoc ex omni parte compoſitum et complanatum eſſe, quo mutua aſſecuratio pacis huius, bene ſtringentibus conditionibus, ad modum fere Pacis Oſnabrugenſis, ſit ſtipulata. Quae guarantia non minus Sueciae pro ſtabilitione ſtatus, in conqueſtis prouinciis, quam reliquis ad obſeruandam pacem et quietem publicam prodeſſe queat: maxime cautum eſſe de iniuriis, ſi quibus alteram adficere pars altera paciſcentium poſthac praeſumat, vt ſine bello per Commiſſarios remedium fiat, aut coniuncta manu in caſum refragantiae, nec admiſſorum mediorum aequorum, auxilia parti laeſae ferantur. Subodoratum quidem haud difficulter fuiſſe, guarantiam iſtam praecipue a Brandeburgicis promoueri, quo Elector, omnium partium promiſſis, tractatuum iſtorum ſecurus viuere poſſit: verumtamen quum ſuſpicionis ſimul metus eſſet, ne belli adhuc praemeditati inſimularetur Suecia, vel in hac re parti aduerſae obuiandum fuiſſe. Hinc cauſſam inſerunt Suae Excellentiae, cur cum Caeſare et Electore aeque ac Polonis ſimul tractauerint, et pacem concluſerint: nimirum 1) ſe habuiſſe S. R. M. mandata de concluden-

* PVFENDORFIVS Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VII. § 13. *Non deerant in diuerſum rationes. Non eſſe, vnde exercitus ali poſſit, quum poſt pacem ex hoſtico viuere nequeat: et exauctorato nunc milite extraneo citra praemium,*

cludendo: 2) Poſt mortem Regis, ſtatum Regni hoc ipſum poſtulaſſe: 3) Ideoque ſine magno periculo aliter agi non potuiſſe: 4) Et quamuis amplius morari pacem integrum fuiſſet, quod non fuerit, tamen id per offenſam Statuum Germaniae vix licuiſſe: 5) Vtpote quae, copiis auxiliaribus, vel alia re opitulante ex Gallia non exiſtentibus, cauſſanda non eſſet: 6) Et hoc quidem eo minus, quod S. R. M. pacem adhuc cum nemine haberet, ſed potius vndiquaque ab hoſtibus Regnum circumdatum: 7) Conſilia atque intentionem Vniti Belgii, in Danico praecipue negotio, reſpicienda ac probe obſeruanda fuiſſe: 8) Conſcientiam propriam, et quod Deus, Rex, ac Patria, immo totus Chriſtianus Orbis, rationem ab ipſis poſtulaturi fuiſſent, pacem, dum haberi poſſet, accipere dictauiſſe: 9) Conſiderantibus tantas Sueciae vires in praeſens non exiſtere, quae tam graui bello diutius ſuſtinendo ſufficere queant. 10) Quid vero? etiamſi non obſtitiſſent tot praegnantes cauſſae modo memoratae, Poloniam tamen, vt ante dictum eſt, a Confoederatis ſuis ſeparari minime paſſam eſſe. Iam obiici forte poſſe:* 1) Vnde exercitus, concluſa pace, quum in hoſtico degere nequeant, poſthac ſuſtentandi? 2) Quo facto in futurum Officiarii et miles gregarius conſcribendi, ſiquidem nullam ſatisfactionem pecuniariam impetrari a Polonis, et inde donatiuis adficere militiam contigerit? 3) Quod illatae iniuriae velut tolerando obliuioni tradere oporteat: quum 4) vix iuſtiorem hac vice cauſſam vllum ſeculum fuerit praebiturum. Fateri Legatos, argumenta haec eſſe ſatis valida, quae tamen ad ſupra dilucidata nihil faciant: quin potius dictam pacem concludi et debuiſſe et oportuiſſe. Principaliter hic decertatum fuiſſe ſuper iuſtificatione cauſſae, ac vtra pars alteri culpam recuſatae quietis infligere poſſet. Quippe licet Auſtria et Elector pacem impediendi, ſeſeque in armis continendi, ſedulam admodum operam dederint, nihilque laboris, ſtudii et induſtriae hac in re intermiſerint: eos tamen vidiſſe, et, quamuis tam euidenter viribus praeualentes, iudicaſſe, quanto periculo, inuidiae Orbis, diffamationi odioque is, qui reiiceret

minum, difficile in poſterum fore, alios ſacramento Sueco adlicere. Graue quoque tantas iniurias inultas digerere, quum numquam iuſtior bellandi cauſſa fuerit, quin et Coſaccis et Brandeburgicis inuitis licet, ad pacem deſcendendum erat declinandae inuidiae, quae iſtam repudiaturos ſequutura erat.

compoſitionem amicabilem, exponi neceſſe haberet: ideoque nolentes et contra ſententiam atque conſilia ſua inuitos ad accommodamentum deſcendiſſe. Quodſi igitur iſti hoc fecerint, qui non ſolum propriis viribus ac potentia niterentur, verum etiam multis aliis amicitiis ac foederibus ſtarent fulciti: quanto magis nos, quibus ſolummodo noſtra defenſio reſpicienda fuerit, ad praeſcindendam omnem non ſerio quaeſitae pacis ſuſpicionem impulſos fuiſſe. Quod in ſpecie res cum Imperatore concernit, Legatos, quantum pote, operam dediſſe, quo ea, quae Caeſar contra Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſis hactenus S. R. Maieſtati in dubium vocauit, hic penitus complanarentur; vt ſunt medietas Ciuitatis Bremenſis,* Seculariſatio Capituli ibidem:** teloneum Varnemundenſe,*** et reliqua; Legatos vero Caeſareos ad hoc adigi noluiſſe, dicentes iſta Polonicum ad bellum minus pertinere. Quapropter ita conuentum eſſe, vt, quidquid circa res Imperii controuerſiae interceſſerit, iuxta Imperii et Pacis Germaniae leges abſque ſtrepitu armorum componatur, aut decidatur, et ſtetur ab vtraque parte per omnia diſpoſitioni pactorum Oſnabrugenſium, et Conſtitutionibus Imperii. Cum Electore, dum praeterea nihil eſſet obtinendum, cuncta eum in ſtatum poſita, quo fuerunt ante hoc bellum.

* Quippe Ciuitatem Bremenſem, vna cum ipſo Praeſulatu, ceſſam ſibi Pace Vueſtphalica Sueci contendebant: quum e contrario Bremenſes priſcam libertatem hac ipſa Pace, Art. X. §. 8. ſtabilitam adfirmarent. Cui adſerendae etiam Imperator Bremam, tamquam Imperii Ciuitatem, ad proxima Comitia euocauerat. De qua re Sueci primum apud Caeſarem grauiter conqueſti, deinde vrbem armis ſub ditionem cogere ſunt adgreſſi. Vid. PVFENDORFIVS Rer. Suecic. Lib. XXIV. §. 6. EIVSD. Comm. de rebus Caroli Guſtaui, Lib. I. §§. 15 – 41. Conf. PFANNERI Hiſt. Comit. Imp. Lib IV. §§. 60 -- 65. et VII. 49. Scripta peculiaria, in vtramque partem tum edita, recenſet CHR. GODOFR. HOFMANNVS, in Bibliotheca Iur. Publ. pag. 399 ſqq.

** Quod Collegium ſacrum atque ipſa conditoris Caroli M. celebritate inclitum, Sueci iam ante inſtituerant ſoluere: Caeſar autem fidei tutelaeque ſuae commendatum habebat. De quo PVFENDORFIVS Rer. Suec. l. c. §. 7. *Sed nec plus,* inquit, *a Miniſtro Suecico proficiebatur circa abolendum Caeſaris edictum, quo hic Capitulares Bremenſes in tutelam ſuam ſuſceperat, iuſſo vt eorum Collegia integra perſiſterent. Nam Regina quum per pacta Pacis Vueſtphalicae ea Collegia diſſoluiſſet, precario ſingulis, quoad viuerent, certos reditus indulſerat, tranſactione, ea ſuper re, cum ſingulis inita.*— Conf. PFANNERVS loc. comm. Lib. VII. §§. 13 ſq.

*** De quo vid. PFANNERVS l. c. Lib. IV. §. 58 ſq. et Lib. VII. §. 10 ſq.

Prae-

Digitized by Google

lum.* Sicuti quoque reſpectu Orientalis Pomeraniae Receſſus Stetinenſis An. MDCLIII. et poſt modum ſequuta ſeparatio atque traditio prouinciae, ſecundum Inſtrumentum Oſnabrugenſe, facta fuerint. Loquutos quidem Legatos Brandeburgicos de permutatione vrbis Stetini, aduerſus quoddam aequiualens in Marchia;** noſtros autem Legatos, ſibi huius rei nihil commiſſum, reſpondiſſe. Diſcurriſſe tamen eoſdem aliquando cum Legato Mediatore: Quodſi Elector S. R. Maieſtati pro teloneo ſeu vectigali marino, in Orientali Pomerania, Praefecturas *Loekenitz*, *Vierraden* et *Suet*, et praeterea $\frac{400}{m}$ Imperialium, pro quibus Elbinga tradi a Polonis Sereniſſ. Electori debeat, cedere velit, Legationem S. R. Maieſtati id relaturum eſſe: ad quod illos reſponſi nihil dediſſe. Eamdem Legationem Electoralem Brandeburgicam in hoc pacis negotio, ac in omnibus fere Articulis, articuloſe laboraſſe, ſi forte poſſent efficere, vt quid obreperet, ſpeciem prae ſe ferens, pacta et foedera inter Regem Poloniae et Electorem An. MDCLVII. Velauiae, et Bidgoſcii vel Brombergae inita, a Suecia adprobari et confirmari. Quibus foederibus Elector non tantum partes S. R. M. Sueciae deſeruit, et Polonicas amplexus eſt, ſed etiam hoſtem ſe Regis Regnique Sueciae declarauit. Vnde idem poſtea cum Auſtria foedere

Praeter alia ſcripta ſingularia, ab aliis laudata, etiam Epiſtola edita eſt Ducis Megapolitani Guſtrouienſis, cum Reſponſo S. R. M. Sueciae, ſuper telonio et munimento ad oſtium Varnae; (1661. 4.) commemorata ea ab Conſultiſſ. OELRICHESIO, in Bibliotheca Iur. Pomeranica, pag. 62.

* PVFENDORFIVS l. c. p. 112. *Cum Brandeburgico nihil aliud obtineri poterat, quam vt omnia in ſtatum, ante bellum reponerentur, ſimul Receſſus Limitaneus firmaretur.* — Receſſum hunc Limitaneum Stetinenſem aliquoties memorauimus. Acta ipſa Stetini late perſequitur PVFENDORFIVS Rer. Brandeb. Lib. III. §§. 49—58. De traditione autem idem Rer. Suecic. Lib. XXV. §. 30. ſic ait: *Tradebatur quoque ab Electore diploma Ceſſionis locorum Pomeraniae, quae in Regni Sueciae ditionem peruenerant; quod et agnati Electoris, Chriſtianus Wilhelmus, Chriſtianus et Albertus ſubſcripſere. His confectis menſe Iunio vlterior Pomerania, deductis Suecicis praeſidiis, Electori tradita fuit.*

** Certe Brandeburgicum Electorem, tum quoque inhiaſſe Stetino, etiam id argumento eſt, quod, vrbe hac ſibi conceſſa, iure ſuo in Elbingam cedere haud abnuebat. Ait PVFENDORFIVS Rer. Brandeb. Lib. VIII. §. 69. — *Simul iubebat, vt noſtri velut proprio motu apud Polonos iacerent, ſi Poloni Stetinum et Oderam curare poſſint, hunc iure in Elbingam quaeſito ceſſurum. Sed Iohannes Caſimirus ad iſta humeros trahebat: iſta per temporum iniquitatem, et repugnantibus*

ſe iunxit, et cum copiis Imperatoriis Pomeraniam, quam vna cum Ducatu Bremenſi et Verdenſi inter ſe diuiſiſſent,* adortus eſt. Fuiſſe haec ſcilicet tentamina Brandeburgicae; verum Suecicam Legationem iſtiuſmodi velut parum conuenientia admittere declinaſſe. In duobus tantum, ob metum rumpendorum tractatuum, morem gerere nos Brandeburgicis oportuiſſe; nimirum conſentiendum fuiſſe: 1) Vt foedera, quae S. R. glorioſſimae memoriae Maieſtas cum Electore pepigerat in Pruſſia, per hoc Inſtrumentum, et quidem eius Articulum XXV. abolerentur: 2) Certo ſuper Elbinga diſponeretur. Quoad primum Electorales retraditionem Originalium valde diuque vrſiſſe, noſtros contra neutiquam conſenſiſſe, ſed potius ad Tractatum Labiauienſem ab An. MDCLVI. menſe Nouembri, ſe retuliſſe. Tandem eo peruentum eſſe, vt pacta vtrimque annihilarentur, illiſque in perpetuum, et quidem iiſdem verbis, quibus S. R. M. glorioſiſſimae beataeque memoriae in modo allegato Tractatu Labiauienſi ipſa vſa fuit, renunciaretur. Ciuitatem Elbingam quod concernat, Brandeburgicam Legationem acriter poſtulaſſe, vt immediate a Suecia in manus Electoris illa tradatur, ſiquidem Sua Serenitas vi foederis Bidgoſciani, cum Rege Poloniae initi, ius in eam adquiſiuiſſet. Pactum enim fuit, et in Comitiis Varſauiae confirmatum, vt Elbinga Electori Brandeburgico in hypothecam cederet, donec eidem $\frac{400}{m}$ thalerorum Imperialium a Polonia ſoluantur. Initio quidem ipſam quoque Poloniam traditionem hanc petiuiſſe; poſtea vero cupiuiſſe, vt, ſi Suecia tradere illam ciuitatem in euacuationis termino nollet, Legati tamen Plenipotentiarii declaraſſent, quod, quando hoc deinceps a Polonis fiat, fractionem id Pacis huius interpretari Rex Regnumque Sueciae haud velint. Cautum enim eſt, Articulo Inſtrumenti ſecundo, quod ciuitates Pruſſiae Regalis priuilegiis ſuis frui debeant, quibus vſae ſunt ante hoc bellum. Alienatio

tibus Gallis atque Ordinibus Imperii, peruinci non poſſe, quum etiam ſibi, circa iuſtiſſima ſua poſtulata, remittendum fuerit. Ac Sueci cauillabantur, Stetinum Elbingae pretium quater et amplius excedere: qua vrbe et Suecicae res in Germania carere nequeant.

* De quo facile mecum ambigant, qui PVFENDORFIO accredant, alia omnia ex Suecicis ac Brandeburgicis monimentis narranti. Nam primum is Comm. de Carolo Guſtauo Lib. VI. §. 68. p. 583. *Ac fortaſſe*, inquit, *de coniunctione cum Caeſare ad diuturnitatem non ſat prolixe ſibi*

natio autem iſta hiſce contraria videtur, quamuis ceſſio aliter, quam ſaluis iiſdem priuilegiis, fieri non debet. Difficilem admodum reſolutionem Legatos noſtros Elbingenſium Deputatis communicaſſe, qui deliberato adquieuerint, contentoſque ſe reddiderint, vt tempore permutationis ratificationum Pacis Elbinga Regi Reipublicaeque Poloniae, nec vlli alii, retradatur ac reſtituatur. Dediſſe tamen nos Regi Poloniae et Electori Brandeburgico Articulum declaratorium ſeparatum, qui principali Inſtrumento inſertus non eſt, cuius haec praecipue ſunt verba: "Quod ea, quae in Inſtrumento Pacis, Art. II. de redintegratione iurium diſponuntur, non obſtare debeant, quo minus S. S. E. Elbinga iure, quod Eidem competere poſſet, tenenda tradatur; ſaluis de cetero eiuſdem ciuitatis priuilegiis et immunitatibus, tam in Eccleſiaſticis, quam Politicis, ſaluo itidem iure Retractus Conuentionalis Ser. Regi et Reipubl. Polonae, quoad Elbingam." Videri poteſt totus Articulus ſupra, ſub Acto Oliuae, d. $\frac{30 \text{ April.}}{10 \text{ Maii}}$ MDCLX.** Pergunt, quandoquidem Poloni haud obſcure nobis indicia praebuerint, quod Electori Elbingam numquam tradituri ſint Rex et Reſp. Poloniae, ſuaſiſſe Legationem noſtram Elbingenſium Deputatis, periculum faciant collectandae ſummae $\frac{400}{m}$ Imperialium, quae Electori intra tempus traditionis vel reſtitutionis ſoluerentur; quod effecturos quoque per Anglicanos mercatores illi haud deſperent. E contra Regem Poloniae promiſiſſe, quod huius ſummae ſolutio nequaquam grauatura ſit Ciuitatem Elbingenſem, ſiquidem Rex et Reſp. eamdem pecuniam eidem ſoluere ſeſe obſtringerent. Cauſſam iſtam Elbingenſem altioris eſſe indaginis, et probe conſiderandum, quaenam adhibenda ſint media, quibus traditio Electori fienda impediatur. Simul autem metuendum eſſe, ne is tam ratificationis ſuae extraditionem difficilem reddat, quam reſtitutionem locorum Pomeraniae differat. Hinc igitur difficultate quoque non carere S. R. M. Dn.

ſibi pollicebatur, velut qui nuper expeditione in Pomeraniam, citra ipſius conſenſum ſuſcepta, non parum ſuſpicionis iniecerat. Vnde et huc vſque Elector in eius inuaſionis partem non vlterius venerat, quam vt per ſuam ditionem copiis Caeſareis tranſitum daret, negata annona. — Id deinde copioſius explanauit Rer. Brandeb. Lib. VIII. §§. 16 — 26. Conf. §. 31 et 32.

** Ego vero illius exemplum inſerui Actis Publicis Pacific. No. LXV. p. 181. Alia indicaui Obſ. V. p. 245.

Digitized by Google

Dn. noſtri Clementiſſimi ratihabitionem Articuli iſtius ſeparati, quem Legati noſtri contra ſuam et Polonorum voluntatem, inſeruiendo tempori ac neceſſitati, ſubſcribere adacti fuerint. Promiſſam quidem Electoralibus ratificationem; ſe tamen formalem illam negligi poſſe exiſtimare, ita vt forte ſufficiat, quod S. R. M. hoc directe non improbet, verum ea, in quae S. R. Maieſtatis Legatos, pacis promouendae cauſſa, conſentire oportuit, Regi ac Reip. Poloniae tamquam rerum ſuarum diſpenſatoribus, libera relinquat, praeſertim quum haec quoque ſeparata ratificatio ſuperflua videatur, dum Elbinga ſtatim intra dies quatuor a permutatis ratificationibus Inſtrumenti Pacis, vigore Articuli VII. §. I. ſit euacuanda, atque in manus Sereniſſ. Regis Poloniae reſtituenda. Quod ſi vero Elector ob metum futurum, loca in Pomerania, ante dictam ratificationem reſtituere non poſſe praetenderet, et hunc praetextum quaereret, cum in caſum fore conducibile, vt ſeparati Articuli confirmatio, ad euitandum omne incommodum, ſit ad manus: quandoquidem, bene perpenſis omnibus, fateri demum oporteat, quod, rebus in Dania, cum Belgis Foederatis et Moſco vti nunc ſtantibus, Elector Brandeburgicus haud offendendus, ſed potius neceſſe ſit, quo S. R. M. ſaepe memoratum ſeparatum Articulum, ſecundum conuentam formulam, ratificet. Quoad reliqua, ad Inſtrumentum Pacis ipſum S. Excellentiae ſe referunt, eiuſque Copiam tranſmittunt, quo ratificatio remoram, ſi forte ventus aut aliud, dum de Pace cum Dania concluſa nihil adhuc conſtaret, infortunium marinum impedimenti quid cauſſetur, poſtea ne patiatur. Eſſe autem quatuor modo nominati Inſtrumenti exemplaria authentica conficienda; nimirum pro Rege Poloniae vnum, pro Republica Polona alterum, pro Caeſare tertium, et quartum pro Electore. In cuius ingroſſatione quaenam praecipue obſeruanda, mox infra hic exhibetur.

Hiſce ita recenſitis, omnia ſummatim comprehenderunt, videlicet: S. R. Maieſtati iam pleniſſime patere, quam periculoſae coniuncturae tractatum reddiderint difficillimum, quomodo res toties, immo fere ſemper, velut in acie nouaculae conſtiterint, atque ex argumentis memoratis, lapſui propinquae fuerint, ſi loco realitatis nectenda mora, vel nodus in ſcirpo quaerendus fuiſſet. Quapropter ſe etiam ſperare, quod S. R. M. hunc Legatorum zelum, datamque ex deuotio-

uotione ſubiectiſſima debitam operam, qui ſalutem periclitantis patriae cunctis conſiderationibus aliis praepoſuerint, clementer adſpectura, nec eorum voluntati humillimae, aut, ſi non omnia ex voto obtineri, vel, ſeſe inuitis, in quibuſdam conſentiri neceſſitas efflagitarit, negligentiae aliquid imputatura, ſed potius periculo, cui ſtatus Regni ſubiectus fuit, et adhuc eſt, adſcriptura ſit. Prouocant deinde ad conſcientiam, quibus S. R. M. mandata in omnibus ſancta norma fuerint, quam cunctis, quae occurrere hactenus ſolerent, accommodauerint, et tandem per Dei gratiam eo felicitatis progreſſi fuerint, vt illud plus ſexaginta annorum bellum atque de Regno controuerſia radicitus ſit extincta, Liuonia pretioſa Coronae Regiae margarita, S. R. M. in perpetuum ceſſerit, eidemque pax iſta, ne gleba quidem terrae, multo minus diminutione aliqua dignitatis aut commodi, vel vlla ſub aliquo ſatisfactionis titulo pecunia conſtiterit, verum cuncta cum recuperatione amiſſorum in Pomerania, aliiſque emolumentis adquiſita veniat. Caeſaream et Electoralem Legationes, difficiles quidem ſe praebuiſſe in reſtituendis locis Pomeraniae, Varnemunda, et occupatis in Ducatu Holſatiae Sleſuicenſi, vtpote quae loca ſimul omnia per integrum adhuc menſem, poſt commutatas ratificationes Pacis, immo traditionem Elbingae Electori factam, retinere voluiſſent; nunc vero, ſicuti Mariaeburgum et Stuma, intra dies octo a ſubſcripta Pace, Bauskium, et, ſi quae armis Suecicis huc vſque inſiderentur alia loca Curlandiae, intra octiduum notitiae Generali Suecicorum exercituum Duci per tubicinem factae, et Elbinga, quarto poſt commutatas ratificationes die, Poloniae reſtituentur, ita Pomeraniae et Megapoleos occupata, exceptis Vollino, Damm et Greiffenhagen, quatuordecim dierum ſpatio a die permutationis ratihabitionum, et tandem modo dicta, Vollinum, Damm ac Greiffenhagen, vt et loca Holſatiae, intra alias duas ſeptimanas ſequentes euacuatum iri: quemadmodum etiam Dux Holſatiae Sleſuicenſis, datis reuerſalibus de non vindicando, reſtituendus ſit, vtpote vigore Inſtrumenti Pacis, Articulo XXII et XXVI. tam ab Imperatore, quam Electore Brandeburgico, huic pacificationi incluſus. Hinc incidenter mentionem quoque faciunt, Ablegatum Principis Neoburgici *von Rautenſtein* ſummo ſtudio tum apud Legationem Suecicam, tum Polonicam, Caeſaream atque Electoralem, tum etiam

Digitized by Google

Legatum Mediatorem Gallicum, pro incluſione Domini ſui laboraſſe; nullis autem rationibus perſuaderi ſibi Legatos Brandeburgicos paſſos fuiſſe, quippe qui expreſſe declarauerint, ſi modo memoratus Princeps includeretur, ſe paci penitus ſubſcribere nolle: quare proteſtatum Ablegatum fuiſſe, et huiuſce rei geſtae Atteſtatum a nobis, Polonis, et Mediatore petiiſſe; quod noſtra Legatio ipſi denegare haud potuerit, ſed diligentiae ſuae documentum illi dederit. (Vid. hoc Atteſtatum ſeu Documentum apud Acta Legationis huius, in Cancellaria Regia Holmiae ſub No. 114.*) Cum voto et gratulatione finiuntur litterae, in duplo expeditae et tranſmiſſae. Quibus includuntur in ſeorſiua ſchedula

Obſeruanda.

In ingroſſatione Inſtrumenti Pacis ratificandi: 1) In Originali Caeſareis dando, omittenda ſunt in Epilogo verba: *Cum Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dno Mediatore.* 2) In eo, quod dabitur Polonis, omnium Poteſtatum tituli abbreuiabuntur cum tribus etceterationibus, nempe Suecicus, poſt *Magnus Princeps Finlandiae* etc. etc. etc. Polonicus, poſt *Magnus Dux Lithuaniae* etc. etc. etc. Caeſareus, poſt *Archidux Auſtriae* etc. etc. etc. Electoris, poſt *Magdeburgi, in Pruſſia Ducem* etc. etc. etc. 3) In tribus reliquis, ſcilicet quae dabuntur Caeſari, Electori et Galliae, ponentur tituli toti in Caeſaris et Electoris Articulis propriis, ſed in his, quae Regem Sueciae et Regem Poloniae inuicem concernunt ſolos, manebunt abbreuiationes, vt ſupra. 4) In S. R. M. Sueciae Dn. Noſtri Clementiſſimi titulo, quoties totus exprimitur, ne omittantur Scaniae et Liuoniae tituli, ſuo quiſque loco. 5) In eodem adponantur *Iuliaci, Cliuiae et Montium:* in Electoris omittantur titulo.

Porro litteras hodie dant S. Excellentiae ad Dn. Campi Mareſcallum, Comitem Duglaſſium, ipſique pacem notificant, tranſmiſſis Articulis ſcitu illi neceſſariis: cumprimis hiſce litteris eumdem inſtruunt, vt Commiſſarios regundorum finium ordinet, quo Commiſſio, de qua §. 1. Art. IV. diſponit, iuſto tempore inchoari ac finiri poſſit. Scriptae item eodem hodierno ſunt litterae notificatoriae ad Sereniſſ. Ducem Holſa-

* Iſtius teſtimonii tabulae etiam adſeruantur inter Acta *Metrices* Cancellariae Minoris Regni Poloniae. Exemplum inde deſcriptum dedimus in Actis Publ. Pacific. No. LXII. p. 151 ſq.

Digitized by Google

Holſatiae, eiuſque Celſitudini tranſmiſſa XXII et XXVI. Articulorum Copia, quibus et euacuatio locorum, in Ducatu Holſatiae Sleſuicenſi occupatorum, et Sereniſſimi Ducis plenaria reſtitutio, atque in Pacem hanc incluſio continentur; facta quoque mentione Reuerſalium de non vindicando, ſupra in Protocollis hiſce verbotenus inſertorum. Excuſant autem Suae Excellentiae moram, quod per occluſum litterarum commercium ante communicari cum Sua Celſitudine haud integrum fuerit. Legationem Suecicam ſatisfacere ſuo officio voluiſſe, quod metuerent, ne Confoederati nimis duras praeſcripturi fuiſſent conditiones, vbi cum illis ſolum tractare oportuiſſet Ducem.

Actum Sobothi d. $\frac{5}{15}$ Maii.

Litteras ad Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatos noſtros Labiauiae, d. 12 Mart. proxime praeteriti, dederat Celſiſſima Princeps, Anna Maria de Radziuil, Birſorum Duciſſa, venuſtas admodum et vere ſupplices, quibus reſtitutionem bonorum ſuorum, tam paternorum, quam maternorum, petiit. Cuius quidem epiſtolae Originale apud Acta Legationis huius, in Cancellaria Regia Holmiae, ſub No. 117. videre eſt. Ad haſce litteras itaque hodie reſpondent S. Excellentiae, excuſantes moram, quod nunc demum reſpondeant. Factum id eſſe, non quod Eius Celſitudinis negotii ac deſiderii, quod ſumma, qua potuerint, diligentia vrſerint atque tractauerint, obliti eſſent; ſed quia difficultas obtinendi petitum non ante certum reſponſum permiſerit. Iam quum pax Diuini Numinis auxilio concluſa ſit, ſpecialem quoque Articulum XVII. (cuius apographum Duciſſae tranſmittitur,) illius in gratiam Inſtrumento Pacis inſertum eſſe, ſecuramque Suas Excellentias reddere Suam Celſitudinem, quod nihil magis in votis habeant, quam vt iſte, quem libenter in ſe receperit Suecica Legatio, labor exiguus, Duciſſae et acceptus, et omni ex parte profuturus ſit. Curialibus conſuetis finiuntur litterae, ab omnibus quatuor Legatis ſubſcriptae. Reſponderunt etiam Suae Excellentiae breuiter ad litteras Dn. Regni Archithalaſſi Comitis Wrangelii, quarum mentionem heri Protocollum fecit: incluſaque Copia, ad Epiſtolam, quae ad S. R. M. ſcribebatur, ſe retulerunt.

Actum Sobothi, d. $\frac{7}{17}$ Maii.

Quum per Articulum conuentum L. qui etiam inter non inſertos Inſtrumento Pacis eſt, Dnn. Commiſſarii Plenipotentiarii Polonici polliciti eſſent Dnn. Suecicis, ſeriam operam ſuam illico poſt ſubſcriptam Pacem interponendi, vt Ciuitas Gedanenſis vel priuati mutuum dent quadraginta mille thalerorum Imperialium, quam quidem ſummam pecuniariam Suecia intra ſex menſes a die numeratae pecuniae, dataeque mutuae vtriuſque partis paciſcentis Commiſſariorum Obligationis, rite ſolutura ſit; nihil autem hactenus effectui daretur, ſed praeter Dn. Morſtynium Dnn. Legati Polonici profecti eſſent omnes: Dn. a Weydenhain cum Credentialibus ad Gedanenſes miſſus eſt. Suaſerat enim hoc Dn. Comes Schlippenbachius, et votum ſuum obtinuit: vt habet Protocollum, d. $\frac{12}{2}$ Maii ſupra.

Actum Dantiſci, die $\frac{8}{18}$ et $\frac{9}{19}$ Maii.

Conuentum erat Oliuae, vt intra octiduum poſt ſubſcriptionem Pacis, Inſtrumentum eius in pergameno ſcriptum et ſubſcriptum extradatur. Quocirca Secretarius Caeſareus, quum d. $\frac{13}{3}$ huius menſis eſſet Sobothi, ceu illius diei Protocollum refert, a Secretario Suecico petiit, quo, quam primum id fieri poteſt, exemplaria pergamenea conficerentur, quia ipſi Viennam iter maturandum inſtaret: nec penes ſe moram futuram, ſed paucis diebus ſua habiturum quoque parata, Suecicus promiſerat. Nunciato hinc inde, ingroſſationem factam, ſubſcriptaque authentica in pergameno eſſe, ad mandatum Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatorum noſtrorum Secretarius Suecicus ſe Gedanum recepit. Dum enim Caeſareus primus Sobothi Cancellariam noſtram viſitaſſet, et actum permutationis Inſtrumenti Pacis, in charta ſubſcripti, ibi perfeciſſet, alternatio aliud non poſtulauit, inprimis quum Legato Gallico et Polonica Legatione profectis, per quos gradatim alias fieri ſolebat, Mediatio nulla inter Legatos Suecicos et Caeſareos eſſet. Inſtituta ergo eſt in Cancellaria Caeſareae Legationis reuiſio, et quum hodie abſolui non poſſet, die ſequenti commutatio pergamenei facta eſt Suecica et Caeſarea. Nimirum veſpere Suecicus Caeſareum

exem-

Digitized by Google

exemplar ſuo, et Caeſareus Suecicum ſuo ſigillo irrotulatum chartis, clauſerunt, et mane, poſtquam per noctem quiſque ſuum cuſtodiiſſet, aperuerunt, et conferre reaſſumſerunt. Interuenit etiam Secretarius Electoralis Brandeburgicus, rogauitque, vt vna opera etiam illa auſcultarentur authentica, quae inter Suecicam, Caeſaream et Electoralem Legationes ſint in charta pergamena hinc inde commutanda. Conſenſum eſt lucrandi temporis cauſſa, abſque praeiudicio praerogatiuae. Sed vnicum tantum ille habuit paratum, nempe pro Dnn. Caeſareis, in quo erat omiſſa in Epilogo mentio Mediatoris; quod, vt dixit, ideo primum fecerat ingroſſari, ob vrgens iter Caeſarei Secretarii, ceu modo ſupra indicatum eſt. Ergo reuiſa ſunt, quae aderant parata. Quo facto, d. $\frac{5}{15}$ Maii, ſua inuicem commutauerunt Suecicus et Caeſareus, item Caeſareus et Brandeburgicus. Suecicum autem iam reuiſum, a Suis Excellentiis ſubſcriptum exemplar pergameneum Secretarius Suecicus papyro inuolutum, et ſigillo Secretarii Electoralis aliquoties ab extra ceratum, ſecum tulit Sobothum, donec Brandeburgicum, quod intra octiduum, licet Dn. Mediator abſens ſubſcribere non poſſit, paratum promittebatur, aderit retinendum. Nec noſtris pergameneis adhuc nomen et ſigillum ſuum adpoſuerat Dn. Mediator, vtpote $\frac{2}{12}$ Maii Oliua Aulam Polonicam ſequendo profectus; quare illius ſubſcriptio vſque ad praeſentiam eiuſdem circa tempus ratificationum differenda fuit. S. Excellentiae Dnn. Legati noſtri heri ſubſcripſerant Sobothi, praeter Dn. Comitem Oxenſtierna, qui id hodie Dantiſci fecit. Dn. de Liſola Caeſarea in pergameno iam ante ſuum Varſauiam abitum ſubſcripſerat. Errata ac defectus in hiſce tribus reuiſis authenticis pergameneis, noſtro videlicet cum Dnn. Caeſareis commutato, Caeſareae Legationis nobis extradito, et noſtro cum Dnn. Electoralibus commutando, obſeruata ſunt iſta. In Suecico, pro Brandeburgicis, Prooemio ſiue Introitu, p. 2. lin. 2. *Epiſcopatus* poſitum fuit pro *Epiſcopus:* quod correctum eſt iam per Cancelliſtam. In Caeſareo, *Magnus* exſtat pro *Magnus Gabriel.* Quum autem ſine magna eaque indecenti raſura corrigi nequiret, ita manſit. Caeſareo, Art. I. in fine ſcriptum fuit *praeclucium*, pro *praeiudicium:* quod emendatum eſt per Cancelliſtam. Caeſareo, Art. II. §. in principio, in verbis: *Quae durante hoc vltimo bello* etc. omiſſum fuit *hoc vltimo.* Quod additum eſt, manu Secretarii

Digitized by Google

Legationis. Caeſareo, Art. I. *contra Sueciam* pro *Extra Sueciam*, correxit Secretarius Legationis manu ſua. Suecico, pro Caeſareis, vt et illo pro Electoralibus, Art. V. §. 1. lin. 1. *Pars Liuoniae Auſtralis*, defuit, *Eaque:* quod manu ſua Secretarius Legationis addidit. Caeſareo, Art. eod. §. 1. exſtat *Poloniae:* item *Sueciae*: nimirum vt inſuta littera *C* ſit: quod, euitandae raſurae cauſſa, ita manſit. Caeſareo, ibidem: Primo tranſpoſita eſt periodus: *Quum vero M. Dux Moſcouiae* etc. ceu ordinarie ſolet fieri, vt quilibet ſuum Principem praeponat. Deinde Suecicum habet, *Ideo conuentum eſt, vt ſi Suecia* etc. Caeſareum vero, et reliqua *Regnum Sueciae* etc. Item in Suecico ita ponitur: *Viciſſim ſi Polonia* etc. contra in tribus reliquis ſic reperitur, *Reſpublica Polona* etc. Id quod etiam Dn. Legatus Gyldenklau in chartaceis exemplaribus authenticis obſeruauit. Sed quum iam ſine deformibus raſuris, et cancellationibus, nec abſque plurima difficultate mutari non poſſet, ac praeterea vnum idemque exprimat, retineri oportuit. Nihilominus tamen Secretarius Suecicus loquutus eſt cum ipſo Dn. Comite a Colourat, vt in Ratificationis ingroſſatione mutaretur. Ille autem reſpondit, Inſtrumentum Pacis verbotenus inſeri oportere Ratificationi: ergo mutationem facile non admitti: et melius eſſe, ſi retineatur, *Reſpublica Polona*, quam *Polonia:* ſiquidem Reſpublica Magnum quoque Ducatum Lithuaniae comprehendat, Poloniae vero nuda nominatione tantum Regnum Poloniae, excluſo Magno Ducatu Lithuaniae, qui tamen hac in re maxime ſit reſpiciendus, vtpote Liuoniae vicinus, et cuius ſine dubio armis aliquando recuperanda ſit illa pars ex manibus Moſcorum, intelligatur. Cauſſa vero huius et nonnullarum aliarum diſcrepantiarum et diſſonantiarum eſt, quod vnus aut alter Articulus a Secretariis Legationum ſubſcriptus inter properandum non admodum adcurate fuerit auſcultatus, ante ſubſcriptionem, aut commutationem: vbi deinde Conceptum Inſtrumenti Pacis commune, quod nos per omnia retinuimus, maximam partem formatum eſt ex Articulis, a Polonico Secretario ſubſcriptis, qui eos, quos Suecicus ſubſcripſit, tum ad manus non habebat: vt ſupra quoque mentio huius rei facta eſt. Suecico, Art. V. §. 3. *Inprimiſque Liuoniam Suecicam*, fuit omiſſum, et iam Secretarii Legationis manu adpoſitum. Caeſareo, Art. VIII. *ea nomina*, pro *ea omnia* correctum eſt per Secretarium Legatio-

Digitized by Google

gationis. Caeſareo, Art. XVII. *Ducis* exſtat: Suecicum *Principis* habet: et ita manſit vtrumque. Caeſareo, Art. XXII. *et Principem Hereditarium*, omiſſum eſt: ſed addetur in Ratificatione, quoties occurrit per totum Inſtrumentum. Id quod ipſe Dn. Comes a Colourat verbo ſuo Secretarium Legationis Suecicum aſſecurauit. Caeſareo, ibid. §. I. *deuidiſſet*, pro *decidiſſet*, emendatum eſt per Secretarium Legationis. Caeſareo, Art. XXXIV. §. 3. *iuramento*, pro *Inſtrumento*, correctum eſt manu Secretarii Legationis. Suecico, pro Dnn. Imperialibus, in vltima Plenipotentia, defuit *Eorum Confoederatorum:* adpoſuit manu ſua Secretarius Legationis. Caeſareo, in Procuratorio de An. MDCLIX. in titulo, Dn. Baronis a Fernemont, defuit *Colonelli*, et adpoſitum iam eſt manu Secretarii Legationis.

Hiſce ita, vt dictum eſt, peractis, Donatiua quoque data ſunt Secretariis. Nimirum Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius, nomine Legationis Suecicae, Caeſareo Secretario per noſtrum offerri fecit trecentos Imperiales, et centum Imperiales pro Cancelliſtis Caeſareis: pro Secretario Electorali Brandeburgico itidem trecentos Imperiales, et centum Imperiales pro Cancelliſtis illius. Secretarius Polonicus profectus erat: ſpes tamen ipſi, vt et Secretario Dn. Mediatoris, facta. Dn. Comes a Colourat, nomine Legationis Caeſareae, noſtro Secretario per Caeſareum in loculo holoſerico, per aurum acu picto, obtulit catenam auream centum et quinquaginta Coronatorum, cum adpenſa in auro duorum Portugallenſium, ſeu viginti aureorum Hungaricorum, fuſa effigie Imp. Leopoldi I. Cancelliſtis autem noſtris a Caeſarea Legatione donati ſunt octoginta Imperiales. Electoralis Legatio Secretario Suecico et Cancelliſtis remunerationem ſimilem, nomine Legationis Brandeburgicae, promiſit: quod etiam Polonicus Secretarius, ante abitum Oliua, nomine Legationis eius fecerat. Denique retradidit quoque Secretarius Legationis Caeſareus Suecico declarationem, d. $\frac{13}{3}$ Maii, ratione Iuliaci, Cliuiae, Montium, Sobothi datam. Secretarius Suecicus Sobothum rediit, atque Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurario, totique Legationi haec omnia retulit: qui iſta eius relatione fuerunt contenti.

Actum

Actum Sobothi d. $\frac{11}{21}$ Maii.

Iterum ſcripſerunt Suae Excellentiae ad Dn. Campi Mareſchallum Comitem Duglaſſium, referendo ſeſe ad priores de die $\frac{4}{14}$ huius menſis, Pacem notificantes, tranſmiſſis denuo Articulis et §§phis omnibus ex Inſtrumento Pacis ipſi ſcitu neceſſariis, praeprimis autem hortantes, quo Dn. Comes quamprimum Commiſſarios finium ordinaret, ne aliqua parti Suecicae mora hac in re a Polonis imputari poſſit. Eaeque litterae, vti et praecedentes, modo hic allegatae, in duplo vtraeque expeditae; et alterae quidem per Adiutantem Stephanum, alterae per proprium ipſius Dn. Comitis Duglaſſii tubicinem, qui Epiſtolam ab illo cum deſignatione noſtrorum apud Polonos ex Liuonico exercitu, praeſertim proximo autumno Goldingae, captiuorum ad Illuſtr. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatos noſtros adtulerat, miſſae ſunt. Reſponſum autem ad iſtam Epiſtolam fuit, quod Suis Excellentiis acceptiſſimum acciderit, Dn. Campi Mareſchallum deſiderio eorum ſatisfeciſſe, et praefatam deſignationem opportune admodum, ſiquidem Conſiliarius a Weydenhayn inter alia hoc quoque negotium Varſauiae vrſurus ſit, tranſmiſiſſe.

Actum Sobothi d. $\frac{13}{23}$ Maii, ante meridiem.

Aduenerunt litterae, ad Suas Excellentias a Dn. Legato Gallico de Lumbres, d. — menſis huius Maii, Varſauiae ſcriptae, ferentes querelam et ſuſpicionem Regis Poloniae ſuper nondum euacuata Mariaeburgo: deinde conuocationem Deputatorum Reipublicae certificantes. Igitur Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius conuocatis reliquis Dnn. Legatis ad conferentiam, lectiſque litteris proponit, interrogatque reſponſum. Scribit autem praefatus Dn. Legatus Mediator, relatum eſſe Sereniſſ. Regi Poloniae, Dn. Bilauium, Mariaeburgi Praefectum, euacuationem illius vrbis ſub diuerſis praetextibus recuſaſſe. Primo, quod intra tam modicum tempus praeſidium inde educere, et tranſportare eo, quo debeat, nullatenus poſſet: deinde, quod milites defectu ſtipendiorum tumultuarentur. Suſpicatam eſſe Suam Maieſtatem, adfectari iſta, et aliud latere, ſed conteſtatum ſe eſſe Dnn. Legatorum

Digitized by Google

gatorum Suecicorum Excellentias bona fide curaturas obſeruationem Tractatus, neque aliam fuiſſe cauſſam morae, quae interceſſit in euacuatione ſupra memoratae vrbis, niſi aliam moram, quae interuenit, antequam ratificatio Regia in ſuas Mediatoris manus depoſita fuerit. Quum autem d. $\frac{12}{2}$ huius menſis Copiam ſiue exemplar ratificationis iſtius, penes ſe depoſitae, tranſmiſerit ad Suas Excellentias, non dubitare profatum eſſe, quin ſequenti die Mariaeburgum Eaedem miſerint mandatum de euacuanda protinus iſta vrbe, eiuſue mandato iam ſit obtemperatum. Adeo enim ſibi cognitam eſſe Suarum Excellentiarum fidem et integritatem, vt pro illa fideiubere non reformidet. Nec ſibi latere, quantum interſit in limine concluſi Tractatus omnem doli ſuſpicionem procul amouere, et quam alienum ſit a prudentia Dnn. Legatorum Suecicorum, famam illam, quam ſincera ſua negotiatione adquiſiuerint, contraria actione labefactare. Haec eſſe, quae eum impellant, vt credat et conetur aliis perſuadere, euacuationem iſtam eſſe factam. Pergit poſtridie eius diei Conſilium bellicum Varſauiae ineundum fuiſſe, cui Generales Duces exercituum adſiſtere debuerint: deinde decima quarta Iunii ſequuturam Conuocationem Deputatorum ad ratihabendum Pacis Tractatum.

Ad has litteras ſtatim reſpondere neceſſum Suae Excellentiae iudicarunt, quo ſuſpicio omnis tollatur, aliquam fuiſſe moram a parte noſtra; ſed potius deuoluendam eſſe culpam ad ipſos Polonos, qui euacuationem Mariaeburgi remorati ſint. Et ideo quoque maturandum iter Weydenhaynii Varſauiam eſſe, vt ille praeſens eo melius remonſtrare inter alia hanc rem poſſet. Commode etiam accidere, vt mentio fiat denegati mutui Dantiſcani: item fidem euentualiter Weydenhaynio faciendam. Facto igitur concluſo, reſponſum eſt praefato Dn. Legate Gallico, in hunc tenorem: Patuiſſe Legationi Suecicae ex litteris Excellentiae Suae, d. — Maii Varſauiae ad ſe (Dnn. Legatos Suecicos) datis, Sereniſſ. Regi Poloniae relatum eſſe, Dn. Bilouium euacuationem vrbis Mariaeburgenſis ſub diuerſis praetextibus recuſaſſe, Suamque Excellentiam, quod culpa penes Legationem Suecicam non ſit, excuſaſſe, certam quod, quum die $\frac{12}{2}$ dicti menſis Copiam Ratificationis Regiae Polonicae in manus eiuſdem depoſitae ad eamdem tranſmiſerit, dictam ciuitatem iam tum euacuatam fuiſſe. Iam vt merito

rito doleant Legati Suecici, in ſe, qui toto Tractatus tempore, et adeo in ipſis Pacis conditionibus, totoque illo in negotio, omnia candide ac bona fide egerint, conuentioni contraueniendi ſuſpicionem cadere: ita ſe amice agnoſcere ſincerum Excellentiſſimi Dn. Legati ſtudium, qui pro ſingulari ſua prudentia Legationis Suecicae mentem aliter interpretatus ſit, quam ſiniſtra illa relatio tulerit. Nec ſe poſſe non ſignificare Eius Excellentiae, quod et arx et ciuitas praememorata iam pridem praeſidio Suecico euacuatae ſint, et miles inde Elbingam deductus. Legatos vero Suecicos, quod merito querantur, habere; nimirum nec Commiſſarios Polonicos miſſos, nec de ſuſtentatione vel hoſpitio deducendarum cohortium aliquid vel adhuc praeparatum eſſe, immo et Ciuitatem Gedanenſem ne obolum quidem mutuum dare velle. Quare etiam neceſſum ducere Legationem Suecicam, Dn. Legati Excellentiam perofficioſe rogare, vt ne grauetur eam rem apud Aulam vrgere, quo S. R. M. Dn. Generali vigiliarum Praefecto *de Grothauſen* in mandatis dare dignetur, vt is non tantum ſuo loco, quae dicta deductio ratione tranſitus, ſtationum, commeatus ac curruum requirit, in tempore adparari faciat, verum etiam apud reliquos Regios Polonicos Officiarios bellicos et ciuiles idem procuret, ne deductioni deinde mora creetur, vel etiam aliae inde inconuenientiae naſcantur. Deinde Excellentiae Suae ſaepe nominato Dn. Legato notificant, quod Dn. Ioannem a Weydenhayn, S. R. M. Sueciae Conſiliarium Aulicum, Varſauiam ablegent, qui praeprimis vrgeat, vt ratificatio tum Regia Polonica, tum Dnn. Reipubl. Deputatorum, tempore, loco et modo, quo conuentum eſt, fiat, et deinde nonnulla alia a Pace dependentia peragat. Quocirca ſe Excellentiam Eius amiciſſime rogare, velit non tantum eidem Dn. Weydenhaynio plenam fidem tribuere, verum etiam ea, quae nomine Legationis Suecicae explicaturus ſit, omni meliori modo promouere. Porro Plenipotentiae S. R. M. Poloniae vltimae, quam d. $\frac{12}{2}$ labentis menſ. Maii Excell. Dn. Legatus, in momento abitus ſui Oliua, Sobothum tranſiniſit, mentionem faciunt Illuſtriſſ. atque Excell. Dnn. Legati noſtri, ſe nempe eam recte accepiſſe, aſt illam in periodo finali, *Nos ea, quae ſupra memorati noſtri Plenipotentiarii Commiſſarii* etc. valde obſcuram eſſe: Suae Serenit. Electoralis Procuratorium vero, quod ad modernam S. R. M. Sueciae Dn. noſtrum

noſtrum Clementiſſimum dirigi et adplicari debeat, adhuc reſtare accipiendum: quapropter, vt et illud ante ratificationem permutandam Sua Excellentia procuret, Eamdem peramice requiri. Quod ad Commiſſionem finium in Liuonia ſpectet, ea de re ad Dn. Campi Mareſchallum, Comitem Duglaſſium, iam d. $\frac{4}{14}$ et $\frac{11}{21}$ Maii, in duplo ſcripſiſſe Dnn. Legatos, et vnum exemplar per tubicinem, alterum per mare cum expreſſo miſiſſe, nec, quod ille Commiſſarios legitimos conſtituerit, dubitare, idemque a parte Poloniae factum eſſe, ſperare. Haec ad Lumbreſium.

Ceterum hoc ipſo quoque die ad S. R. M. ſcripſit Legatio; initio quidem facto a relatione ad eas d. $\frac{4}{14}$ Maii, cum quibus vna Inſtrumentum Pacis in duplo fuit tranſmiſſum, vtpote ipſis etiam litteris in duplo expeditis. Poſtea S. R. M. referunt, quod ex illo cum Dn. Comite Koenigſmarkio, Dn. Regni Senatore *von der Linde*, et Generali Locumtenente Bilouio, Pruſtii conuenerint, colloquuti tum de ſuſtentatione militiae, tum de eius deductione, vbi vtrumque abundet difficultatibus. Quoad ſuſtentationem enim, annonae penuriam, inopiam pecuniae, fidei mercatoriae (vulgo *Credit*) defectum, tanta eſſe, vt eſurienti militi, vbi gregarius Elbingae interdum biduo et triduo ne micam panis acceperit, vix ad aliquot adhuc dies proſpici potuerit. Per ſeparatum quidem Articulum Legatos Plenipotentiarios Polonicos promiſiſſe fidem interponere apud Gedanenſes, vt ſummam quadraginta millium thalerorum Imperialium, pro indigentia militis, mutuo daret; illos quoque cum Magiſtratu ſermones ea de re inſtituiſſe; immo Legatos noſtros ipſos hactenus cum eodem tractaſſe; neutros autem aliquid ab vrbe hac obtinere valuiſſe. Quin etiam hiſce diebus praefati Dnn. Legati noſtri cum mercatore quodam priuatim egiſſe, ſi forte viginti millia Imperialium et quinquaginta Laſtas ſiliginis, pro accipiendo in hypothecam realem quidquid tormentorum et rei armamentariae Suecicae adhuc in Pruſſia ſupereſt, numerare et curare velit, quo militia, donec commeatus et nummus ex Suecia veniſſet, ſuſtentari queat: verum neminem eſſe, qui ad id ſe perſuaderi patiatur. Tandem rogatu Legationis Dn. Comitem a Koenigſmark decies mille Imperiales, vna cum octoginta Laſtis annonae, ſua fide interpoſita procuraſſe: pro quo praeſtito Coronae officio, Legati dato ipſi ſuo chirographo viciſ-

 ſim,

ſim, vt debitores, obligauerint. Quum vero parum hoc penu ſufficiat, ſed eo mox conſumto neceſſitas renouata eadem futura ſit, non poſſe Legatos non remonſtrare S. R. M. quodſi Regnum haud ferat opem citiſſimam, tandem tamen copias Pruſſicas ruinae datum iri, penituſque interituras. Antequam autem hora feralis adueniat, rebellionem et totalem vrbis Elbingae direptionem, aliaque inconuenientia metuenda eſſe. Deductionem militiae quod concernat, ſeu terra, ſeu mari fiat, eam fore difficillimam. Quippe militem conductis peregrinis nauibus tranſportari, vix futurum practicabile, conſideratis, quod nautae peregrini id renuant, nauium et commeatus comparatio ſpacioſi temporis ſit, et marinum periculum vel ſolum id prohibeat. Itinere terreſtri abductionem hunc metum ſecum trahere, ne magna pars inuiti militis transfugiat, et forte minimus numerus Pomeraniam ſit viſurus. Ad quod accedat, quod adhuc non conſtet, quid Elector Brandeburgicus ratione curruum, commeatus, ac ſtationis liberae, quum de tranſitu tantum Inſtrumentum Pacis diſponat, ſeſe declarauerit. Nihilominus aliud expediens non dari, quam vt Elbinga praeſidium ex milite nationali conſiſtens neceſſarium ac ſufficiens retineat; quod reliquum eſt, ſine mora in Pomeraniam terra mittatur: veluti de hoc ipſi Legati et Dn. Campi Mareſchallus Locumtenens *von der Linde*, Biloniuſque cum Dn. Comite Koenigſmarkio mature deliberauerint; atque ea de re iam litteras notificatorias ad S. Serenitatem Electoralem Legatio dederit. Poſſe quidem Legatos hac cura vacare, qui ex parte penuria propria premuntur, incerti, qua via ex Pruſſia recedendi, aut quo modo, deficientibus vitae ac ſuſtentationis honeſtae mediis, diutius ibi commorandi facultas ſit; verum non tam Dni *von der Linde* querelis, quam debita erga S. R. M. obedientia, ſubiectione et in patriam amore motos, ſuae ſe anguſtiae praeſentis obliuiſci, et de conſeruatione copiarum ſaepius memoratarum ſollicitos teneri. Id ſolummodo triſte et ipſis et Generalibus militiae Gubernatori ac Praefecto accidere, nec abſque dolore de illo ſe cogi conqueri, quod eo infortunii redacti ſint, vt veluti reiectos, ne minimis quidem de milite componendo acceptis litteris, nocte eos ambulare oporteat. Hinc progrediuntur Suae Excellentiae, quod ipſis notificatum ſit, magnam hiſce annis alieni aeris ſummam, in locis a praeſidiis noſtris inſeſſis, ab Officiali-

cialibus conflatam eſſe. Qua de re autem quum ipſis praeter id, quod iis relatum eſt, nihil conſtet, Commiſſarium, Petrum Berends, vna cum Regeſtis et rationibus nunc Holmiam iturum, et omnia Camerae Regni demonſtraturum. Tandem pergunt de itinere Weydenhaynii Varſauiam, qui in futura Conuocatione Deputatorum Reipublicae, quae ad exequutionem Pacis pertinent, vrſurus, et praeterea, quid alias rerum agatur, exploraturus ſit: referentes ſe ad eius Inſtructionem et Memoriale Secretum, hiſce litteris in apographis incluſa. Data quidem eſt haec ad S. R. M. epiſtola die hodierno, nimirum $\frac{14}{24}$ Maii, ſed non expedita ante ſubſcriptionem expeditionis Weydenhaynii: quae videatur infra, d. $\frac{24 \text{ Maii}}{3 \text{ Iunii}}$ MDCLX.

Actum Sobothi d. $\frac{14}{24}$ Maii, ante meridiem.

Quod aliquot diebus per diſcurſus deliberauerant Suae Excellentiae, demum concluditur, Weydenhaynium ſubdelegandum eſſe Varſauiam, vt apud Dn. Mediatorem, et Dnn. Legatos Polonicos curet, quae ab exequenda pace dependent negotia: mandaturque Legationis Secretario, quo Inſtructionem et Memoriale pro illo, vna cum litteris ad Dn. Comitem de Leſzno, Magnum Regni Poloniae Cancellarium Prazmowski, et Magnum Magni Ducatus Lithuaniae Cancellarium Pacium, ex hiſce, quae hinc inde diſſertata erant, conciperet; quae deinde reuiſa expedirentur, et Weydenhaynio traderentur. Et Illuſtriſſ. quidem Dn. Regni Theſaurarius poſtea Secretario capita expeditionis iſtius dictauit. Quae res tota videatur infra, in Protocollo, d. $\frac{24 \text{ Maii}}{3 \text{ Iunii}}$ Sobothi habito. Idem Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius Dn. a Weydenhayn pro ſuſtentatione ad duos menſes, quorum ſingulis triginta dies adnumerantur, conſtituit 720 Imperiales, qui in dies diuiſi diurnam prouiſionem duodecim Imperialium faciunt, et praeterea eidem ex proprio ſtabulo currum cum ſex equis accommodauit, adiunctusque eſt illi Secretarius Rudolphi, cui per praefatos duos menſes ſingulis diebus duo Imperiales, qui ſummam 120. Imperialium exacte faciunt, adſignauit: item acceſſerunt pro Aulico 32. per menſem, atque adeo 64. Imperiales. Miniſtrum, ſeruos et famulos ex ſua deputata pecunia Weydenhaynius ſuſtentabit.

 Actum

Digitized by Google

Actum Sobothi d. $\frac{14}{24}$ Maii, poſt meridiem.

Dn. Ducis Croyani Mandatarius, Schwederus, Cancellariae Legationis adeſt, poſtulans, vt Recredentiales ad Principem ſuum habere poſſit, commendatque denuo cauſſam praefati Principis ſui, petendo, vt Suae Excellentiae Deputando Varſauiam eius quoque negotii curam demandare velint, quo Suae Celſitudinis in Conuentione proxima ratio habeatur. Secretarius ad Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarium acceſſit; Eiuſque Excellentia Mandatarium intromitti iubet, qui praemiſſis curialibus prolixius ea, quae modo dicta ſunt, repetiit. Illuſtriſſimus, de meliori modo mandatum iri negotium Croyanum Weydenhaynio Varſauiam ituro, reſpondens, litteras ad Suam Celſitudinem in Cancellaria expediri debere dixit, et, commiſſa ſalutatione perofficioſa, humaniſſime Schwederum dimiſit: qui Recredentiales quoque deſideratas, a Suis Excellentiis ſubſcriptas, ex Cancellaria accepit. Actis hiſce Dn. Legatus Gyldenklau cenſuit, poſt Inſtrumentum Pacis et Plenipotentias Suecicas, et ſubſcriptionem Secretarii Legationis, merito typis imprimenda eſſe: 1) Polonica Regis et Reipublicae, 2) Caeſaris, 3) Electoris Brandeburgici Procuratoria, item ratificandi formulas. Quare deſcriptae ſunt illorum Copiae, quas accepit Dn. Legatus, hoc negotium Sedini, vbi in Pomeraniam venerit, procuraturus.

Actum Sobothi d. $\frac{23 \text{ Maii}}{2 \text{ Iunii}}$ ante meridiem.

Conqueſtae erant Suae Excellentiae praeterito autumno Elbingae et poſtea Sobothi, in ſuis ad S. R. M. litteris, de curatae pecuniae et ſuſtentationis ſuae mediis. Ad illas recurrentes denuo ſcribunt ad S. R. M. Carolum, quod acceperint quidem litteras Cambii octodecim mille thalerorum Imperialium; quare etiam Regiae Maieſtati gratias agerent humillimas; verum illud partim nondum ſolutum, partim plane non acceptum, ſed penitus remiſſum eſſe. Ad quod accedat, quod pecunia Legatis deſtinata non adtingat expenſas hactenus neceſſarias. Veſtes ſollemnitati et pompae adhibendas bis confectas, quibus tamen vti Legatio nequierit. Bis habitum luctuoſum comparari oportuiſſe. Omnia percare, aut duplici aut triplici interdum pretio, emi

Digitized by Google

emi neceſſe fuiſſe. Regni Theſaurarium, praeter hoc, tot extraordinaria ſoluere coactum. Comitem Oxenſtierna pro inſtituendo itinere, et antea loco ſalarii, tempore triennali nihil accepiſſe. Inde factum, vt ſaburra aeris alieni accreuerit; qua exonerare ſe cogantur, priusquam ex Pruſſia abire liceret. Quare S. R. M. ſubiectiſſime implorent, quo vel ea, quae adhuc reſtant, ſine mora mittantur. Camerarium Laurentium Laurentii ſe mittere cum rationibus perceptorum et expenſorum, ex quibus omnia magis liquida ſint futura. Quoad abitum Dnn. Legatorum referunt, quod Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius et Dn. Comes Oxenſtierna abituri ſint, ſimul atque debitum ſoluendi facultas fuerit. Dn. Comitem a Schlippenbach, vſque ad ratificationem Pacis et S. R. M. vlterius mandatum, in Pruſſia manſurum. Dn. Legatum Gyldenklauium perinde per Pomerelliam terreſtri itinere in Pomeraniam rediturum, et illic futuram euacuationem praeparandi ac promouendi, et militem ex Pruſſia in Pomeraniam reducendum accommodandi ſtudium et operam praeſtiturum.

Actum Sobothi $\frac{23 \text{ Maii}}{2 \text{ Iunii}}$ poſt meridiem.

Iuſſit Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius proiicere Legationis Secretarium Atteſtatum pro Diſſidentibus a religione Romano-Catholica in Polonia, et communicare Dn. Legato Gyldenklauio. Quod factum. Is quum adiici arbitratus eſſet Concepto, (quod infra in Protocollo d. $\frac{25 \text{ Maii}}{4 \text{ Iunii}}$ videre eſt,) quod durante hoc bello merito praeſumi debeat ac poſſit, nihil eſſe innouandum: praeterea quoque monuit, quoad tempus extraditionis huius Atteſtati, ſe exiſtimare, quod ſecuriſſimum futurum ſit, ſi non extradatur illud, antequam omnia loca Pomeraniae reſtituta et euacuata fuiſſent: idque propter conſequentiam et periculum, quod a Polonis per indirectum poſſit intentari: quocirca ſe etiam putare, quod ne Copia quidem eius atteſtationis ſit communicanda. Secretarius hoc retulit Illuſtriſſ. Dnn. Comitibus, ac praeprimis capiti Legationis: et placuit monitum Dn. Legati Gyldenklauii, factaque eſt ingroſſatio.

Actum

Digitized by Google

Actum Sobothi d. $\frac{24 \text{ Maii.}}{3 \text{ Iunii.}}$

Vbi, quae ad expeditionem Weydenhaynii Varſauicam pertinent, d. $\frac{14}{24}$ Maii ab Illuſtriſſ. atque Excell. Dnn. Legatis concluſa, et ab omnibus reuiſa eſſent, Inſtructionem, Memoriale ſecretum, et litteras, quorum iam bis in Protocollo facta eſt mentio, Dnn. Legati omnes ſubſcripſerant. Nam etiamſi Illuſtriſſ. Dn. Comes Oxenſtierna, et Dn. Legatus Gyldenklau, quoad foedus Polonicum contra Moſcum, aliquot diebus initio difficiles, poſtea proniores vota ſua ſuſpenderent: deinde tamen, vbi generalius proiiceretur punctus iſte, et Weydenhaynius, quam cautiſſime vt tractaret, identidem moneretur, Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurario et Dn. Comiti Schlippenbachio, qui et ipſi initio ſtatim ſatis adcurate rem circumſpiciebant, adtentis, quae monere cenſuerant, ſe conformauerunt. Ad Inſtructionem quod adtinet, 1) mandatur Weydenhaynio, vt acceptis, quae expeditionem ſuam ſpectant, iter ſine mora ingrediatur, illudque, quantum pote, maturet, quo adhuc ante Conuocationem Varſauiae* de hac et illa re informandi ſe tempus habeat, atque experiri poſſit, quod ad perficiendam ratificationem futuram et Pacis exequutionem plenariam conducat ac neceſſarium ſit. 2) Eapropter ipſi incumbere, vt ſtatim Dn. Mediatori de Lumbres, Dn. Palatino Leſzinski, Dnn. Cancellariis Prazmowski et Pacio, ad quos, excepto Lumbreſio, (apud quem ipſi iam nuperae litterae fidem fecerunt,) litteras ei dabant, non minus quam reliquis, qui Tractatibus Pacis interfuerunt, et forte ad Aulam praeſentes futuri ſunt, Legatis innoteſcat, et commiſſa ſibi negotia dextre ac ſedulo tractet. 3) Vrgendum ante omnia eſſe, vt Pax iuſto tempore in forma debita, qua de re illi ſufficiens ab Actis datur informatio, ratificetur, quo permutatio ratificationis tempore et loco, prout in Inſtrumento Pacis conuentum eſt, fiat. Inprimis explorandum fore, an dicta ratificatio auctoritate Comitiali deputatorum Delegatorum idem robur, ac Reipubl. ipſius, in Comitiis ſi fieret, habeat? vel quid ſecreti hic lateat? Experiundum item eſſe, quale ſit ſcriptum, quod Deputatis Reipubl. ad ratifican-

* Illum autem Conuentum Varſauiae per hos dies coepiſſe conſtat. Acta, praeſertim ea, quae Oliuenſem Pacem ſpectant, commemorat PVFENDORFIVS Rer.

tificandum in Comitiis An. MDCLIX. datum fuit, cuius Copiam vt impetret, omnem ſit operam daturus. Poſtea hoc vrgendum eſſe, vt pacta Pacis praeſentis in totum, vi conuentionis, in proxime futuris Comitiis, praeprimis ceſſio Liuoniae et in Sueciam renunciatio, Conſtitutionibus Regni Poloniae et Volumini Legum inſeratur: vtpote quod in quinta conditione Art. XXXIV. Inſtrumenti Pacis nuperrimi expreſſe contineatur. Denique ſecuros reddendos eſſe Dnn. Polonos, quod certo ſperet Legatio Suecica, ratificationem S. R. M. Sueciae ſatis mature adfuturam. Quodſi vero praeter ſpem impedimenti quid inciderit, quandoquidem per mare illa adportanda ſit, cautelam non nocere ſuperfluam, ne Poloni, ceu mora iniiciatur ſtudio, interpretentur. Ad hunc Inſtructionis Articulum tertium Dn. Legatus Gyldenklauius monuit, ſi renunciatio Regis Poloniae, reſpectu praetenſionis in Regnum Sueciae, Volumini Legum inſeratur, optimum fore, et credere ſe, hoc controuerſum non iri, ſiquidem vi Articuli XXXIV. modo allegati Inſtrumentum pactorum totum Volumini Legum inſeri debeat. Sed vbi ad ſeparationem huius et Liuonici Articuli deueniatur, et vel aliqua ratione res parum dextre tractetur, dignum conſideratione iſtud ſibi negotium videri: non tamen obeſſe, Weydenhaynio id datum in Inſtructione. Deinde omittendum eſſe ſuo quidem iudicio, quod de metu tardioris e Suecia aduentus S. R. M. ratificationis ponitur, neque in minimis dandum Polonis ſcrupulum tempeſtiue ſequuturae noſtrae ratificationis. Manſit per maiora Articulus hic, vt modo tenor eius recenſitus eſt. 4) Iubetur Weydenhaynius, inde conqueri, quod nulli ex parte Polonica Commiſſarii conſtituti ſint, qui militi Mariaeburgo et Stuma educto de ſuſtentatione prouiderint. Quemadmodum etiam, quod Gedanenſis Ciuitas ratione mutui nihil praeſtiterit; e contra demonſtrandum eſſe, quam a parte Sueciae nil deſit, ſed euacuatio iam nominatarum vrbium pridem effecta fuerit. Et quia tranſitus praefatae militiae haud paruam confuſionem, nemine in loco praeſente, cum quo Dnn. Generales Suecici communicare poſſint, creaturus eſſe metuatur, ideo ſollicitandam Aulam Polonicam, quo mandetur Dn. Generali

Rer. Brandeb. Lib. VIII. §. 78 ſqq. Nam et Elector Brandeburgicus ad eum ablegauerat Houerbequium: de quo inprimis digna lectu ibidem produntur.

nerali vigiliarum Praefecto de Grothauſen, vt de curribus et commeatu tempeſtiue proſpiciat. 6) Diligentem eſſe nauandam operam, an penetrari poſſit, quae Confoederatorum iam ad Aulam modo memoratam ſint conſilia;* quantum Auſtria et Elector adtendant res Moſcouiticas, et num illi bello ſe immiſcendi, auxiliaque Poloniae, et quanta mittendi, iiſdem animus ſit? 7) Non minus penetrandum fore in praeſentia conſilia et reſolutiones Conuocationis huius; et quis ſit ſcopus Poloniae, ſtatuſque eius vires; quae facies exercituum; quaenam Lithuanorum intentio; item quo in ſtatu Coſacorum tam reſpectu Poloniae, quam ſuimet ipſorum, res nunc conſiſtant. 8) Maxime intereſſe S. R. M. reſcire, quid ratione futurae ſucceſſionis intendant Poloni, et num haec quoque Conuocatio aliquid illius negotii actura ſit. 9) De Elbinga ſcitu neceſſarium fore, an Polonia tradere illam Electori adhuc velit.** Quod ſi intelligat Weydenhaynius; ne fiat, omne ſtudium impendere illum oportere, demonſtrando Polonis, ſed circumſpectiſſime et per indirectum plane, quantae ſit conſequentiae, Electore per hoc ipſum abſoluti dominii in Pruſſia effectum, ac multis modis deinde praeiudicandum Poloniae, nacturo. 10) Mandatur, vt probe obſeruet, et a Dnn. Legatis Polonicis percunctetur, num Commiſſarii regundorum finium, vi §. I. Art. XXXIV. Inſtrumenti Pacis, qui eſt ceſſionis Liuoniae, deputati ſint, indicans, quod Legatio noſtra hoc idem Dn. Campi Mareſchallo Comiti Duglaſſio, d. $\frac{14}{4}$ Maii, per litteras notificauerint. Monendum hoc eſſe, ne commutationi ratificationum poſtea mora iniiciatur. 11) Iubetur Weydenhaynius, vt, quid agatur, diligenter communicet Dn. Comiti a Schlippenbach, Dantiſci commoraturo; litteras mitti poſſe ad mercatorem Gedanenſem, Georgium Friderici, qui etiam illas, quae in Sueciam ſingulis cum poſtis ad S. R. M. dirigentur, trans fretum Oreſundicum, vel per mare, ſi tulerit occaſio, tranſmiſſurus ſit. 12) Vt circumſpecte vtatur Ablegato Neoburgico a Rautenſtein, ad Aulam Polonicam iam conſtituto, vt-

pote

* De conſiliis praecipue Electoris Brandeburgici legi poſſunt ea, quae a PVFENDORFFIO prodita ſunt, l. c. p. 530. Is autem Houerbequio Legato iniunxerat inter alia complura: *Nec minus obſeruaret, quid a Suecis, Gallis et Neoburgico in ea Aula agitetur: ac operam daret, vt eius Aulae offenſa in Caeſarem mitigetur, neu Reſpublica ſuſpectis ſeſe partibus innectat in fraudem ſuae libertatis,*

pote ibi familiari, et ad penetrandum in actiones valde idoneo. 13) Commendatur ipſi, tamquam res neceſſaria, negotium religionis in Ciuitate Elbinga, et vtraque Inſula: ſiquidem iſta Pontificios in vrbe, illi autem totalem reformationem metuant. 14) Diligenter monere debet, quo Officiarii aliique captiui Suecici tum in Tataria, tum alibi, liberentur, atque Art. XIV. Inſtrumenti Pacis ſecundum vtramque ſ. ſatisfiat. 15) Ducis Croyae negotium obliuioni ne tradendum, vt ſi in praeſenti Conuocatione obtinere nequeat, in proximo futuris Comitiis ad ſatisfactionem Suae Celſitudinis id fiat. 16) Dn. Legato Mediatori de Lumbres offerri S. Excellentiarum officia paratiſſima demandantur, et ille rogari, quo cuncta, quae ad exequutionem Pacis pertinent, promouere velit, cumprimis vt ratificatio debito modo, tempore et loco fiat. Item excuſari opus eſſe, quod eidem Dn. Mediatori hucuſque pro laudabili ipſius opera ac ſtudio, decens gratitudo nondum ſit exhibita, quae illi tamen certo promittenda, veluti realiter iuſto tempore ſubſequutura. Non minus eius Secretario ſpem faciendam certi honorarii, ſi non prius, tamen permutationis ratificationum tempore accipiendi. Haec omnia denique, et quae in Memoriali ſecreto, vt ſic ſequetur, ſaepe nominato Conſiliario a Weydenhayn concredita ſunt, notae eius dexteritati, fidei et ſtudio committuntur, confiduntque Ill. atque Excell. Dnn. Legatorum Excellentiae, quod is cuncta caute tractauerit. Et ſiquidem eaedem exiſtiment, illum tribus quatuorue ſeptimanis in Aula omne negotium expedire poſſe, et adeo totum tempus, quod ibi, et in itinere inſumendum eſt, ad duos menſes reſtringunt, in mandatis ipſi datur, vt tunc redeat, et ſine mora S. R. M. de expeditione ſua referat, nec non Dn. Comiti a Schlippenbach illius copiam faciat. Data quidem eſt haec Inſtructio d. $\frac{29}{19}$ Maii, ſed iam demum ſubſcripta et extradita. Memoriale ſecretum d. $\frac{21}{11}$ Maii datum, et hodie ſubſcriptum, continet foederis contra Moſcum cauſſas, deinde informationem pro Subdelegato Weydenhaynio. Quum nimirum

tatis, eoque fine diſſuadeat foedus cum Suecis, ac ne per id anſa praebeatur ad nouum bellum mouendum. Quod quidem foedus Lithuaniae Cancellarius Pacius valde vrgebat, multis Polonis auerſantibus; quia Sueci parum auxilii Polonis laturi erant, maximum tamen ex iſto lucrum in ſe tracturi. Offerret quoque Electoris officium conciliandae inter ipſos et Moſcos paci. — Conf. ſ. 79. p. 531.

** Vid. PVFENDORFIVS loc. comm. ſ. 80 ſq.

mirum concluſa iam pace cum Polonia, Auſtria et Electore Brandeburgico, ad ratificationem et exequutionem illius proxime accedat, quo res Moſcouiticae reſpiciantur,* neceſſe eſſe, vt ad foedus inde in futurum forte ineundum reflectatur. Cui confoederationi quum Polonia S. R. M. et Regnum Sueciae iungendum deſideret, haud forte inutile hoc Sueciae videri, atque id vel maxime ad retinendam apud Polonos bonam de nobis exiſtimationem prodeſſe. Deinde per iſtud medium deflecti Poloniam ab Auſtria poſſe, quam alias vt amplectatur, eiuſque auxilia, rem multis modis Sueciae nociuam, amplius impetret, metuendum eſſet. Potiſſime haec in caſum Tractatuum Liuonicorum ſine fructu deſinentium conſiderandum venire; ſiquidem aut illorum rumpendorum, aut finito armiſtitio reaſſumtionis armorum metus oculis obſeruetur. Ideo iubetur Weydenhaynius, ne huius rei per diſcurſus negotiationem vllo modo omittat: dexterrime autem illud et ſecretiſſime, ac Dn. Mediatoris quidem opera, manuductione et cooperatione, nec ad aliquid obligatione. Quippe nec mandatum a Rege Legatio habeat, et incertum adhuc ſit, num quaeſtio An? in Suecia reſoluatur. Quare 1) Subdelegatus generaliter promiſſurus ſit, poſtquam Suae Excellentiae abſque mandato aliquid certi ſpondere non valeant, Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarium, ſimul atque ad Aulam Holmiae adpulerit, inter prima haec S. R. M. et Regni Regimini relaturum, ac deinde cauſſam iſtam ſerio tractatum iri. 2) Quo non tantum Poloniae ſubſequuturus euentus perſuadeatur, ſed etiam, quidnam illi ipſi intendant, intelligatur, explorandum eſſe, ſi eiuſmodi foedus offenſiuum ac defenſiuum ex vtraque parte complacuerit, et penitus concludatur, quibus tandem conditionibus fieri illud poſſe Poloni exiſtiment?** Inquirendum item eſſe de tempore, modo agendi, et quis fructus inde, aut quae recompenſa Sueciae ſit futura? item qualia exercitui alendo Suecico media a Rege Regnoque ac Republica Poloniae praeſtarentur? 3) Hinc demonſtrandum fore, Polonos rationari non

* De iis vid. KOCHOVIVS Annal. Climact. II. pag. 437 ſqq.

** At enim foederis iſtius leges Poloni Suecis diu ante ſcripto exhibuerant: de quo ad PASTORII Diarium, p. 231. n. ** quaedam dixi. Formula ipſa legi poteſt primum a me edita, in Actis Publ. Pacific. No. LIX. p. 145.

*** Recuperata ſunt non armis, verum Pace demum Cardenſi, quamquam aegre ab

non oportere, quaſi ſi aeque interſit Sueciae ac Polonorum confoederationis talis modi. Quippe rationis in promtu diſparitas dictet, quod occupatis a Moſco paucis in Liuonia locis Suecicis, e contra ademta Polonis tota Lithuania, per Pacem facile reſtitui, aut armis recuperare Sueci illa ablata poſſint.[°°°] Vbi vero cum Polonia ſemel foedus iceretur, S. R. M. et Coronae tunc liberas manus non eſſe, quando et quomodo libet, pacem cum Magno Duce Moſcouiae concludendi. 4) Hoc omne Weydenhaynium, vt iam ſupra dictum, dextre, caute et ſecretiſſime, ne vel minimum reſciat Auſtria, tractare, nec vlli, praeter Dn. Mediatorem, et ambos Dnn. Poloniae et M. D. Lithuaniae ſupremos Cancellarios, communicare debere; niſi forte Regina poſtularet, et Subdelegatum ad aliquem, cui confidat, remitteret. Copiam autem faciendam nemini, nec Originale alicui oſtendendum; ac propterea non niſi per diſcurſus proponenda haec eſſe. Datum eſt hocce Memoriale Sobothi, die $\frac{21}{11}$ Maii MDCLX. et videri verbotenus poteſt, apud Acta reliqua.[°°°°] Litterae ad Dn. Comitem a Leſzno Leſzinski tales ſunt: —

"Quandoquidem, per adſpirantis Diuini Numinis auxilium concluſa iam Pace perpetua inter Sereniſſ. Reges et Regna Sueciae et Poloniae, maxime neceſſarium ſit, vt eius ratificatio in tempore et loco, ſecundum conditiones et conuentam Formulam, ab omni parte legitime fiat, paxque ipſa exequutioni detur, et redintegrata illa amicitia, inter vicinos Reges et Populos, firmiter ſtabiliatur, ac ſincere colatur: ideo Generoſum Dn. Ioannem a Weydenhayn, S. R. M. Sueciae Conſiliarium Aulicum, ad Conuocationem praeſentem Varſauiam ablegauimus, quem ſuper iis, quae dictam exequutionem concernentia, atque a Pace dependentia, explicanda ſunt, informauimus; proindeque Excellentiam Veſtram, quo plenam praefato Dn. Conſiliario Aulico fidem tribuere velit, rogamus. Praeprimis autem ille ſupra memora-

 tae

ab Moſcis conceſſa. Vid. PVFENDORFIVS Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VII. §. 30. itemque Inſtr. Pac. in THEATR. EVROP. T. IX. p. 364.

°°°° Nobis ſuffecerint, quae inde ab Diarii huius Auctore ſunt commemorata. Nam exemplum ipſum ad me non peruenit.

tae ratificationis effectum, atque vt ſecundum tenorem Art. XXXIV. Inſtrumenti Pacis, inſertio pactorum conuentorum fiat, et illa Volumini Legum, Conſtitutionumque Regni inſerantur, vrgebit. Quapropter nos Excellentiam Veſtram, quo ad id auctoritatem ſuam contribuere velit, rogamus, vt omnia, quae adhuc ad plenariam Pacis praefatae adimpletionem deſiderari poſſunt, efficiantur, nec circa ratificationem atque inſertionem iſtam, aliqua mora aut impedimentum exoriatur. Quum ſciremus Excellentiam Veſtram totum Tractatuum negotium ſingulari fauore proſequutam, confidentia nobis calcar addidit, Eamdem, vt in illo ardore continuet, confirmandi. Hiſce Excellentiam Veſtram Diuinae tuitioni commendamus. Dat. Sobothi d. $\frac{29}{19}$ Maii MDCLX.“ —

Ad Dn. Regni Poloniae ſupremum Cancellarium Praſzmowski, cui praedicatum Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Dni, ſicuti reliquis Legatis omnium partium paciſcentium, per omne tempus Tractatuum, inuicem tribui conſueuit, quoque datur, in hunc tenorem ſcribitur. “Quum ad inſtantem Conuocationem Varſauiae non neminem, qui negotia quaedem a pace, per Dei gratiam nuperrime concluſa, dependentia, S. R. M. Sueciae, Dn. noſtri Clementiſſimi nomine tractet, praeſertim vt ratificatio pactorum tempore, loco et modo conuentis fiat, mentionem faciat, ablegare neceſſum duxerint Dnn. Legati Suecici, eaque de re Generoſum Dn. Io. a Weydenhayn, Alte Memoratae S. R. M. Aulae Conſiliarum, informauerint, atque vt munus hoc in ſe recipiat, in mandatis ipſi dederint: ideo apud Excellentiam Suam, cuius maturus ex loco Oliuenſi abitus ſe inuicem viſendi facultatem praeripuerit, eidem ſternere viam hiſce confidere Legatos, perofficioſe rogantes, quo praefato Dn. Conſiliario a Weydenhayn plenam fidem dare, nec tantum apud S. R. M. Poloniae officium, ſed etiam apud Dnn. Reip. Delegatos auctoritatem ſuam interponere velit, vt omnia rite conficiantur, neque permutationi futurae remora vel impedimentum aliquod obiiciatur. Suo Legationem Suecicam loco, vt S. R. M. Sueciae Ratificatio in tempore adſit, reliquaque omnia, prout concluſa ſunt, effectu et exequutione potiantur, operam ſedulam daturam; in

Digitized by Google

in particulari vero nullam intermiſſuram eſſe occaſionem mutuae, cum Excellentia Sua colendae, amicitiae inſeruiendi." Datae Sobothi, d. $\frac{29}{19}$ Maii MDCLX. ſunt iſtae litterae, quae conſuetis curialibus, et officiorum paratiſſimorum promiſſione finiuntur. Epiſtolae ad Dn. Pacium, M. D. Lithuaniae ſupremum Cancellarium, haec contenta ſunt, dataque illa eſt Sobothi, d. $\frac{18}{28}$ Maii, et iiſdem incipit praedicatis: deſinit, ſicuti praecedentes: "Concluſa iam, auxiliante Diuino Numine, inter conſanguineos Reges vicinaque Regna, pace, vt eius exequutio iuſto quoque modo fiat, tantum reſtare. Quum igitur ante omnia opera danda ſit, vt ratificatio ab vtraque parte, tempore, loco et ratione fiat, ſecundum quae conuentum eſt: idcirco Generoſum Dn. Ioannem a Weydenhayn, S. R. M. Sueciae Conſiliarium Aulae, ad inſtantem Conuocationem Varſauiam ablegare neceſſe duxiſſe Legationem Suecicam, qui id a parte noſtra obſeruatum iri Illuſtriſſ. Dnn. Legatorum Polonicorum Excellentias confirmaturus, nec non dictae ratificationis negotium a parte Poloniae vrſurus ſit, alia etiam nonnulla, quae a praefata Pace proſiliant, neque inacceptabilia eſſe ſperent Dnn. Legati Suecici, additurus. Ideoque Excellentiam Eius, quo praefato Dn. Conſiliario plenam fidem tribuere velit, rogari, confiſis non minus Eamdem optato fini operam laturam, qua totum pacis negotium fuerit proſequuta. Finiunt ciuilitate ſolita, ad ſuae amicitiae promptiſſimae officia, Eius Excellentiae quauis data occaſione praeſtanda, ſe obſtringentes." Ad Dn. Legatum de Lumbres d. $\frac{31}{21}$ Maii ſcriptas litteras, quae fidem Subdelegato ſimul faciebant, (vti eius diei Protocollum habet,) ſecum non accepit offerendas Weydenhaynius, qui ſatis Dn. de Lumbres notus eſt: ſed illae, dum alia quoque continent, et is ob pecuniae pro via defectum, adhuc commorari Sobotho cogitur, miſſae ſunt per poſtam ordinariam.

Actum Sobothi d. $\frac{\text{25 Maii}}{\text{4 Iunii}}$ ante meridiem.

Circumſpicientibus abitum Ill. atque Excell. Dnn. Legatis, qui Secretarii Legationis munere, tam in Pomerania et Pruſſia, quam in loco Tractatuum iſtorum, functus eſſet, *Godofredus von Schroeer* commen-

mendatitias ad S. R. M. petiit; et ſicuti perſonam ſuam tunc in Pomerania, exhibitis S. R. M. Caroli Guſtaui glorioſiſſimae et immortalis memoriae Regis litteris, decenter legitimaſſet, ita iam, finita Legatione, gratioſam impetrare dimiſſionem debuit. Commendatur a Suis Excellentiis, velut deſiderauit, optime, et cum Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurario, vna cum Actis Legationis Holmiam ire iubetur. Cui mandato ille obedientiam humillime praeſtabit.

Actum Sobothi d. $\frac{25 \text{ Maii}}{4 \text{ Iunii}}$ *poſt meridiem.*

Poſt multas ſollicitudines Stanislai Lubieniecki*, pro Vnitariis, qui hactenus per totum Tractatuum tempus, tam in Pomerania, quam Elbingae (vnde per Saluum Conductum Suarum Excellentiarum, Dnn. Legatorum noſtrorum, ſub nomine Aulici, ad Legationem Suecicam pertinentis, ad nos peruenerat,) et Sobothi, ac tandem Oliuae quoque, vt Paci includerentur, negotium geſſerat, praememorati Illuſtr. atque Excell. Dnn. Legati ſubſcribunt Declarationem ad §. 2. Art. II. Inſtrumenti Pacis, pro Diſſidentibus a Religione Romano-Catholica in Polonia: quae ipſi quidem perlegenda communicabitur, Secretario autem Legationis mandatur, ne extradat, antequam euacuationes omnium in Pomerania, Megapoli et Holſatia Ducali Sleſuicenſi factae fuiſſent. Data autem eſt Declaratio d. $\frac{21}{31}$ Maii MDCLX.**

Actum Sobothi d. $\frac{26 \text{ Maii.}}{5 \text{ Iunii.}}$

Dn. Legatus Gyldenklau hinc abiit terreſtri itinere per Caſſubiam, Pomerelliam et Pomeraniam Orientalem, Sedinum; vnde animus fuit, deinde Stralſundam pergendi ad Illuſtriſſ. Dn. Regni Admiralium Comitem Wrangelium, cumque illo de praeparatoriis euacuationis locorum colloquendi. Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius, Caput Legatio-

* De eo videſis a nobis dicta, ad PASTORII Diarium, p. 254. D.*

** Formulam ipſam, cuius exemplum in hoc Diario legebatur, nos non addimus, vtpote iam ſupra deſcriptam, in Actis Publ. Pacific. No. LXVI. p. 182.

Digitized by Google

gationis, ad iter marinum triduo, vel quatriduo adeundum ſe praeparauit; iamque nauis Hollandica Eius Excellentiam in ſtatione ad Sobothum exſpectabat. Dn. Comes Oxenſtierna, qui tamen ſub veſpera huius diei graui morbo laborare coepit, faciendum paucos poſt dies iter terreſtre vel maritimum Stralſundam primum, deinde in Sueciam meditabatur. Dn. Comes Schlippenbachius aulam et familiam ſuam transferendi Dantiſcum, vſque ad tempus permutationis Inſtrumenti Pacis, conſilium coepit; quippe vltima declaratio Legationis Polonicae ſuper loco Tractatuum Legationi Suecicae poſt finitos vel abruptos Tractatus, duas tantum ſeptimanas conceſſerat, intra quas omne praeſidium deducere, et loca in manus poſſeſſorum reſtituere tenerentur. Cancellaria Legationis quoque diſſoluta eſt, et Regiſtrator Cancelliſtaeque, praeter duos Copiſtas, quos Holmiam ſecum adhuc duxit Secretarius, per litteras ſollemnes tuti itineris, quae etiam commendationem continebant, a Suis Excellentiis ſubſcriptas dimiſſi ſunt. Atque ſic finis fere impoſitus eſt hactenus actae Legationi.

Actum Dantiſci d. $\frac{\text{28 Maii.}}{\text{7 Iunii.}}$

Nudius tertius ab Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurario Secretarius Legationis licentiam petierat exſpatiandi Gedanum, iuſto tempore, antequam Sua Excellentia conſcenſurus eſſet nauem, Sobothum rediturus. Factus igitur de eius Dantiſci praeſentia certior Secretarius Legationis Brandeburgicus, ſalutatum ad ipſum miſit Amanuenſem ſuum, notificans, ſe, quod adhuc reſtabat extradendum Legationi Suecicae, Procuratorium nouiſſimum accepiſſe, illudque ſibi hic in vrbe ad manus eſſe, roganti, vt Secretario Suecico horam et locum conueniendi nominare libeat; ſiquidem ad extradendum eſſet paratus. Hic ſalutationem officioſam remiſit, gratiſſimumque ſibi accidere, Plenipotentiam Electoralem hactenus deſideratam, quo extradi poſſit, adeſſe: horam et locum relinquere ſe voluntati Dn. Secretarii; ſi tamen complaceat, nec illi moleſtum ſit, exſpectaturum ſe ad horam ſecundam, (erat enim poſt meridiem,) in ſuo diuerſorio, reditumque ſuum Sobothum, adhuc per horae vnius vel alterius ſpatium dilaturum. Poſt

horae quadrantis ſpatium Suecicus ad modo memoratum Secretarium Brandeburgicum miſit ſuum Amanuenſem, qui de bona valetudine gratularetur, illiuſque animum ſuper extraditione perciperet. Is redux retulit, illum tempore a Secretario Suecico nominato in eiuſdem hoſpitio adfuturum. Id quod factum, et ſic diploma hoc Plenipotentiae, quod datum eſt d. $\frac{1}{8}$ Mart. MDCLX. et apud Acta Legationis huius in Cancellaria Regia Holmenſi, No. 58. originaliter adſeruatur,* Secretarius noſter accepit, et ſecum hodie Sobothum ferens, mox Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurario, Comiti Oxenſtierna, et Schlippenbachio (abierat iam in Pomeraniam Dn. Legatus Gyldenklauius) monſtrauit, iuſſuque praefati Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarii ad Acta recondidit. In iſto Procuratorio nihil deſiderari videtur, niſi quod Elector non exprimit Imperatorem, ſed Regem Poloniae tantum nominans, ſe, alioſque eiuſdem Confoederatos, ponit. Tali data occaſione Damiſci, non intermiſit percontari noſter Secretarius, num pergameneum pro nobis exemplar authenticum Electoralium Dnn. Legatorum, ex promiſſo d. $\frac{7}{17}$ Maii facto, paratum eſſet; ſed reſponſum, quod non, a Secretario Brandeburgico recepit. Itaque iſtam communicationem vſque ad tempus permutationis ratificationum differri oportuit.

Actum Sobothi d. $\frac{29\ \text{Maii}}{8\ \text{Iunii}}$ *mane.*

Illuſtriſſimus atque Excellentiſſ. Dn. Legatus de Lumbres ad Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatos noſtros d. 29 Maii, ſt. n. ſcripſit Varſauia. Conſilium, quod inſtitutum fuerit, de modo bellum contra Moſcos gerendi, necdum fuiſſe abſolutum, exſpectatis Dn. Magno Mareſchallo, qui tunc nudius tertius aduenerit, et Dn. Palatino Vilnenſi, qui eodem, quo dedit litteras haſce Dn. de Lumbres, vrbem intraſſet. Poloniae mentem eamdem eſſe, quae expoſita Legationi Suecicae fuerit Oliuae, quoad foedus defenſiuum cum Suecia ineundum, anxieque praeſtolari illam, quae Stockholmia mandata ventura ſint.

* Id ipſum, ex editione Inſtrumenti Pacis Regiomontana, repetitum a me fuit in Actis Publicis Pacific. No. LIV. pag. 138.

Digitized by Google

ſint. Quoſdam ex Commiſſariis deputatis ad Tractatus Oliuenſis ratihabitionem fuiſſe iam tum Varſauiae, ceteris die condicta adfuturis. Quum locus inter Elbingam et Mariaeburgum, ad ratificationum commutationem deſtinatus, parum commodus ſit, periculum eſſe, ne ſaepius ab vna vrbe in aliam ſit excurrendum, ſi tantillus in diplomatibus defectus reperiatur: ſi placeret Illuſtriſſimis noſtris, commutationem illam fieri Gedani vel Oliuae, facile Legationem Polonicam conſenſuram. Gratum fuiſſe Aulae Polonicae Mariaeburgi reſtitutionis nuncium, et ſuſpiciones, quae ſubortae fuiſſent, penitus deleuiſſe. Hiſce litteris incluſus quoque fuit faſciculus ad Dnn. Legatos Suecicos directus, Hamburgo ad Dn. de Lumbres tranſmiſſus. Quibus Illuſtriſſimi noſtri reſponderunt: "Sibi adpuliſſe heri Varſauia Excellentiae Suae litteras, d. 29 Maii ſt. n. conſignatas, cum faſciculo litterarum ad ſe, Legatos Suecicos pertinentium, Hamburgo miſſarum, gratias agentibus, et pro iſto officio, et pro communicatis ab Excellentia Sua. Quod foedus contra Moſcouiam adtineat, Dn. Conſiliarium a Weydenhayn ad ſuum Varſauiae paucis abhinc diebus aduentum explicaturum. Libenter percipere Legationem Suecicam, quoſdam ex Commiſſariis deputatis ad Tractatus Oliuenſis ratihabitionem iam ibi in vrbe eſſe, et ceteros die condicta adfuturos. De loco permutationis ratihabitionum facile conſenſu partium conueniri poſſe, modo illae rite et in tempore confectae fuerint. Aulae gratum fuiſſe reſtitutae Mariaeburgi nuncium, ſicuti lubenti animo intellexiſſent; ita Dn. Legatum Mediatorem credere velle, et ea, quae de ſpoliatione arcis illius delata ſint, falſa eſſe, adfirmante Dn. Bilouio et reliquis Officialibus omnibus, ne minimam quidem rem milites noſtros abſtuliſſe. Haec ad Excellentiae Eius litteras a nobis reſpondenda fuiſſe, coactis ad grauamina nonnulla noua nos conuertere, quae certi confidamus Aulae non placitura; ſi pax, quod nemini vocetur in dubium, cordi ſit, remedium illam habituram eſſe. Nempe primo poſtulari teloneum ex frugibus, pro militia Suecica coemtis: deinde iiſdem frugibus interdici ex vrbe Dantiſcana euehi: tertio Dnum a Grothauſen minari, tranſitum militiae, ſi terreſtri itinere abduci debeat, ſe negare velle: ac denique praeſidii Strasburgenſis gregarium militem cum tormentis, ex Articu-

 lo

lo deſuper conuento, licet iam tempus condictum praeterlapſum ſit, nondum reſtitutum eſſe, Dnn. Legatos Suecicos conqueri. Quae quum partim praemeditatam ruinam dictae militiae prae ſe ferant, partim expreſſe Inſtrumento Pacis contrarientur, facile ſuſpicionum cauſſas creare poſſent. Ideoque apud Excellentiam Suam praememoratum Dn. Conſiliarium Weydenhaynium negotium hoc vberius explicaturum, et remedium tempeſtiuum quaeſiturum. Cui vt Excellentiſſimus Dn. Legatus operam ſuam adcommodare velit, perofficioſe rogant Illuſtriſſimi Noſtri. Datae Sobothi die 29 Maii/8 Iunii An. MDCLX. ſunt hae litterae, poſtquam abiiſſet iam in Pomeraniam Dn. Legatus Gyldenklauius.

Actum Sobothi d. 29 Maii/8 Iunii ipſo meridie.

Aduenerunt Sobothum litterae S. R. M. Caroli, pro Dn. Comite a Waldeck, die V Maii datae, quas Aulicus Dnn. Comitis, per Expreſſum miſſus, concernentes ſuam Domuſque ſuae ſecuritatem contra Auocatoria Electoralia, deinde reſtitutionem beneficiorum ipſi ablatorum.* Quum autem iam III Maii, ſt. n. pax concluſa fuerit, nihil hac in re ſpeciatim fieri potuit; fruituro nihilominus Dn. Comite §pho 5. *Nemini quoque* etc. Art. XXIV. Inſtrumenti Pacis Suecico-Polonicae An. MDCLX.

Actum Sobothi d. 29 Maii/8 Iunii poſt meridiem.

Huc vſque per aliquot dies ſecunda vice Dn. a Weydenhayn cum Magiſtratu Gedanenſi, et poſtea nonnullis ciuibus mercatoribus, ſuper

* Georgius Fridericus Waldeccae Comes, antea Electori Brandeburgico vehementer carus, fidem dexteritatemque ipſo bello Sueco-Polonico multis magniſque in rebus probauerat. Vid. PVFENDORFIVS Rer. Brandeb. Lib. V. §. 11. et §§ 42-48. item Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VI. §. 19. p. 152 ſq. Poſthaec addictior Suecis, ab Electore bonis quibuſdam ſuis priuatus eſt, anno iſtius ſeculi quinquageſimo octauo. Quorum reſtitutio aegre tandem impetrata eſt, etiam Suecis aliquamdiu eam fruſtra ſollicitantibus. Ait PVFENDORFIVS Rer. Brand. Lib. IX. §. 32. p. 570. *Inprimis Georgium Fridericum Waldeccae Comi-*

Digitized by Google

ſuper mutuo tractauerat, ſed tandem re infecta redire coactus eſt. Recredentiales Senatus Dantiſcani, de dato xx Maii, ſt. n. quum primum a Suis Excellentiis Dnn. Legatis noſtris iam nominatus Weydenhaynius illuc miſſus eſſet, ſunt officioſae, ac licet adpenſa nonnulla arrogantia, humanitatis plenae, ſed in receſſu nihil, niſi negatiuam habentes. Se iam dudum haud poſtremis in votis ſuis habuiſſe profitentur, vt Deus miſericors demum ea ſibi largiri dignaretur tempora, quibus, ſublatis inter vnius eiuſdemque Eccleſiae Chriſtianae membra, vicinaſque antehac multis ab annis omne genus gratiſſimae conuerſationis operibus deuinctas gentes, penitus praeter fatorum voluntatem, aſperitate quadam nuper ſubortis contentionibus, ad illa priſtina conteſtanda mutua gratae humanitatis et beneuolentiae officia redire liceret, eoque ſincero animi propoſito, Diuina clementia bello nunc ſopito, acceptiſſimam quidem ſibi fuiſſe primam quamque occaſionem huiuſmodi deſiderium explendi, modo requiſita rei praeſtatio intra virium ſuarum ambitum conſiſteret. Referunt ſe ad Weydenhaynium, cui ſtatus ſui praeſentis, inprimis illo in opere fideiuſſionis, excuſabilis omnino, vt arbitrentur, pluribus expoſita fuerit conditio. Cuius vt Illuſtriſſimis Suis Excellentiis, pro ſua eximia prudentia et aequanimitate, benignam rationem habere libeat, qua deceat obſeruantia, maiorem in modum ſe rogare. Si quid aliud officiis ſuis conueniens, nec impoſſibile ſuis facultatibus, ad ſtudiorum ſuorum atteſtandam promtitudinem conferre potuerint, quod gratum Suis Excellentiis futurum ſit, paratos ſe Illas cenſuras, ſuaeque conſeruandae gratiae obſeruantiſſimos cultores.— Decernuntur hodie ad Dnn. Legatos Polonicos litterae: item adhuc aliud Memoriale pro Dn. Weydenhayn: de quibus videatur Protocollum craſtinum.

Comitem commendabant, vt in ſua beneficia reſtituatur. Nam Elector iſti Praepoſituram Halberſtadienſem, et Commendam Lagoam, vi Edicti Auocatorii ademerat; quam ipſi per amneſtiam pace (Oliuenſi) *ſancitam reſtitui debere Sueci cenſebant. Vnde eſt ſequenti anno inter eum Comitem et Baronem Loebium, in quem ea Commenda collata fuerat, tranſactum, vt Waldeccenſis filio ſpes eiuſdem firmaretur. Quam tamen ipſe Waldeccius poſt Loebii mortem iterum recipiebat, poſtquam Electori velut Patrono Ordinis cauiſſet, ſe nihil recta aut obliqua ratione contra Electorem, eiuſque Domus emolumenta facturum; quod alias iſte Comes Electori nullo vinculo obſtrictus eſſet.*

Actum Sobothi d. $\frac{30\ \text{Maii}}{9\ \text{Iunii}}$ *ante meridiem.*

Quum notificaſſet Illuſtriſſ. Dnn. Legatis noſtris Dn. Campi Mareſchalli Locumtenens *von der Linde*, necdum factam eſſe plenariam reſtitutionem praeſidii Strasburgici, (cuius in Protocollis hiſce fit ſaepiſſime mentio) neceſſarium duxerunt Suae Excellentiae, ſerio per Conſiliarium Aulicum Weydenhayn iſtud negotium inter alia Varſauiae vrgere: ea de cauſſa heri quoque ſcripſerunt ad Dn. Legatum Mediatorem Gallicum, et hodie litteras dederunt ad Dnn. Legatos Polonicos in hunc ſenſum. Poſtquam Caeleſti fauente Numine Commiſſio vtrimque Legatorum Plenipotentiariorum finem felicem nacta ſit, minus ſperaſſe Legatos Suecicos, occaſionem ſibi orituram querelis aliquibus Legationem Polonicam compellandi. Quia vero, vt ea taceant, quae ad Dn. Mediatorem perſcripſerint, et modo memoratus Weydenhaynius vberius explicaturus ſit, praeterire ſilentio nequeant, quod, licet per Articulum ſubſcriptum conuentum ſit, vt praeſidii Strasburgici, vna cum tormentis adhuc detentis, condicto tempore plenaria fieret reſtitutio, illud tamen huc vſque non efficiatur: ideo ſe eorundem Excellentias peramice atque officioſe rogare, quo, aequitate huius rei conſiderata, apud S. R. M. Poloniae ſuam dent operam, vt ſine vlteriori mora, quidquid praefati militis praeſidiarii reſtet, cum tormentis et vexillis, reſtituatur. Veluti hoc Paci et redintegratae nouaeque amicitiae conſentaneum ſit, ita ſeſe confidere in Suis Excellentiis, Eaſdem, quantum ad effectum iſtius petiti deſideretur, non intermiſſuras. Quam ſub hodierno quoque dato epiſtolam Illuſtriſſ. Dnn. Comites de la Gardie, Oxenſtierna et Schlippenbach, profecto iam Dn. Legato Gyldenklauio, hodie ſubſcripſerunt. Aliud adhuc Memoriale, pro Dn. a Weydenhayn, cuius heſternum Protocollum mentionem facit, mandat: 1) vt in Aula Polonica dilucide deducat, et vere ſenſibiliter, potiſſime apud Dn. Mediatorem, conqueratur, quod non ſolum Poloni teloneum et vectigal de frumento, pro militia Suecica emto, poſtulauerint, verum etiam illud, quod Dantiſci pro eadem comparatum eſt, ex vrbe auehendi difficultas moueatur; et deinde quod Generalis vigiliarum Praefectus a Grothauſen minas, ratio-

ratione tranſitus, ſpargere praeſumſerit. Qua de re, pro informatione Subdelegati, dantur Copiae litterarum inter Dn. Regni Senatorem et Campi Mareſchalli Locumtenentem *von der Linde*, dictumque a Grothauſen, commutatarum. 2) Vt conqueratur de nondum reſtituto, qui adhuc reſtat, milite praeſidii Strasburgici, vna cum interceptis tormentis et vexillis: eamque rem, elapſo iam reſtitutionis tempore, debito modo vrgeat. 3) Vt etiam, quum diuerſae conferantur querelae, quod Thorunii aduerſum nonnullos, qui parti Suecicae tempore belli adhaeſerunt, contra Inſtrumentum Pacis et Amneſtiae Articulum procedatur, vbi de certitudine eius rei ipſi conſtiterit, tum apud Dn. Mediatorem, tum apud Aulam bonis modis conqueratur. Datum eſt illud Memoriale Sobothi, d. $\frac{29 \text{ Maii}}{8 \text{ Iunii}}$ MDCLX. Videatur vna cum reliquis, ad expeditionem hanc Weydenhaynii pertinentibus, apud Acta Legationis ſub No. 113. in Cancellaria Aulae Holmienſi.

Actum Sobothi $\frac{30 \text{ Maii}}{9 \text{ Iunii}}$ poſt meridiem.

Secretarius Legationis Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Comiti Schlippenbachio tria Authentica Inſtrumenti Pacis, a Suis Excellentiis in pergameno ſubſcripta, et adpenſis in capſulis eburneis artificioſe atrefactis ſigillis roborata, panno holoſerico nigro inuoluta, quae chordis et ligulis argenteis ornabuntur, diligentiſſimeque (vbi Suae Excellentiae monſtraſſet prius omnia,) irrotulata, et ſigillo Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarii, ſuoque conſerata, in conclaui eius ad domum in manus tradidit: qui apud ſe adſeruari illa vſque ad permutationem Ratificationis futuram, abſente in Suecia, quo craſtino cum Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurario abiturus erat, iam memorato noſtrae Legationis Secretario, in ſe recepit. Duo autem illa pro Dnn. Legatis Polonicis et Dn. Mediatore, nondum erant, niſi per Regiſtratorem noſtrum in Cancellaria Legationis Suecicae, auſcultata, ſed adhuc reuiſione, quae ad vſque commutationem eorum differenda fuit, indigebant. Quapropter id praefatus Secretarius per ſchedulam adiectam notauit, Dominoque Comiti decenter intimauit: qui id, ſi forte referandus eſſet

eſſet faſciculus panno rubro circumdatus, obſeruari debere promiſit.

Acta haec ſunt a d. $\frac{13}{23}$ Mart. vſque ad $\frac{30\ \text{Maii}}{9\ \text{Iunii}}$. MDCLX. et hic pars quarta Protocolli deſinit. Illuſtriſſ. autem atque Excell. Dn. Regni Theſaurarius hodie $\frac{31\ \text{Maii,}}{10\ \text{Iunii,}}$ qui dies ſecundum Calendarium Iulianum nobis eſt feſtus Adſcenſionis Dominicae, in ſtatione littoris Oliuenſis prope Sobothum, nauim Hollandicam mercenariam conſcendit: et eodem ſub veſperam inde ſoluimus, petentes curſu latus Curlandiae Oſiliaeque, incerti, quid rerum ageretur, quoad pacificationem in Dania, et ne forte incideremus in piratas, vel claſſem Danicam, metuentes.

PARS

Digitized by Google

PARS V
PROTOCOLLI SVECICI
EORVM
QVAE HOLMIAE ET IN PRVSSIA
ACTA SVNT
VSQVE
AD COMMVTATAS RATIFICATIONES

Actum in itinere Holmiam, a $\frac{31\ \text{Maii}}{10\ \text{Iunii}}$ *vſque ad* $\frac{6}{16}$ *Iunii.*

Die 31 Maii, ſt. Iuliano, ſub veſperam circa horam octauam Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus Dn. Regni Theſaurarius ex ſtatione, littori Sobothino ſeu Oliuenſi proxima, ſoluit. Nauis erat mercatoria Hollandica, *Zoſt von Chriſtina* vocata, duodecim tormentis ferreis armata; cui iungebantur ſtipatoriae duae noſtrae naues bellicae minores, altera *der Gryp*, altera *Saluator* dicta, et ſimul adfuit nauis oneraria, qua impedimenta vehebantur. Curſum direximus Curlandiam verſus, incerti, quid rerum ageretur in mari Balthico; et per noctem, fauente vento, nauigando peruenimus, vt hora ſexta matutina d. $\frac{1}{11}$ Iunii Promontorium *Präſterhöft* conſpectui noſtro obiiceretur, et circiter hora ſecunda pomerid. Libouia ſe nobis opponeret. Inde mari tranquillo, et naue *der Gryp* vix ſequente, d. $\frac{3}{13}$ Iunii ſub concione Dominica inter nonam et decimam, ante meridiem, Gothlandia demum emerſit, et flante melius Zephyro, circa quartam pomerid. Oſtrogardiam adtigimus. Nox ſequens totam Gothlandiae Inſulam abſoluit, atque hora ſeptima diei $\frac{4}{14}$ Iunii Farölundam nobis adtulit, ac ipſa meridies Gotſueſundam oſtendit. Eodem circa veſperam ad tria milliaria a Promontoriis Sueciae (*den Schären*) aberamus, quae etiam ante ſolis occaſum, circiter octauam, conſpici poterant.

Quum vero, ingruente nocte, periculoſum nautis videretur accedere propius, auerſis velis in altum tendebamus, ac vſque ad quartam matutinam diei ſequentis mare arauimus. Die $\frac{5}{15}$ Iunii ambae naues bellicae et oneraria ſupra memoratae adpulerunt ad Portum *Sandhampn*, eumque intrauerunt; nauis autem mercatoria, vſque ad meridiem, ob nimiam oſtii anguſtiam, et praefracta rupium laborare coacta eſt, donec et ipſa introiret. Illuſtriſſimus illico alteram ex nauibus minoribus conſcendit, et hora tertia matutina, d. $\frac{6}{16}$ Iunii, Holmiam incolumis rediit, dubium, an maiori laetitia ob concluſam pacem iſtam, quam Danica, cuius ratificatio iam erat ſub manu, velut expanſis brachiis exſpectauerat, Oliuenſem, an vero doloroſiore luctu propter mortem Glorioſiſſimi Regis Caroli Guſtaui, a S. R. M. Rege noſtro nouo, qui *Viuat!* Clementiſſimo, Sereniſſima Regina Matre, totoque Regni Senatu, Proceribus et Aula vniuerſa, exceptus.

Actum Holmiae, d. $\frac{7}{17}$ Iunii.

Vbi praefata Sua Excellentia de peracto Tractatuum, in Pruſſia, negotio coram Regina et Senatu retuliſſet, Secretarius Legationis huius Inſtrumentum Pacis, in tribus Originalibus, non quidem in pergameno, ſed in charta confectis, et a Legatis Polonicis, Caeſareis atque Electoralibus Brandeburgicis ſubſcriptum, adtulit; quae modo nominatus Illuſtriſſ. atque Excellentiſſimus Dn. Regni Theſaurarius de manu eius recepit, ac coram S. R. M. Regina, in Menſa Senatoria humillimo obſequio depoſuit: Sua Maieſtas introſpexit, ac deinde Ill. atque Excellentiſſ. Dn. Regni Drotzeto dedit; hic, verſis aliquot paginis, (tenor enim ex tranſmiſſis e Pruſſia Copiis iam innotuerat,) Senatoribus proxime adſidentibus diſtribuit; poſtea Secretario Regni Ehrenſtein, quo cuſtodiret, tradebantur.

Actum Holmiae d. $\frac{8}{18}$ Iunii, vſque ad $\frac{14}{24}$ eiuſdem.

Dum Ratificatio Danica expedienda, Senatuſque Regni dimittendis Legatis, Anglico Sydneo,* et Danico Hannibale *Seeſtedt*,** profecto

* Algernonus Sidneus, Legatus ad pacem inter Suecos ac Danos procurandam miſſus. Vid. PVFENDORFIVS Comment. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VI. §. 34.

** De eo vid. infra, ad d. $\frac{3}{13}$ Iul.

ſecto iam Nuncio Moſcouitico, occupatus eſſet; aliquot diebus negotium Polonicum fere ſiluit, ſuſcipiente nihilominus curam Camera Regni proſpiciendi de commeatu et pecunia militibus ex Pruſſia deducendis. Collegium item Admiralitatis de nauibus neceſſariis cogitare coepit. Quin et Secretario Status Regni Ehrenſtein, vt interea ingroſſandorum exemplarium ratificandorum initium fieret, mandatum eſt.

Actum Holmiae d. $\frac{15}{25}$ *Iunii.*

Ante aliquot dies huc venerat Principis Moldauiae Ablegatus, Ludouicus de Biala Bielski, qui inter alia inprimis obnixe petiit, vt priuilegia et iura caduca, ſuper bonis ac ſummis pecuniariis, quae apud Creditores habuerit, data a Rege Poloniae aliis, caſſarentur et annihilarentur: deinde punctus de bonis mobilibus, in Inſtrumento Pacis Oliuenſis exiſtens, explicaretur. In Polonia enim et ſummas pecuniarias, in bona hereditaria locatas, pro mobilibus haberi. Rogatu eius loquutus eſt Secretarius *von Schroeer* cum Illuſtr. Dn. Regni Theſaurario. Ad punctum amneſtiae remittendum hoc poſtulatum Sua Excellentia cenſuit, et iſtud, reſponſi loco, praefatus Secretarius Ablegato retulit. Qui quum adquieſcere, et illo ſe reddere contentum nollet, ſed S. R. M. cooperationem ad exequutionem poſtulati de bonis mobilibus et immobilibus peteret, ad Aulae Cancellarium et Secretarium Status remiſſus eſt.

Actum Holmiae d. $\frac{17}{27}$ *Iunii, vſque ad* $\frac{26\ \text{Iunii.}}{5\ \text{Iulii.}}$

Poſtquam hodie ratificatio Pacificationis Sueco-Danicae per Secretarium ablegata, et claſſis noſtra, quae hactenus bello illo in mari Balthico egerat, domum rediiſſet, omnibus modis laborari coeptum eſt, ne vlla commutandis iuſto tempore ratificationibus inter Polonos, Caeſarem et Electorem Brandeburgicum, deducendae item militiae ex Pruſſia et Curlandia, atque inde euacuandis locis in Pomerania, Megapoli et Holſatia, reliquiſque ab exequenda Pace Oliuenſi dependentibus, mora iniiceretur. Itaque ſedulo occupabantur et Cancellaria, et Admiralitatis Collegium, et Camera Regni, quo pararentur Authenti-

Digitized by Google

ca Inſtrumenti ratificandi, in pergameno conſcribenda, adeſſent naues, commeatus et pecunia neceſſaria, et quidquid amplius ad perficiendum tantae molis opus pertineret.

Actum Holmiae d. $\frac{25.}{5.}\frac{26.}{6.}\frac{27}{7}\frac{\text{Iunii.}}{\text{Iulii.}}$

Praeterlapſis iam a concluſa Pace duobus menſibus, vnus adhuc, triduo minus, reſtabat vſque ad Commutationis Ratificationum terminum. Maturanda propterea fuerunt omnia, et praeprimis Cancellaria fuit ſollicita, quo in ratificationis expeditione non eſſet mora, ſed in tempore Authentica ingroſſarentur, quo adhuc perlegendi, et, ſi quid in deſcribendo erratum fuiſſet, corrigendi ſupereſſet ſpatium. Subſcriptum proinde eſt Inſtrumentum Pacis a S. R. M. ratificatum in quatuor Originalibus: nempe, pro Rege et Republ. Poloniae; pro Imperatore; pro Electore Brandeburgico; et pro Gallia, tamquam Mediatore. Item ſupſcriptum eſt ratificationis Articuli de Elbinga ſeparati Originale vnicum. —

Siquidem autem facile error ſcribentium committi poteſt, ideo non tantum in Cancellaria Regia collata inuicem ſunt Originalia, verum etiam Secretarius huius Legationis, antequam plene ipſi traderentur, illa inſpexit, et errata ſequentia, quae deinde ipſo praeſente ab iiſdem, qui ingroſſauerant, Cancelliſtis correcta ſunt, deprehendit: In Originali pro Polonis: — p. 3. in titulo Morſtinii omiſſum fuit *Dn.* Art. v i. lin. 2. *aut* pro *ac* poſitum fuit. Art. v i i. §. 3. *ſicuti*, pro *ſi cui.* Art. x v i i i. voce vltima, *immunita* pro *immunia.* Art. x x i i. §. 1. *vello illo* pro *vel illo.* In Epilogo defuit *Etiamnum.* — In Plenipotentia S. R. M. Caroli defuit in principio lin. 4. *conuenienter ſopiendo.* — In Originali pro Caeſare: — In ipſa Ratificatione, in noſtro Originali pro Imperatore, totus titulus S. R. M. expreſſus fuit. Quum autem Caeſarem tribus etceterationibus, poſt *Archiducem Auſtriae*, velut conuenta Oliuae Formula ratificandi, tam Suecica quam Caeſarea, id praeſcribit, vſurum non dubitaretur, (abbreuiatum autem eſſe titulum Imperatoris in Ratificatione, adparebit ex ipſo Originali ratificati Inſtrumenti Pacis, in Cancellaria Regia Holmienſi,) ac proinde, ſi hic S. R. M. Domini noſtri Clementiſſ. maneret titulus integer, verendum eſſet,

Digitized by Google

ſet, ne anſa hinc remorandi permutationem praeberetur, ac multum incommodi quoad reſtitutionem locorum ſecum traheret, conſultius iudicarunt, vt titulus praefatae S. R. M. poſt verba: *Magnus Dux Finlandiae*, abbreuiaretur. Quod factum eſt. (Notetur autem, quod in illo Originali, quod pro Electorali extradetur, tam in prooemio, quam ipſa ratificatione, totus vtrobique ponatur titulus, idque ex conuentu Oliuenſi. Et idem fit in illo Originali, quod dabitur Galliae.) — In illo pro Electore, Art. I. §. I. lin. vlt. exſtitit *intra vel extra Imperium*, pro *in vel extra* etc. Art. XXII. §. I. *nec non etiam quoad bona mobilia*, defuit. Art. XXVI. lin. 4. a fine, in verbis, *Suae Serenitatis* etc. defuit *Electoralis*. Pro Gallia: pag. I. exſtitit *deſolutione* pro *deſolatione*. p. 2. *Dni Magnus Gabriel* etc. pro *Dnus*. Ibid. *Cancallarius*, pro *Cancellarius*. pag. 3. *Gertero*, pro *Gerberow*. Art. II. §. 5. *exceptorum*, pro *perceptorum*. Art. IV. §. I. *exſoluant*, pro *exſoluunt*. Art. V. §. I. in verbis, *Pars Liuoniae, eaque Auſtralis*, defuit *eaque*. Ibid. *ſubditione*; exſtitit pro *ſub ditione*. Ibid. in periodo: *Quum vero Magnus Dux Moſcouiae* etc. aliquot lineae defuerunt. Art. VII. §. 2. *iniuria*, pro *iniuriam* exſtitit. Art. X. lin. I. *Ratificationes*, pro *Recognitiones*. Art. XVI. *aut*, pro *autem*. Art. XXII. §. I. omiſſa ſunt verba: *nec non etiam quoad bona mobilia*. Ibid. §. 2. exſtitit *incluſis*, pro *incluſus*. Art. XXV. *potuerunt*, pro *potuerint*. Art. XXXII. §. 2. *inſeſſe*, pro *inſeſſae*: et talia paruula alia. In Epilogo omiſſa fuit particula, *Etiamnum*. Praeterea quoque notandum eſt, quod, quum Oliuae conuenta Ratificationis Formula nondum nominet guarantes, ſed hiſce tantum verbis eos innuat: "*Ideo Nos N. N. inuitamus et nominamus*: illius Originalia iam ipſos exprimit: "Ideo Nos in Pactis alte memoratum Ser. et Potentiſſ. Galliae et Nauarrae Regem Chriſtianiſſimum inuitatum etiamnum hic repetimus; vt et S. R. Imperii omnes in vniuerſum Electores, Principes et Status amicos et foederatos noſtros pariter inuitamus et nominamus." Item Formula modo dicta ſic finit: "In quorum maiorem fidem ac certitudinem, haſce honoratiſſimae et cariſſimae Matris noſtrae et Regni noſtri Adminiſtratorum manibus ſubſcriptas, ſigilloque Regni noſtri corroboratas, extradi iuſſimus. Dabantur." Iam vero Originalia ſic habent: "In quorum maiorem fidem ac certitudinem, haſce ſigillo Regni noſtri maiori corroboratas, ac honoratiſſimae et cariſſimae Matris noſtrae Regni-

Digitized by Google

Regnique noſtri Adminiſtratorum et Senatorum manibus ſubſcriptas, extradi iuſſimus. Dabantur Stockholmiae, die XIV. Iunii An. ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo.“

Actum Holmiae d. $\frac{20 \text{ Iunii.}}{10 \text{ Iulii.}}$

Quia, vt modo ſupra in Protocollo d. $\frac{25 \text{ Iunii}}{5 \text{ Iulii}}$ mentio facta eſt, mutandus erat in ipſa ratificatione titulus totus, ſeu prolixior in abbreuiatum; Formulam illam finalem iterum deſcribi, et Ratificationis Originale pro Imperatore denuo ſubſcribi a Sereniſſ. Regina et Illuſtriſſ. atque Excell. Dnn. Regni Adminiſtratoribus ac Senatoribus oportuit. Quod hodie fecerunt, relicto ſpatio pro Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Regni Theſaurario, qui tunc abſfuit Ekholmiae, et reditus Suae Excellentiae propediem exſpectabatur. (Quum vero Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius ante abitum Ratificationis, quem tempus vrſit, non rediiſſet, hoc Authenticum pro Imperatore, Eiuſdem Excellentia ſubſcribere ſecunda vice non potuit.) Eodem die XXX Iunii, Acta Legationis huius, per Secretarium illius, in Cancellariam Regiam Aulae data ſunt: quae Dn. Secretarius Regni Ehrenſtein, vna cum catalogo eorum, accepit omnia, exceptis paucis, quae adhuc opus fuerunt circa commutationis Ratificationis actum.

Actum Holmiae d. $\frac{13}{23}$ *Iulii.*

Incidentibus die Dominica atque Viſitationis Mariae Feſto, profecto Illuſtr. atque Excell. Dn. Scheringio Roſenhane, Cancellariae Regni Conſiliario, et nuper ex Danica Legatione reduce, nec dum redeunte Dn. Regni Theſaurario Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Comite Magno Gabriel de la Gardie, Secretarius *von Schroeer* expeditionem et dimiſſionem ſuam, ſiquidem ex hoc ipſo die computando, vſque ad terminum ratificationum permutandarum, octodecim tantum dies ſuperarent, exſpectare iuſſus erat. Is itaque hodie, ante meridiem, a Secretario Regni Ehrenſteinio in quatuor Originalibus ratificatum Inſtrumentum Pacis Oliuenſis, vna cum ratificati Articuli ſeparati, de Elbinga, Originali vnico, accepit. Supererat autem, vt eidem traderentur

tur

tur quoque Acta et Bibliotheca, quae vi Articuli IX. Inſtrumenti dictae Pacis reſtituenda veniunt; reſoluerenturque donatiua pro Dn. Legato de Lumbres, alteroque Miniſtro Gallico, Akakia. Quum vero Senatus Regni hodie non conueniret, dilata haec ſunt in craſtinum. Popoſcit quoque dictus Secretarius retraditionem Originalium Inſtrumenti Pacis, a Legatis Oliuae in charta ſubſcriptorum, Polonici et Electoralis, vt, quum ex conuentione in pergameno illa extraderentur, iſta chartacea reſtitui illis, et viciſſim noſtra nobis poſſent. Suecicum enim et Caeſareum iam Dantiſci pro pergameneis inuicem erant commutata. (Nemo autem aliquid, huius rei cauſſa, tempore commutationis Ratificationum mouit.) Sed dixit Dn. Ehrenſtein, mandatum eſſe, vt haec Authentica manerent in Cancellaria Regia Holmiae. Et ſi forte illi Legati retraditionem eorumdem vrgerent, reſponderi poſſe, quod ea ipſa in Pruſſiam remittere obliuioni traditum fuerit; reſtitutionem autem quouis tempore, modo pergamenea adſint, non negari.

Actum eodem, poſt meridiem.

Quum iam ante tres ſeptimanas ad Archiuarium Regni, Ericum Laurentii Runell, remiſſus eſſet Secretarius Legationis huius, *Godofredus von Schroeer,* vt ab illo Acta Poloniae, ex Art. IX. reſtituenda, reciperet, quo circa ratificationum permutationem ſimul retradi in Pruſſia poſſent: is ab illo, vt ſibi craſtino traderentur, quia nauis *Apollo,* ad tranſportandam Ratificationem deſtinata, iam ad Daleróôn moueret, poſtulauit; tum demum autem hoc reſponſi ab ipſo recepit, ſe nihil adhuc mandati a Dnn. Conſiliariis Cancellariae Regni hac de re habere; quum tamen trium iſtarum ſeptimanarum ſpatio in dies, parata eſſe omnia, praefatus Archiuarius dixerit. Igitur *von Schroeer* ad Illuſtr. atque Excell. Dn. Scheringium Roſenhane, Caſtellanum Holmienſem, et Cancellariae Regni Conſiliarium, qui redierat, ſe contulit, atque loquutum ſe cum Archiuario, a Sua Excellentia reſponſum tulit. De Bibliotheca Polonica quum interrogaret, ab Eadem reſponſum eſt, quod accerſitura ſit Bibliothecarium, vt, quod adſit, extraderetur.

Actum

Digitized by Google

Actum Holmiae d. $\frac{4}{14}$ Iulii.

Dn. Eduardus Ehrenſtein, Regni Secretarius, Godofr. *von Schroeer* ſuper nonnullis informauit, vt ſequitur: 1) Si forte moueretur dubium, quod in ſigillo Regni non exprimatur titulus S. R. M. totus, ſed tantum inueniantur in eo litterae C. R. S. et P. H. excuſandum id eſſe, quod in tam anguſto tempore nouum exſculpi ſigillum non potuerit: deinde acceptum quoque hoc idem iam eſſe a Polonis et Confoederatis in Plenipotentia nouiſſima. 2) Quod non omnes Regni Senatores ſubſcripſerint ratificationis authentica, conſtitutionem hanc eſſe Senatus, quod ſubſcribant praeſentes tantum: ideoque ſi vel in Originali pro Imperatore, quod hiſce diebus, nimirum xxx Iunii Calendarii veteris, ob tituli abbreuiationem denuo ſubſcriptum eſt, deſideraretur, quod Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarius, (ſi forte ante abitum ratificationis non rediret Sua Excellentia,) vna non ſubſcripſerit, dicendam eſſe cauſſam, ſiluram, in qua ſimul, vt in reliquis, prima vice manum ſuam praefatus Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Comes poſuit, monſtrari poſſe. 3) Etſi, in Formula Ratificationis Oliuae conuenta, mentio tantum fiat ſigilli Regni: anſam tamen quaerere potuiſſe Reip. Deputatos in Conuentu Varſauienſi, et petere, vt ſigilla quoque Senatorum Regni adponantur. (Nihil ratione primi et tertii moniti, circa commutationis actum vel a parte Polonica, vel Caeſarea, aut Electorali motum eſt: ſecundum autem deſiderauit Secretarius Caeſareus. Vid. infra Protocollum $\frac{1}{11}$ Auguſti, MDCLX.) Ad hoc, ſi praeter opinionem ac ſpem contingat, reſpondendum eſſe: 1. Quod aliter haud conuentum ſit Oliuae, quam vt ſigillo Regni fieret corroboratio. 2. Operoſam et apud nos inuſitatam fore tot Senatorum ſigillationem. 3. Sufficere ſigillum Regni, quod ſit inſtar omnium. 4. Obſeruatum eſſe hunc Aulae et Cancellariae Sueciae ſtilum, eumque iam in Plenipotentiis acceptum. 4) Articulum x. Inſtrumenti Pacis tantum quidem loqui de caſſatione obligationum et recognitionum a Duce Curlandiae etc. datarum; faſciculum tamen hic eſſe earum, quae inueniri adhuc potuerint: quem ſigillo S. R. M. occluſum praefato Secretario Legationis *von Schroeer* ſimul extradidit, eidemque intimauit, vt poſt meridiem adeſſet, vbi in Senatu reſoluere decretum ſit de do-

nariis

Digitized by Google

nariis pro Dn. Legato Mediatore, Dn. Akakia, Secretario Legationis Polonicae, et Secretario Gallico: Illuſtriſſimus enim Dn. Regni Theſaurarius Caeſareo et Electorali Brandeburgico, cuique trecentos Imperiales; et centum adhuc Imperiales Cancellariae Legationis Caeſareae, totidemque Electorali, iam Dantiſci per Secretarium ſaepe nominatum *von Schroeer*, nomine Legationis Regiae Suecicae, donauerat.

Actum eodem, poſt meridiem.

Circa quintam veſpertinam accerſitus eſt in Conclaue Senatorium Quaeſtor Regni, et decreta ſunt torques ſeu catena aurea bis mille Imperialium, S. R. M. Dni noſtri Clementiſſimi effigies in capſula, gemmis pretioſa, itidem duorum millium Imperialium, Dn. Legato Mediatori de Lumbres; item eiuſdem S. R. M. effigies in pyxide ſeu capſula, cum torque, Imperialibus mille conſtante, Dn. Akakiae; torques autem aureus ſexcentorum Imperialium Secretario Polonico; et trecentis Imperialibus conſtans torques Gallico Secretario: et praeterea cuique iſtorum effigies Regia ex auri maſſa fuſo. Quum autem nihil, praeter catenam, pro Dn. de Lumbres adhuc eſſet paratum, per Memoriale mandatum eſt Secretario *von Schoeer*, et Commiſſario Petro Berend, vt pretioſa illa Dantiſci conficerentur. Non fuit mora in Secretario, qui iam in pleno Senatu, abſente tamen Sereniſſima Regina, dimittebatur, accepto mandato de non remorando, aut vel momentum negligendo, vt, ſimul atque omnia ex Cancellaria et Archiuo accepiſſet, ac ipſi, dictoque Petro Berend a Quaeſtore Regni pecunia et aurum tradita fuiſſent, iter ingredi poſſet, (ſiquidem Capitaneo nauis bellicae, cui nomen *Apollo*, mandatum ſit, vt, fauente primo vento, ex promontorio Daleróón in mare ſolueret,) negotium hoc vrgendi apud Quaeſtorem, qui omnia, praeter effigiem Regis, parata eſſe dixit, promiſiſſeque pictorem exemplar alterum craſtino matutino. Hora ſexta, veſpertinis auditis precibus, a S. R. M. Rege et Sereniſſ. Regina matre dimittebatur Secretarius, et idem, quod a Senatu, ab eadem iubebatur. Iuſſus autem praeter ea, quae iam dicta ſunt, quoque fuit, ſalutare Dn. Comitem Schlippenbachium, Dn. Regni Senatorem et Campi Mareſchalli Locumtenentem *von der Linde*, item Dn.

Generalis Locumtenentem Bilouium, nec non ante omnes Dn. Legatum Chriſtianiſſimi Regis Mediatorem de Lumbres, ad quem etiam tranſmitterentur litterae Comiti a Schlippenbach, qui in optima forma eidem gratiae et clementiae S. R. M. certo humanitatis officia ſit probaturus. Poſt haec Sereniſſ. Regina Quaeſtori mandauit, vt mutuaret effigiem Regis alteram ex torque Hannibali a Seeſtet* deſtinato, et aliam pro illo pingi curaret, ne Pruſſicum negotium aliquo modo moram pateretur. Interea mandatum ex Cancellaria Aulae acceperat Archiuarius Regni, vt Acta Polonica, ſecundum Articulum IX. reſtituenda, extraderet. Quae quum eſſent duae tantum ciſtae, quamuis maiore magnitudine; tamen facile fuit creditu, quod plura deſideraturi ſint Poloni. Ideoque interrogauit *von Schroeer*, numquid eſſent plura? Cui reſpondit Archiuarius Ericus Laurentii, ſe plura non habere, nec de pluribus ipſi mandatum eſſe: ſe adhuc quaeſiturum ex Dnn. Conſiliariis Cancellariae.

Actum Holmiae d. $\frac{5}{15}$ Iulii.

Hora ſexta matutina Quaeſtor Regni reſpondit, alteram effigiem nondum confeciſſe pictorem; promiſiſſe tamen, paucas poſt horas. Hora octaua antemeridiana, Secretarius *von Schroeer* ab Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Comite Petro Brahe, Drotzeto Regni, dimiſſionem ſpecialem reportauit, dicente, quod, ſi faueret ventus, non exſpectandus eſſet Commiſſarius Petrus Berend, vtpote qui cum claſſe in Pruſſiam ſequi poſſet: de extradendis Actis Polonicis mandatum eſſe Archiuario. Igitur ad dictum Archiuarium ſe in arce recepit praefatus Secretarius, et ab illo, quod aliud mandatum, quam de ciſtis illis duabus et Originali decretae Coronationis Vladislai Regis, quae in

* Is quondam ſub Chriſtiano IV. Daniae Rege, cuius filiam ex Chriſtina Monckia genitam in matrimonium duxerat, Pro-Rex adminiſtrauerat Noruegiam. Per inſequens bellum captus a Suecis, gratiam ipſius Caroli Guſtaui tantam inierat, vt abſque illius conſilio tantus Rex magnae rei propemodum nihil tum ſuſciperet. Vid. Dni ab HOLLBERG Hiſt. Danic. T. III. pag. 311. Nec minus per iſta tempora gratus Carolo XI. omnique Aulae Suecicae fuit, quod pacem cum Danis Hafnienſem prudenti conſilio, (quippe erat vir rerum ciuilſum longe prudentiſſimus,) adiuuiſſet. De quo PVFENDORFIVS Comm. de rebus Caroli Guſta-

Digitized by Google

in Archiuo monſtrabat, non acceperit, reſponſum tulit. Ergo ſtatum fuit tempus hora ſecunda pomeridiana, quo Acta haec deportarentur in cymbam, quae vectura erat Secretarium vſque ad nauim, qua iturus erat Dantiſcum cum ratificatione Pacis. Originale Coronationis vero iam tum ſtatim accepit in pergameno ſcriptum, innumeris adpenſis ſigillis minoribus roboratum: eiuſque Copiam Archiuarius ſaepe memoratus in Archiuo Regni retinuit. Inde in Cancellaria Aulae Dn. Secretarius Regni Ehrenſteinius ſequentes litteras Secretario *von Schroeer* tradidit: 1) Notificatorias S. R. M. Caroli, ſuper morte Diui parentis Caroli Guſtaui glorioſiſſ. memoriae, et ſucceſſionis in Thronum S. R. M. Caroli, Dni noſtri Clementiſſimi, continentes quoque ſtudii mutui et reciproci pollicitationem, ad Regem Poloniae: 2) Et mutatis mutandis ad Reginam Poloniae: 3) Eiuſdem argumenti et tenoris mut. mut. ad Imperatorem: 4) Eiuſdem tenoris mut. mut. ad Electorem Brandeburgicum: 5) Gratulatorias de pace ad Regem Poloniae: 6) Item ad Reginam Poloniae: 7) Similiter ad Imperatorem: 8) In ſimili ad Electorem: 9) Eiuſdem argumenti Senatorum Regni Sueciae, ad Senatores Regni Poloniae: 10) Gratiarum Actorias S. R. M. ad Dn. Legatum Gallicum de Lumbres. Poſtea iterato itum eſt ad Quaeſtorem Regni, et percepto ex Admiralio Vggla, nauim *Apollinem* hoc matutino ex ſtatione Waxholmenſi ſoluiſſe verſus Daleróôn, ex hora in horam res vrſa eſt apud Quaeſtorem. De Bibliotheca Polonica nemo aliquid reſciuit, vel in Cancellaria Regia, vel in Archiuo: circa quartam pomeridianam tamen, vbi iam ciſtae illae duae Actorum Polonicorum ſupra memoratae fuiſſent in cymbam adportatae, quidam, qui Fyholmenium ſe nominauit, in platea occurrit Legationis Secretario *von Schroeer*, eumque de abitu interrogauit. Qui quum in procinctu ſe eſſe iamiam cymbam conſcenſurum, et per noctem Daleróôn peti-

Guſtaui Lib. VII. §. 26 ſq. ait: *Equidem Hannibal Seeſtedius, qui inter iſtas turbas huic ſe negotio inſerere coeperat, id temperamentum proponebat, vt Sueci Danique congreſſi inter ſe ſolos rem tranſigerent. Sed et id ipſum altioris indaginis videbatur.— Quum tamen neque diſcordia inter Sequeſtres ceſſaret, ac Belgae infenſa ſpirare pergerent, quorum importunitatem iam Dani iuxta ac Sueci deteſtabantur, Hannibale Seeſtedio parario breuior via initur negotium componendi.* Ceterum Seeſtedius, reconciliatus Friderico III. Regi Daniae, etiam magni momenti fuit in rerum conuerſione, quae mox ſequuta eſt, h. e. in Principatu Regum Daniae conſtituendo confirmandoque.

petiturum, reſpondiſſet, ille mandatum ſe habere dixit ab Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Caſtellano Roſenhane, qui iterum extra vrbem heri profectus erat, Bibliothecam Polonicam, quam vix centum Imperialibus aeſtimabat Fyholmenius, conuaſandi; ſibi autem ciſtas deeſſe. Secretarius, exſpectare amplius ſe nequire innuit, naue iam in Daleróön conſtituta; rogare autem, quo ad mandatum Dnn. Superiorum conuaſata certo alicui committeret, qui, ſi forte ventus continuaret adhuc eſſe contrarius, iſta ad Daleróön deportaret. Id quod ille promiſit, ac, num Acta Archiui Polonici extradita eſſent, inquiſiuit. Reſpondente Secretario, duas ciſtas ſibi eſſe traditas; ille plurima et optima *im grünen Gange* * adſeruari dixit. Vbi Secretarius, quod toties Archiuarium ſollicitum hac de re per menſem ferme habuiſſet, regeſſit; ille tres equidem ciſtas adhuc impletum iri adfirmauit, promittens ſe ipſum omnia ad Daleróön eſſe adlaturum. Id vt faceret, Secretarius eumdem rogauit. Hora demum ſeptima veſpertina, ſaepe memoratus Legationis Secretarius, vna cum Commiſſario Petro Berend, a Quaeſtore Regni acceperunt, hic pecuniam et Memoriale ab Illuſtribus Dnn. Camerae Conſiliariis ſubſcriptum, ille torquem pro Dn. Legato Gallico, duas item effigies S. R. M. Caroli in lamina pergamenea pictas, et duas effigies Glorioſſ. Regis Caroli Guſtaui ex auro confectas. Qua de re Quaeſtorem ambo manibus ſuis ſub ſpecificatione acceptorum quietauerunt. Peractis hiſce, idem Secretarius *von Schroeer* adhuc ſemel Palatium Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Regni Theſaurarii, Dn. Comitis Magni Gabrielis de la Gardie, adiuit, ſciſcitans, num Sua Excellentia hac veſpera, vel craſtino matutino, in vrbem reditura crederetur. Quum reſponſum accepiſſet, aliquot forte diebus non redituram, is hora nona veſpertina Holmia abiuit.

Actum $\frac{6}{16}$ Iulii et ſeqq. vſque ad $\frac{16}{26}$ eiuſd.

Vento contrario, et fluctuantibus vndis, d. VI Iulii ſtil. vet. ſub veſperam peruentum eſt vſque ad Daleróön, et nauim *Apolinem*, cui praefectus fuit Capitaneus *Storck*, qui Secretarium Legationis cum rebus et Actis Polonicis ſupra memoratis recepit, mandatum-

* h. e. In porticu viridi.

Digitized by Google

datumque ſe Admiralitatis habere dixit, quam primum poſſet, ſoluendi. Ergo nihil praeter ventum ſecundum deſiderabamus. Die $\frac{7}{17}$ Iul. ſequutus Holmia Commiſſarius Berend ad nos acceſſit cum aliqua pecuniae ſumma, pro milite ex Pruſſia deducendo. Die $\frac{8}{18}$ Iulii, pars claſſis in Pruſſiam deſtinatae adparuit, et ipſe etiam Admiralius Vggla adfuit. Die $\frac{10}{20}$ leuatae ſunt ancorae: ſed vnicum milliare Rotholmen vſque hoc die profecimus. Hinc poſtquam d. $\frac{11}{21}$ Iulii ſoluentes petiuiſſemus Oceanum, die ſexta, nimirum $\frac{16}{26}$ Iulii, hora VII veſpertina, in ſtatione Dantiſcana adpulimus, et ibi verſus Oliuam ancoras demiſimus, et extemplo Secretarius *von Schroeer*, vnum ex Amanuenſibus cum litteris, quibus aduentum ſuum ferentis ſecum ratificationem Regiam tam Inſtrumenti Pacis, quam Articuli de Elbinga ſeparati, ſignificauit Suae Excellentiae, ad Illuſtr. atque Excell. Dn. Comitem a Schlippenbach miſit; qui per ſcapham deuectus eſt Sobothum, et inde curru per noctem iuit Dantiſcum, quo, ſimul atque aperirentur Vrbis portae, introiret, et Dn. Comiti litteras offerret. Rogauit praeterea Secretarius Illuſtriſſimum, vt ſaluum paſſum ab vrbe Gedanenſi pro ipſo impetraret, ne in portu Viſtulomundae mora cieretur: ſiquidem facile, ſuboriente tempeſtate marina, aliquid incommodi emergere poſſet. Item adeſſe quoque Petrum Berend, cum pecunia et cambiis, nunciauit. Item ſe etiam adferre Acta Polonica, ſecundum Art. IX. Inſtrumenti Pacis reſtituenda.

Actum Dantiſci d. $\frac{17}{27}$ Iulii.

Pacato aequore, ac vbi pluere deſierat, caelo ſereno, per ſcapham maiorem ex naui vſque ad fortalitium Gedanenſe, *die Weiſſelmunde*, deuectus eſt Secretarius, et Petrus Berend, quos Capitaneus nauis *Apollinis* comitabatur. Ibi ſimul atque oſtium Viſtulae intraremus, more ſolito ex Propugnaculo, (*von Blockhauſe*,) clamatum eſt a vigilibus, vnde veniremus. Nam bene multae diuerſis ex locis, in ſtatione congregatae naues fuerunt. De claſſe Suecica, (Admiralius Vggla namque vna cum nauibus omnibus etiam adfuit,) nos deſcendiſſe reſpondimus, tendereque Dantiſcum. Iuſſi ſumus pergere. Quod dum factum eſſet, ex valle ipſius Fortalitii denuo interrogati ſumus, cuiates

Digitized by Google

eſſemus. Quum reſponſum eſſet, Holmia nos venire, ad ponticulum, per quem introitus ex parte maritima eſt, adpellere rogabamur. Ibi autem exſpectauit quidam Vigiliarum Magiſter, cum nonnullis militibus, qui in mandatis ſe habere dixit, vt in cymbam velocem, (vulgo *eine kleine Iagd*) quae parata aderat, panno caeruleo tecta et veſtita, inuitaret Secretarium Legationis Suecicum, vt illa deportaretur in vrbem. Is pro humanitatis officio gratias egit: noſtraque ſcapha propria vſi ſumus. Hora vndecima antemeridiana Dantiſcum venimus: et eodem mane Secretarium Caeſareum adtuliſſe quoque ratificationem Pacis Caeſaream, et ante horam aduenisse itidem Electoralem ratificationem, fama per vrbem fuit: nec tantum fama tamen, ſed etiam, vt deinde certo compertum eſt, res ita vere ſe habuit. Id quod non modo bonum omen interpretati ſunt, verum etiam nonnihil admirationis adtulit hominibus, quod diuerſis ex locis, per varia viarum, et praeſertim maris incertum iter, velut in eodem momento ad idem centrum peruentum eſſet. Nos ad Illuſtriſſ. Dn. Comitem Schlippenbachium contulimus, et traditis ipſi per me Secretarium S. R. M. litteris, commiſſum ſibi quiſque negotium aperuit. Sua Excellentia laetabatur de aduentu noſtro, licet nemine Legatorum reliquorum vel Mediatoris vel partium adhuc praeſente. Atque Secretarium quidem iuſſit, vt in ſuo hoſpitio omnia diligenter interea adſeruaret: Commiſſario Berend autem Elbingam proficiſcendi, indeque, poſtquam Dn. *von der Linde* audiuiſſet, breui redeundi mandatum dedit. Acceſſit quoque Admiralis Vggla, et, quod claſſem ſpectauit, cum Sua Excellentia loquutus eſt.

Actum eodem, poſt prandium.

Vbi Secretarius ex ſuburbio ab Illuſtriſſ. Dn. Comite in vrbem rediiſſet, ſupellex eius vna cum Actis archiualibus Polonicis aduenerant, quae in hoſpitium ſuum, ad mandatum Suae Excellentiae, exportari curauit: ibique vſque ad extraditionem depoſuit. Fuerunt autem Acta iſta Polonica in duabus ciſtis, quarum alteram quatuordecim remiges, ſiue ſerui nautici, portabant, reſtibus in morem retis, ceu mercatores mercium faſciculos ſeu volumina ligare ſolent, circumdatis ita, vt violari facile non poſſent.

Actum

Actum Dantiſci d. $\frac{18}{28}$ *Iulii.*

Ad Illuſtriſſ. Dn. Comitem Schlippenbachium Legationis Secretarius *von Schroeer* Originalia ratificationum, item Catenam Auream Dn. Legato de Lumbres deſtinatam, et effigies Regis, adtulit. Quae omnia cuſtodienda S. Excellentia illi reſtituit: effigiei Regiae autem Originale retinuit. Illuſtriſſ. Dn. Comes dicto Secretario quoque reſtituit duo Originalia, ſiue exemplaria authentica Inſtrumenti Pacis, ab Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Legatis noſtris in pergameno ſubſcripta, quae idem Suae Excellentiae, ante abitum Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarii, (velut videre eſt in Protocollo, ſub finem Partis IV.) in faſciculo ſigillis munito Sobothi tradiderat. Tertium vero, et quidem ab ipſo Secretario nondum auſcultatum, ſed a Regiſtratore tamen cum alio exemplari collatum, Dn. Legato de Lumbres, dum *von Schroeer* Holmiae abfuit, ſoluto faſciculo Varſauiam miſerat.

Actum Dantiſci d. $\frac{20}{30}$ *Iulii.*

Interrogauerat Illuſtriſſ. Dn. Comitem a Schlippenbach Secretarius *von Schroeer*, dum veniſſet Gedanum, an litteras illas, quarum hic ſupra Protocollum d. $\frac{7}{17}$ Iul. mentionem facit, adhuc retinere iuberetur, an vero Sua Excellentia eaſdem accipere vellet? Vt retineret, Sua Excellentia illi reſpondit, donec concluſerit, quomodo commode ſuo loco ſingulae inſinuarentur. Illuſtriſſimus igitur hodie Aulicum ſuum, *Neuman* dictum, quo etiam interdum pro Secretario priuato vtebatur, in hoſpitium praefati *von Schroeer* miſit, et memoratas litteras, eaſque denas accepit, nec aliquid amplius, illarum cauſſa, Legationis Secretario poſtea mandauit.

Actum Dantiſci d. $\frac{22\ Iulii.}{1\ Aug.}$

Heri nihil actum eſt, niſi quod Illuſtriſſ. Dn. Comes a Schlippenbach aduentum Dnn. Legatorum reliquorum, quos in motu eſſe, praeprimis Polonicum et Electoralem, referebatur, exſpectaret. Hodie Secretarius Legationis a Secretario Regni Ehrenſteinio litteras accepit, d. XIV. Iulii ſtil. vet. Holmiae datas, quibus nunciauit, quod poſt abitum

Digitized by Google

tum eius repererit nonnulla Acta Polonica Iudicialia, quae in tribus ciſtis iam ad eumdem tranſmittat. Actaque illa idem Secretarius *von Schroeer,* eodem die, in hoſpitio ſuo accepit, vna cum ſchedula nunciatoria d. XVII Iul. ſtil. vet. in *Kohamn* data, ſed ſine expreſſione nominis eius, qui ſcripſerat. Rem Illuſtriſſimo Secretarius retulit, qui extradi poſſe cum reliquis iuſto tempore dixit.

Actum Dantiſci d. $\frac{24\ \text{Iulii.}}{3\ \text{Aug.}}$

Venerunt hodie Gedanum Dn. Legatus Polonicus Rey, et Dn. Legatus ab Houerbecke. Quibus dum notificaſſent quilibet ſuam praeſentiam, Aulicum quoque miſit Illuſtriſſ. Dn. Comes Schlippenbachius, et ad domum cuilibet de aduentu per eumdem gratulatus eſt.

Actum Dantiſci d. $\frac{25\ \text{Iulii.}}{4\ \text{Aug.}}$

Litteras memoriales quidam, qui Stanislaum Baczynski Notarium Cancellariae Regni ſe nominauit, ad Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Comitem a Schlippenbach dederat, ſuumque negotium Simoni Mollero, quem Generoſum praedicabat, eumque Secretarium (fuit autem is a manu Dn. Legati Polonici Rey,) vocabat, commiſerat, in eo conſiſtens. Quum nuper Varſauiae a Dn. Weydenhayn intellexerit, quod Gedani certum Honorarium pro recompenſatione laboris et iuribus Cancellariae depoſitum eſſet, ideo rogare ſe, vt Sua Excellentia dignetur promiſſi huius Dn. Weydenhaynii recordari, partim vt generoſitatem Excellentiae Suae in recenti ſemper memoria Cancellaria Polonica habeat, partim etiam ne iuribus ſuis et antiquo vſu eadem Cancellaria priuetur. Innuebat autem iſte Baczynski, Pacta pro Sereniſſ. Rege Regnoque Sueciae ſuo charactere ſcripta eſſe. Huius Memorialis occaſione Illuſtriſſ. Comes ſtatuit, vt ſexcenti illi Imperiales pro Secretario Legationis Polonicae deſtinati ita diſponantur; nimirum centum Ducatorum torques fieret, Doctorique Paſtorio, qui loco Capitanei Bidgoſcienſis, Ioh. in Zelecin Zelecki, Secretarii Legationis munere fungebatur, vna cum ducentis Imperialibus paratae pecuniae daretur, reliqui autem ducenti Imperiales Cancellariae Legationis

tionis Polonicae deſtinarentur. Ergo Secretarius *von Schroeer* a Commiſſario Petro Berend ſexcentos illos Imperiales, vt ita eos diſponeret, accepit: cuius rei cauſſa etiam, et praeterea de trecentis Imperialibus pro Secretario Gallico, hic dictum Berend quietauit. Hic quoque notandum eſt, quod ob Commiſſarii modo memorati diſſenſum, qui ne Memoriale quidem, vtrique Holmiae a Camera Regni datum, monſtrare voluit, nihil hactenus actum eſſet in conficienda capſula pretioſa, cui inderetur effigies S. R. M. Dn. noſtri Clementiſſimi, Catenae Aureae, qua Dn. Legatus de Lumbres donandus erat, adpendenda. Igitur Dn. Comes Schlippenbachius eiuſmodi capſulam gemmis egregiis ornatam, quam tribus millibus Imperialium aeſtimabat, obtulit, et duo illa millia Imperialium huic vſui deſtinatorum a dicto Berend in ſolutionem accepit. Porro conficienda quoque fuit catena, ſeu torques pro Dn. Akakia, valoris cum capſula mille Imperialium. Sed dixit Dn. Comes melius eſſe vaſa argentea iſtius pretii. Secretarius igitur, quum Commiſſarius ipſi eſſet contrarius, rem vtrique commiſſam, illi (Petro Berend nempe) ſoli reliquit, et Illuſtriſſ. Dn. Comes Schlippenbachius effigiem quoque Regis capſulae indendam accepit, monente hoc tantum finaliter Secretario, quod iſta effigies Akakiae eſſet deſtinata, et decretum a S. R. M. Sereniſſ. Regina Matre et Illuſtriſſ. atque Excellentiſſimis Dnn. Regni Adminiſtratoribus ac Senatoribus ſit, vt torques cum capſula pretioſa fieret.

Actum Dantiſci d. $\frac{26\ \text{Iulii}}{5\ \text{Aug.}}$ *ante meridiem.*

Hodie Gedanum venit Dn. Legatus Mediator de Lumbres, qui aduentum ſuum ſtatim per Aulicum nunciauit Illuſtriſſ. Dn. Legato Suecico Comiti Schlippenbachio. Is viciſſim ad eumdem miſit Aulicum, qui de aduentu illius Excellentiae gratularetur.

Actum Dantiſci d. $\frac{26\ \text{Iulii}}{5\ \text{Aug.}}$ *hor. 11 pomer. in ſuburbio Neugarten, in aedibus Dn. Legati Electoralis.*

Ab Illuſtr. atque Excell. Dn. Comite a Schlippenbach ad Dn. Legatum Brandeburgicum ab Houerbecke miſſus eſt Legationis Secre-

 tarius

Digitized by Google

tarius *von Schroeer*, qui iuſſus, eidem nomine Legationis Suecicae, praemiſſis curialibus, propoſuit: Quum iam ratificationes omnium partium adſint, nec niſi Dn. de Liſola, ſiquidem Regis Chriſtianiſſimi Legatus Dn. Lumbres hodie quoque aduenifſet, exſpectetur, ſperari, commutationem Ratificationum ſine omni difficultate propediem fieri, et exequutioni pacem concluſam penitus dari poſſe. Quum vero nonnulla ſint, quae ante extraditionem Inſtrumentorum ratificatorum complanari, et ad effectum debitum duci oporteat: praefati Dn. Comitis Excellentiam in tempore ea monere neceſſum eſſe exiſtimaſſe, ne poſtmodum ſub ipſam commutationem aliquae difficultates oriantur, quae eamdem remorari queant. In ſpecie a parte Electorali Succiam deſiderare, quo praeſidii Strasburgici plenaria fiat reſtitutio. Dimiſſos quidem Officiarios; reſtitutum quoque ex maxima parte gregarium militem; deeſſe tamen adhuc praeter eos, qui vel mortui, vel aufugiſſe ferantur, ad 15 aut 20. a Dn. Principe Radziuilio Schlutzkouiam miſſos: deinde nec duo tormenta reſtituta eſſe. Quod maximum autem ſit, vexilla detineri, et inter trophaea Berolini numerari. Peti itaque reſtitutionem, non tantum reſidui militis et modo dictorum tormentorum, verum etiam potiſſime vexillorum, quae ad 15. numero fuerint, vna cum arreſtatis praeſidiariis illis militibus ſpoliata. Factis curialibus, ad 1) reſpondit Dn. Houerbecke: Ratificationem Suae Serenitatis Electoralis eſſe paratam; ſperare ſe, neque in Suecica ratificatione aliquid deſideratum iri. Ad haec praefatus Secretarius dixit, omnia eſſe ratihabita, et Inſtrumenta illa a ſe adlata. Ad 2) Dn. Legatus declarauit, S. Serenitatem Electoralem in mandatis dediſſe, vt, quidquid praeſidii Strasburgici reſtaret, reſtitueretur. Quum igitur non amplius praeter iſtos paucos deficeret, reſtituendi illos difficultatem fore nullam. Quoad tormenta, eſſe illa, vt Colonellus Pleutner retuliſſet, Riſenburgi; et quia ſint Gedanenſia, quae ex pacto debeant reſtitui, facile conueniri cum Magiſtratu poſſe, ne Legationi Suecicae inde moleſtiae aliquid creetur. Ad reliqua vero quod adtinet, Legationem Electoralem Dnn. Legatis Polonicis per Reuerſales ſe obſtrinxiſſe, quod velint praeſidium, id eſt, Officiales et milites reſtituere; pro tormentis, vbi S. Serenitas illa reddere vel non poſſit, vel nolit, ex proprio ſe pretium numerare; vexillorum autem, quae trophaeis adnumerare

Sua

Digitized by Google

Sua Serenitas Electoralis, vtpote quae in Fionia, et alibi eorum ſatis, armata manu obtinuiſſet, opus non habeat, mentionem factam nullam, neque ſibi hac de re aliquid in mandatis datum eſſe: hoc potius ſe petere, S. Serenitatis Electoralis nomine, vt, ſi tormenta illa, quae S. R. M. Sueciae Mariaeburgi accepiſſet 50. maiora minoraque numero, reſtitui nequeant, in locum eorum detur aequiualens ex his, quae Domini ſint capta. Secretarius Suecicus: Milites reſiduos et duo tormenta Strasburgica paruae difficultatis intelligi; maioris nomenti vexilla a Dn. Comite repoſci, ſerio adfirmante, quod a Rege iuſſus ſit nihil ante plenariam reſtitutionem praefati praeſidii, et cumprimis vexillorum, adgredi: ſperari igitur, ne quid morae per hoc intercideret exſequendae pacis. Ille denuo ſe excuſauit defectu mandati, et quod de vexillis nullam obligationem dederint Electorales Polonis, cum quibus Legatio Suecica ſemper hac de re egiſſet: Electoralem non erexiſſe vel erigere trophaea cupere ex his, quae tali occaſione eſſent capta: ſi Dn. Comes commutare ratificationem nollet, cogere ſe eum non poſſe, interea ſe nec Electoralem extraditurum ratificationem. Secretarius: Siquidem Dn. Legatus defectum maudati alleget, ideo Dn. Comitem ante abitum craſtinae poſtae id monere voluiſſe, quo Dnn. Legati Brandeburgici Excellentia S. Serenitatis declarationem, quod intra ſex ſeptemue dies fieri poſſit, ſollicitare queat: ad vexilla quod adtineat, ea eſſe eſſentialem partem reſtitutionis praeſidii Strasburgici, quae cum omnibus ablatis plenarie reſtitui vi pacti conuenti oporteat. Quae Sua Dn. Legati Excellentia de tormentis Mariaeburgi relictis monuiſſet, relaturum ſe Illuſtriſſ. Dn. Comiti; certum autem eſſe, illum huius rei, haud iure praetenſae, mandato nullo inſtructum, ceu facile Dn. Legatus iudicare poſſit. Ad quod ille: Se hoc monere oportuiſſe, quia tam inſtanter vexilla vrgerentur. Secretarius: Vexillorum iſtorum eam rationem eſſe, vt potius aliae res, quam illa negligerentur, vtpote aperto Marte non amiſſa, ſed potius de facto cum praeſidiariis arreſtata, et hodienum contra tranſactionem detenta. Ille: Si quidem in rerum natura amplius illa non ſint, velut Dn. Princeps Radziuilius Berolini retulerit, immo etiam inquiri eadem fecerit, reſtitui non poſſe. Quod ſi Dn. Comes abſtinere poſtulato hoc nollet,

 neceſſe

Digitized by Google

neceſſe eſſe, vt pretium pro iis ſolueretur. Secretarius: Regem et Coronam Sueciae vexilla ſua non vendere; itaque pretio illa aeſtimari nequire, neque etiam concedi vllo modo poſſe, vt iſta pro captis venditentur. Ille: Dn. Principem Radziuilium iuſtiſſimas habuiſſe cauſſas praeſidium Strasburgicum intercipiendi, veluti illud, pro hoſtili merito habitum, quod ſine permiſſu prouincias Electorales tranſiiſſet, viam praeſcriptam non ſequutum fuiſſet, atque, vt relatum tunc ſit, aliter etiam modum exceſſiſſet. Secretarius: An et quo iure detentum ſit, quaeſtionem amplius non eſſe, ſed tantum nunc repeti poſtularique, vt Pacificationi etiam in hac parte ſatisfiat. Finita ſunt haec, et, quid noui audiatur, diſcurſum eſt: quo etiam finito, factis curialibus abiuit, et Dn. Comiti Schlippenbachio haec omnia retulit Secretarius.

Actum Dantiſci d. $\frac{27\ \text{Iulii}}{6\ \text{Aug.}}$ *in aedibus Dn. Legati Gallici.*

Iuſſu Illuſtr. Dn. Comitis a Schlippenbach cum Dn. Legato Chriſtianiſſimi Regis de Lumbres loquutus eſt Secretarius Legationis Sueeicae *von Schroeer,* de his, quae adhuc ab exequutione Pacis dependent, et quidem, ex maxima parte, ante commutationem Ratificationum perfici debuiſſent: ſuntque 1) Pactorum praeſentium Oliuae concluſorum ratificatio non tantum Regis, ſed et Reipubl. Poloniae, et inde etiam Deputatorum Liuoniae ſubſcriptio: quae rite facta eſſe, et pacta in proxime futuris Comitiis Volumini Legum inſertum iri, Illuſtriſſ. Dn. Legatus Suecicus non dubitet. 2) Captiuorum Suecicorum ſine diſcrimine, ſecundum tenorem Inſtrumenti Pacis dimiſſio, et ea de cauſſa Vniuerſalium per Poloniam publicatio. 3) Praeſidii Strasburgici vna cum tormentis et vexillis plenaria reſtitutio. 4) Ne Mariaeburgi ciuibus et incolis, vel etiam his, qui Oeconomiae ſubſunt, neque Inſulanis, quoad religionem aut bona eorum, aliquid intentetur, ſed potius vbique generali et ſpeciali amneſtiae ſtetur. 5) Vt ciuibus Thorunienſibus contra amneſtiam nihil attentetur, vel vlla vis inferatur. 6) Vt liberationis captiuorum in Tataria habeatur ratio. 7) Dn. Generalis Comitis a Waldeck in bona, dignitates, honores et beneficia reſtitutio.

8) Vt

8) Vt ratificationum, elapſis iam ante triduum a concluſa Pace tribus menſibus integris, fiat permutatio. Reſpondit Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Legatus ad 1) Ratificationem Regis et Reipubl. Deputatorum iam factam, nec dubium de Volumini Legum Regni inſertione; contradictionem forte ab aliquo Liuonorum factam non adtentam, ſed nihilominus Pacta ratificata ſubſcripta fuiſſe. 2) Captiuorum totalem dimiſſionem Regem Poloniae promiſiſſe. 3) Praeſidii Strasburgici ſi nondum facta ſit plenaria reſtitutio, ſe cum Dn. Legato Brandeburgico loquuturum. 4) Mariaeburgenſibus vel etiam Inſulanis aliquam vim illatam, ſibi non conſtare; ſi ex plebe quis inſolens fuiſſet, S. R. M. Poloniae inquiſitionem inſtituiſſe, ſeque Pacta ſincere obſeruaturum declaraſſe. 5) Idem de Thorunienſibus intelligi: quae autem ante concluſam Pacem exequutioni data ſint, ea reuocari poſſe, ſe dubitare. 6) Vt liberentur captiui in Tataria, Sereniſſ. Regem Poloniae auctoritatem ſuam apud Chamum, Hordaſque Tatarorum, vbi iam illis locis futura propior S. R. M. ſit, interpoſiturum. 7) Dn. Comitis Waldeccii cauſſa, loquutum ſe cum Dn. Legato ab Houerbeck Varſauiae fuiſſe, referente, quod Sereniſſ. Elector reſtitutionem illius minime neget: vt autem Dn. Comes ea recipiat, quae ratione Gubernationis Halberſtadii S. Serenitas ipſi largita fuiſſet, quum non amplius ſeruitiis Electoralibus occupetur, Sereniſſ. Electorem cogi non poſſe: aliam rationem eſſe bonorum Eccleſiaſticorum, Commendaturae videlicet, quae Fiſco, etiam quum hoſtis eſſet Dn. Comes Waldeccius, vtpote a Magiſtro Ordinis Teutonici dependentia, ſubiecta numquam fuiſſent. Promiſit adhuc ſe rem iſtam apud Dn. Legatum Brandeburgicum hic acturum. 8) Quo ratificationes inter partes quantocius permutentur, ſe optare; iudicandum vero Illuſtriſſ. Dn. Legato Suecico relinquere, an hoc fieri ante aduentum Dn. Legati Caeſarei queat. Examinari autem et conferri interea Originalia poſſe, ſi de modo conuentum ſit, vbi, per quem, et an praeſentibus Legatis id fieri velint? Retulit haec Illuſtriſſ. Dn. Comiti Secretarius; et ille, quod vix aliquid fieri poſſit ante aduentum Dni de Liſola, ſe credere dixit.

Digitized by Google

Actum Dantiſci d. $\frac{28\ Iulii.}{7\ Aug.}$

Dn. Legatus Gallicus Secretarium ſuum miſit ad Illuſtriſſ. Dn. Comitem a Schlippenbach petendi reſolutionem de modo commutandi ratificationes. Dn. Comes ad commutationem ſe eſſe paratum, vbi intellexerit adeſſe quoque partium ratificationes: quoad modum ſe recordari, quod Articulus XXXIV. Inſtrumenti Pacis, et quidem eiuſdem Articuli conditio ſexta contineat, quod Inſtrumentorum iſtorum ratificationis ſollemnium permutatio ad limites territoriales, inter Elbingam et Mariaeburgum, per Dn. Legatum Regis Chriſtianiſſimi debeat peragi: vbi ergo reliqui Dnn. Legati inclinent, ſe libenter illuc, quando ſuper loco ſpeciali conuentum fuerit, profecturum. Videri autem, congregatis iam praeter Caeſareum, qui in horas exſpectetur, partium Legatis omnibus, minus neceſſarium. Adeſſe ratificationes omnes reſpondit Secretarius, et credere ſe, quod Dnn. Legati Polonicus et Electoralis Brandeburgicus non improbaturi ſint iſtam Illuſtriſſ. Dn. Comitis ſuper loco permutationis declarationem: relaturum ſe hoc Dn. Legati S. Excellentiae, quae breui Illuſtriſſ. Dn. Comitem, niſi moleſtum illi foret, viſitare in animo habeat. Sed neceſſe eſſe, vt primum examinentur Originalia, et an aliquid vel in ſcriptione, vel in ſollemnibus, vel in ipſa materia deſideretur, examinentur; reſcire ideo cupere Suam Excellentiam, quid Illuſtriſſ. Dn. Comes ſentiat, per quem et quomodo hoc negotium inſtituendum. Illuſtriſſimus ſibi gratum fore acceſſum Excell. Dn. Legati Mediatoris, et tunc cum illo plenius ſe colloquuturum, dixit. Quibus Secretarius abiit. Paullo poſt Dn. Legatus de Lumbres ipſe adfuit: atque poſt aliquot diſcurſus placuit, vt ratificationes Dantiſci commutarentur per Dn. Mediatorem; ipſo autem praeſente Originalia inuicem conferrentur et auſcultarentur per Legationum Secretarios. Quod quidem complacere etiam Dnn. Legatis Polonico et Electorali Dn. Mediator adſeruit: num vero Dn. Legatus Caeſareus quid moniturus ſit, aduentum eius aperturum.

Actum Dantiſci d. $\frac{29\ Iulii.}{8\ Aug.}$

Quum Illuſtriſſ. Dn. Comes Schlippenbach Illuſtr. Dn. Legatum Mediatorem de Lumbres inuiſiſſet, iuſſus ab eo Secretarius Legatio-

nis

nis Suecicus illi ratificationem noſtram pro Dnn. Polonis communicauit ad videndum, et de modo examinandi nudius tertius et heri propoſito, percontatus eſt denuo. Ibi Dn. Mediator horam octauam matutinam craſtinam determinauit, et ſimul Dn. Legatum Rey, qui Secretarium ſuum priuatum huius quoque rei cauſſa ad eum miſerat, rogauit, quo Dn. Paſtorium, qui munus Secretarii Legationis Polonici tunc ſuſtinuit, eodem tempore quoque in ſuo Dni de Lumbres hoſpitio adeſſe iuberet. Inſpecta Ratificationis forma, ſubſcriptione et ſigillo, Dn. Mediator Originale hoc communicatum Secretario Suecico reſtituit.

Actum Dantiſci d. $\frac{30\ \text{Iulii}}{9\ \text{Aug.}}$ hora IX antemerid. in aedibus Dn. Legati de Lumbres, im Schieſsgarten.

Conuenimus, vt heri dictum erat. Dn. Mediator ipſe praeſedit ad menſam, iuſſitque Secretarium Suecicum, ad dextram eius vt accederet,* ad eius ſiniſtram ſedentibus Paſtorio et Deukouizio, Nobili Polono. Coepta ſunt legi ſollemnia ratificationum Inſtrumenta in pergameno ſcripta, Regium Polonicum et Reip. Deputatorum, (et ſimul Dnn. Legatorum Polonicorum illud pro chartaceo extradendum,) omnia holoſerico rubro, capſulis argenteis adpendentibus, inuoluta; deinde noſtrum ratificatum in duobus Originalibus, altero Regi Poloniae, altero Regi Galliae dandis, (vti et noſtrorum Dnn. Legatorum Authenticum in pergameno ſcriptum, holoſerico nigro inuolutum, quatuor capſulas eburneas nigras adpenſas habens,) ſed ratificationis Inſtrumentum Regium Suecicum ſcriptum erat in pergameno nudo inuolucro praeditum, ſigillo Regni maiori in capſula lignea munitum. Legit Secretarius Dn. Mediatoris; auſcultauimus reliqui, et vna Dn. Mediator ipſe, habentibus quoque ſecum Cancelliſtas ſuos Secretariis ob maturationem operis. Vbi Introitum abſolueramus, monuit Paſtorius, vt Electoralis Secretarius etiam accerſeretur; Caeſareo Legato nondum in vrbe praeſente, neque Mediationem Gallicam agnoſcente. Miſit

* Hac inprimis loci honoratioris cauſſa, quod Sueci, in ciuitate Regis Poloniae, haberi deberent iure et humanitate hoſpitii.

Miſit ergo Dn. Mediator ad Dn. Legatum ab Houerbecke, vt praefatum Secretarium mitteret, et a Secretario Suecico petiit, vt adferri faceret ratificationem pro Sereniſſ. Dn. Electore. Hic ſe adhuc non habere mandatum ab Illuſtriſſ. Dn. Comite Schlippenbach reſpondit: velle primum comperiri, et deinde adferre. Id quod Dn. Mediatori quoque placuit. Adiit ergo ille praefati Dn. Comitis Excellentiam, et, vbi eadem conſenſiſſet, modo nominatum Inſtrumentum ratificatum adductum eſt. Interea aduenerat Secretarius Brandeburgicus. Sed quum matutinum tempus eundo hinc inde in ſuburbio et ipſa vrbe, quia diſſitis tam Secretarii, quam Dnn. Legati vtebantur hoſpitiis, atque adeo omnes ipſis decem diuerſoriis, elapſum, et hora iam vndecima audita fuiſſet, examen hac vice abruptum eſt, et in pomeridianam ſecundam dilatum. Quo tempore adfuimus, et Dn. Mediator etiam ſubſcripſit pergamenea Originalia Dnn. Legatorum Suecicorum, Polonicorum et Electoralium, quae pro chartaceis adhuc extradenda erant. Antequam vero rediretur ad examen vel reuiſionem in aedibus Dn. Legati Mediatoris, ſcitu Illuſtriſſ. Dn. Comitis a Schlippenbach Secretarius Suecicus Secretarium Legationis Caeſareum, qui hunc Holmiae reducem ipſe paucas ante horas, vbi Gedanum Goritia rediiſſet, primus viſitauerat, inuiſit, et per diſcurſum ab eo quaeſiuit, quando venturus eſſet Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legatus de Liſola: item, num eidem Secretario integrum eſſet ſimul initium faciendi auſcultationis ſuorum Originalium ratificationis Imperatoriae? Ille, Illuſtriſſimum Dn. Legatum ſi non hodie, tamen craſtino die certo adfuturum, reſpondit. Ad Originalium reuiſionem et auſcultationem quod adtineret, ſibi ſemper fuiſſe integrum de illa conuenire; praeſente autem Dn. Legato Gallico, niſi prius admittatur Miniſter Regis Catholici, fieri id non poſſe. Pergenti itaque Suecico, quando tandem, et quo modo negotium hoc inter partes eſſet conficiendum, reſponſum vſque ad Illuſtriſſ. Legati Caeſarei aduentum ſibi differendum eſſe dixit. Retulit Illuſtriſſ. Dn. Comiti Legato Suecico Secretarius *von Schroeer*. Et Sua Excellentia, vt abſolueretur res primum cum Polonis, eum iuſſit.

Actum

Digitized by Google

Actum Dantiſci d. $\frac{30\ \text{Iulii}}{9\ \text{Aug.}}$ hor. 11 pomerid. in aedibus Dn. Legati Mediatoris, im Schieſsgarten.

Continuatum eſt examen ſiue reuiſio Originalium, et deprehenſa, quae ſequuntur. In Formula ratificationis Regis Poloniae: *quorum tenor eſt, qui ſequitur.* — In Reipublicae: *quorum tenor eſt talis.* In Suecicis: *inierunt, ſtatuerunt et concluſerunt:* maneat, quia ſenſui nihil detrahitur. Articul. I. Iam additum erat per manum Deukouizii in titulo Regis ſui, *Dn.* quod ſemel erat omiſſum: ergo nunc non opus fuit corrigi. In Polonico Ratificato Regis et Reipublicae, Art. I. §. 1. eſt, *Hereditarius Princeps.* In noſtris et Caeſareis et Electoralibus eſt omiſſum, vti et in noſtrorum Dnn. Legatorum ſubſcriptis. Manſit, vt habet exemplar vnumquodque. In Polonico Regis, *utrinque.* In Reipubl. *ab utrinque.* In Electorali, *utrinque.* In Legatorum Polonicorum, *utrinque.* In noſtris omnibus, *utrinque.* Non adtendendum. Art. II. §. 1. In Ratificato Reip. *Aut per ſe:* pro, *Aut per ſuos. Item* ibidem ſuperfluum eſt: quod eraſum iam eſt, et per ſuos correctum. In Commiſſariorum Polonicorum Art. II. §. 2. *gaudent*, correctum erat manu Deukouizii, *gaudeant:* ergo iam non fuit opus corrigi. In Reipubl. Ratificato pro Electore: *in ſuis iuribus et priuilegiis:* omiſſum eſt *et* in reliquis: atque omitti debet. Hic tamen manſit, quia nil refert. In eodem §. 2. Art. II. raſura eſt in verbis: *ratione adhaeſionis hoſti.* Art. II. §. 4. In Reip. Poloniae, et in Suecico Ratificato: *fuerunt*, pro *fuerint* correctum eſt per Dn. Mediatorem. Art. eod. §. 5. circa finem in Polonico: *Fiſco applicata tum* etc. comma poſitum erat poſt *tum:* quum poni debeat ante *tum.* Correctum eſt igitur per manum Deukouizii, et ita ſonat: *applicata, tum quorum* etc. Artic. II. §. 5. circa finem: *omnibus actionibus* etc. omiſſum fuit, *omnibus*: additum iam per Dn. Mediatorem. Art. III. omiſſum fuit *Caſtra*, in Reipublicae Ratificato; additum iam per Dn. Mediatorem. Art. IV. *Per idem tempus* etc. omiſſum fuit *Induciarum*, in pergameneo Dnn. Commiſſariorum Polonicorum: additum iam per Dn. Mediatorem. Ibidem *et arcibus*, debuit deleri *et*, eſtque deletum per manum Dn. Mediatoris. In Dnn. Legatorum Polonicorum raſurae ſunt in verbis Art. IV. §. 1. 1) *Magque* lin. 1. 2) *Runen in mari ſitam.* 3) *In*

Digitized by Google

Eccleſiaſticis quam. 4) *Poſſeſſionis in.* Ibidem §. 3. et 4. raſurae ſunt. 1) *ſtris Ordinis in Liuonia Suecica.* 2) *Modo non in.* 3) *Tenuit, inſtitutae iudicialiter ſiue extraiudicialiter, ſi modo ſtatui.* Art. v. §. 1. *ſunt Reſpublica*, deleuit ſyllabam *ſu* Dn. Mediator. In Suecico Regio Ratificato, exſtat *Eaque:* in Dnn. Legatorum Suecic. et reliquis non exſtat. Caeſarei tamen, vt poſtmodum adparuit, habent etiam *Eaque Auſtralis.* Manſit, vt habent vnaquaeque exemplaria authentica. In Reip. §. eod. *Lützen*, correctum erat manu Deukouizii: ergo iam non fuit opus corrigi. In Reip. ad verba: *Lützen, Marienhauſen* defuit, et iam additum per Dn. Mediatorem. In eod. Art. §. 1. in Polonicis omnibus, vt et Caeſareis, vt poſtea adparuit, exſtat *Reſp. Polona et Regnum Sueciae.* In Suecicis et Electoralibus exſtat *Polonia et Suecia* etc. Manſit, vt habet vnumquodque exemplar authenticum. Art. v. §. 3. In Dnn. Legatorum Suecicorum Dnn. Polonis dando, addita ſunt Secretarii Legationis Suecici manu verba in margine, *inprimiſque Liuoniam Suecicam:* ergo permanſit. Eod. §. raſurae in Dnn. Legatorum Polon. pergameneo, vt et in reliquis, ſunt diuerſae. Art. v. §. 3. fuit *accolas*, pro *incolas*, in omnibus, praeter Dnn. Polonorum, exemplaribus. Id quod in his duobus, quae inter Sueciam et Electorem commutata ſunt, correctum eſt manu vtriuſque Secretarii: in reliquis correctum eſt per Dn. Mediatorem, Paſtorium et Deukouizium. In Polon. Legatorum pergameneo *Authe* fuit pro *Authoritate.* In Art. v. §. 4. *quiſque, quique, quoque* in diuerſis extitit: manſit *quiſque* et *quique* promiſcue, ſed *quoque* mutatum eſt in *quique.* *Et* pro *Aut* in Regiis Suecicis ratificatis Originalibus pro Electore, Polonis et Gallia; mutatum iam per Dn. Mediatorem in *Aut.* In Dnn. Legatorum Suecic. pergameneis Art. xv. §. 1. circa finem, manu Secretarii Legationis *von Schroeer* adpoſita erat vox, *vbi*, vt iam ſit *vti* et *vbi*: ergo nunc non indigebat correctione. Art. xviii. fuit: *et aliis in Pruſſiae et Poloniae templis:* correctum autem eſt *in Pruſſia et Polonia.* In Reip Ratificato, Art. xix. pro *obligatione* correctum eſt *obligationum productione.* Art. xx. *Liquidare* pro *Liquidari*, in Dnn. Polon. et Reip. pergameneo: et iam eſt correctum. Alias multae inueniuntur in ſingulis minutiae, quae non omnia ſunt adnotata: exempli cauſſa notata hic ſunt ſequentia tantum: *Kegelſtedt*, pro *Kegels; Schouede*, in aliis *Schöueda; Coparium*, in aliis *Copo-*

Digitized by Google

Coporium; ac pro *et;* et pro *que; Herbingken* pro *Herbinghen; Imperium Romanum*, *Romanum Imperium; Pacis tranſactio*, in aliis *Tranſactio Pacis; aut aliter, aut aliter,* bis poſitum; *tum, tum*, in aliis *tam quam.* Item tranſpoſitiones tam in titulis neceſſariae, quam aliae propter euphoniam, vel per feſtinationem ſcribae factae. Item non adtenduntur abbreuiaturae vocum, etiam in titulis et praedicatis. Ita quoque non adeo adtendimus diſtinctiones, niſi in realibus: *Flumine Dunae*, in aliis *Flumine Duna:* item *Bulderaa*, *Bulderauia: ve, que*, niſi expreſſe notet diſtinctionem aut coniunctionem. Correcta tamen poſtea ſunt, *de Generalibus*, deleto *de:* item *aut aliter, aut aliter*, deleto altero *aut aliter: Ratificationes*, in aliis *Ratihabitiones:* manſit in Reip. Polon. Ratificato pro Suecia.

Actum Dantiſci d. $\frac{31 \text{ Iulii}}{10 \text{ Aug.}}$ *hor. VIII matutin. in aedibus Dn. Mediatoris.*

Facta eſt continuatio, et deprehenſa, quae ſequuntur. In Dnn. Legatorum Polon. pergameneis Art. XXII. §. 1. in titulo S.R.M. Sueciae defuit *Principem:* et additum eſt manu Dn. Mediatoris. Ibidem *ſago*, eſt inſertum ſupra lineam. Ibid. §. 2. in Reip. Ratificato, *argumentis* pro *fundamentis:* correctum per Dn. Mediatorem. Ibid. in nonnullis exemplaribus exſtat *Sleſuicenſem*, in quibuſdam *Sleſuici:* et perinde habitum eſt. Ibid. §. 3. in Suecico Regis Ratificato, *ſtabilitur* pro *ſtabitur*, iam correctum per Dn. Mediatorem. Art. XXIII. in Dnn. Legatorum Polon. et Reip. fuit, *libere dimittantur*, pro *liberi:* et mutauerat Deukouizius ſua manu in *liberi:* ergo iam non opus erat emendari. Art. XXIV. §. 1. in Dnn. Legatorum Suecic. pergameneo, manu ſua Secretarius *von Schroeer* addiderat: *et Principem Hereditarium:* et manſit adprobatum. In nonnullis Authenticis exſtat *Pruſſiae;* in quibuſdam *in Pruſſia:* item *Brandeburgenſem*, in aliis *Brandeburgicum:* placuit, quod ſit perinde, vti habent exemplaria. Art. XXV. circa fin. in Reipubl. Authenticis *in perpetuum;* reliqua omnia habent *in aeternum declarat:* mutauit Dn. Mediator *in perpetuum*, ponendo *in aeternum.* Art. XXVIII. in Reipubl. Polon. addita praepoſitio *ab utrinque bona fide* etc. in aliis omiſſa eſt praepoſitio *ab:* et iudicatum, eſſe perinde. Art. XXXI. in no-

Digitized by Google

ſtro Ratificato poſitum *et* pro *vt.* In noſtro itidem Dnn. Commiſſariorum, pro *ad* poſitum *ab ſtabilitatem.* Art. XXXII. §. 2. pro *Electorales* poſitum *Electores*, in Inſtrumento Regio Polonico: correctum, per Dn. Mediatorem, vtrumque. Art. XXXV. in noſtro Regio poſitum: *ſe hanc tractationem*, loco *tranſactionem*: in quo §. quoque eſt raſura verborum, *proſequi donec pax communi omnium partium conſenſu:* correctum per Dn. Mediatorem *tranſactionem.* §. 4. circa finem in Reipubl. Polon. Inſtrumento: *citra vim armorum*, poſitum *extra vim*: correxit Dn. Mediator. Art. XXXVI. omiſſa coniunctio *ut*, poſt verba *Sereniſſ. ac Potentiſſ. Rex Sueciae*, in exemplari Reipublicae: additum autem per Dn. Mediatorem. In Regio Polonico exemplari raſura eſt in verbis: *promota et mediatione ad optatum finem perducta eſt.* In Regio noſtro, in verbo *fideiuſſor* eſt expunctio duarum litterarum finalium. Ibidem in Reipubl. Polonae, poſitum *Ratificationes Pacis*, pro *Ratihabitiones Pacis:* pro eodem acceptum eſt. In clauſula Ratificationis Electorali additum *et*, inter verba *heredum*, *ſucceſſorum* etc. quae in Formula non ſunt. Bene addita ſunt in ipſo etiam Ratificationis Inſtrumento verba, *laudare et ratihabere*, quae alias in Formula ſubſcripta erant omiſſa. Inuitat Elector ad guarantiam Regem Catholicum et Belgii Ordines. Clauſula inuitationis ad guarantiam in ratificatione Regia Polonica eſt talis: "Ideo certos Principes et Status ad guarantiam hanc praeſtandam, noſtro et Reipubl. nomine per Miniſtros noſtros inuitauimus, atque eoſdem circa commutationem ratihabitionum, coram partibus paciſcentibus nominandi facultatem Legato Plenipotentiario noſtro dedimus." In Reipubl. ratificatione talis eſt: "Ideo Principes et Status a S. R. M. ad praeſtandam guarantiam inuitatos, et circa commutationem ratificationum coram partibus paciſcentibus nominandos, pro Principibus Statibuſque cauentibus, tamquam ſi expreſſe hic nominati eſſent, acceptamus." Formula ſubſcriptionis in Reipublicae Inſtrumento: "In quorum omnium fidem praeſens haec adprobatio ſubſcriptione manuum noſtrarum ſigilliſque, nomine Senatus, Celſiſſimi Primatis Regni

* Nec poterat non iſta ſuſpicio Brandeburgicos inceſſere, quod neſcii non eſſent, Neoburgicum Legatum Varſauiae talem fideiuſſionem Polonis vel inuitis obtuliſſe. De quo PVFENDORFIVM Rer. Brandeb. Lib. VIII. §. 79. memorantem audiamus: *Sed et Neoburgicus, Gedani licet repulſus, vt paci includeretur,*

gni, nomine vero Deputatorum ex Ordine Equeſtri, Illuſtriſſ. Dn. Succamerarii Pomeraniae, tamquam proxime Deputatorum Comitiorum Mareſchalli, firmata et roborata: eaque eamdem vim atque robur, ac ſi omnium atque ſingulorum Deputatorum adpenſa eſſent ſigilla, habitura eſt.“ Adpendent itaque duo ſigilla in capſulis argenteis: Deputati autem ſubſcripſerunt iſti: — —

In Ratificatione Suecica: “Et quia in Articulo guarantiae exterorum Principum partes paciſcentes facultatem ſibi reſeruarunt alios Principes et Poteſtates ad hanc guarantiam in ipſa ratihabitione inuitandi et nominandi: ideo nos in Pactis, alte memoratum Sereniſſ. et Potentiſſ. Galliae et Nauarrae Regem Chriſtianiſſ. inuitatum etiamnum hic repetimus, vt et S. R. Imperii omnes in vniuerſum Electores, Principes et Status amicos et foederatos noſtros, pariter inuitamus et nominamus.“ Hic Secretarius Legationis Brandeburgicus ad ratificationem Suecicam monuit: Primum, quum non exprimeretur, quinam Principes inuitentur ad guarantiam, forte Neoburgicum quoque ſubintelligi,° neceſſum propterea eſſe, vt notet. Illi Secretarius Legationis Suecicus: Licere, inquit, vt faciat: et ille notauit. Deinde idem deſiderauit, quod ordo iam ſit inuerſus, et aliter, quam Formula conuenta exprimat, mentio fiat ſigilli et ſubſcriptionis. Ad hoc reſpondit Secretarius Suecicus, eum nunc eſſe ſtilum Curiae Suecicae. Ille ſiluit. Recepit quilibet Secretariorum ſua Originalia, et in manus Dn. Mediatoris depoſuit, relaturus ſuo quiſque D. Principali, quid actum ſit. Hodie tandem Dn. Legatus Caeſareus de Liſola Dantiſcum venit.

Actum Dantiſci d. $\frac{31 \text{ Iulii.}}{10 \text{ Aug.}}$ *hor. XI antemerid.*

Abſoluto examine ratificationum ſupra nominatarum, Dn. Comes Schlippenbach cum Dn. Mediatore per Secretarium Legationis *von Schroeer* loquutus eſt ad domum eius de viſitatione Legati Polonici. Quum Dn. Rey communi ſtilo et obſeruantiae inhaerere velit, vt, qui

 prior

tur, Varſauiae inſtabat, fideiuſſorem quoque ſe iſti paci offerens. Aſt quum Houerbequius acerrime reniteretur, nec Neoburgicum hoc bello ita meritum; Poloni hunc, quam Electorem, offendere malebant. Nec placebat ſponſor pacis, qui viciſſim aliquid ſtipulaturus eſſet Reipublicae oneroſum: qui et alias tam potentem Rempublicam parum decebat, et quem Gallus ſocium adſpernabatur.

prior eſſet in loco, facta ab aduenicnte poſterius notificatione, is alterum prius inuiſeret, Dn. Comes oppoſuit, hanc regulam pati exceptionem, nec hac vice allegari poſſe: 1) Quod ſit ipſe tamquam hoſpes in ciuitate Regis Poloniae, ideoque vrbanitatem hanc illi a Dn. Legato Polonico deberi: 2) Quum inſtans actus tantum ſit continuatio prioris, et ipſe non mutato tempore hic ſemper in Pruſſia manſiſſet, et commutationem ratificationum exſpectaſſet: igitur 3) ordinem iam tangere Dn. Rey, ſiquidem Dn. Legati Suecici nuper, quum Pax Oliuae fuiſſet concluſa, Dnn. Polonicos poſterius in *Striz* inuiſiſſent. 4) Si illa communis regula adtendi debeat, forte Dn. Legatum Electoralem ab Houerbeck idem praetenſurum: quod autem Dn. Comes concedere minime poſſit. 5) In confidentia intimare dictum Secretarium iuſſerat Dno de Lumbres, diſparitatem perſonarum accedere, quum ipſe Senator ſit, Dn. Rey tantum Ordinis Equeſtris, ſine vlla fere extra hanc Commiſſionem officii publici functione. Id quod etiam monere Varſauiae Dn. Mediatorem per litteras voluiſſe, niſi vidiſſet impoſſibilitatem, ex Legatis ad pacem tractandam Commiſſariis, Senatorem mittendi, ſiquidem conſtet Dn. Leczinski venire non potuiſſe; Cancellarios Prazmowski et Pacium ab Aula abeſſe nequire; Dn. Lubomirski apud exercitum eſſe: ita vt tempori indulgendum hoc eſſe cenſuerit, quod alias ſemper obſeruatum ſit inter duo Regna Sueciae et Poloniae, nempe vt Senator Senatori adponeretur. Reſpondit Dn. Mediator: Se heri his de rationibus fere omnibus loquutum cum Dn. Rey, qui regulae et obſeruationi inter Legatos communiter receptae inhaereret, et videri illum reponere: 1) Quod hic locus habeatur pro tertio, etiam reſpectu Polonorum, et ſic haberi omnes hoc reſpectu pro peregrinis: 2) Non eſſe actum continuum; aliud enim tractare pacem eſſe, aliud concluſam exſequi: 3) Quare etiam ordo allegari nequeat; locum tractatuum Oliuenſem iam plane mutatum, immo deſiiſſe; ſe abfuiſſe, vti et reliquos Dnn. Legatos, tribus menſibus, et iam ex Aula Polonica ad actum commutationis ratificationum et exequutionem pacis a ſuis Clementiſſ. Dnn. quemlibet inſtructum huc veniſſe, ad locum conuentum inter Elbingam et Mariaeburgum ituros, niſi de conſenſu partium placuiſſet Gedani commutationem fieri. 4) Hoc iudicio vtriuſque Dn. Legati relinqui: et ad 5) ex ſeipſo reſpondit Dn. Mediator, perſo-

perſonam mittentis conſiderari oportere, non miſſi. Nihilominus, ſe ſtatim videre velle Dn. Rey, aut, ſi iam nimis prope ſit prandium, poſt meridiem, nullam operam hanc quaeſtionem decidendi intermiſſurum. Retulit Dn. Comiti Secretarius, et deinde mundari fecit, vt communicarentur Dn. Mediatori, quae notauerant in examine Inſtrumentorum praefatorum.

Eodem die, hora VI veſpertina.

Dn. Comes Schlippenbach dictum Secretarium iterum adire iuſſit Dn. Mediatorem, et percontari praemiſſis curialibus, quid in re modo praecedente reſolutionis exſpectandum? Ille reſpondit: Se longe diſſeruiſſe cum Dn. Rey, ſed nihil aliud illum declaraſſe, quam hodie ipſi Secretario dixerit; addidiſſe illum, Dnn. Polonos nuper ex ciuilitate, primos vidiſſe Dnn. Legatos Suecicos; ſi ſecunda id vice fieret, in poſterum pro poſſeſſione vel iure allegari poſſe: deinde etiam dixiſſe, quod dubitaſſet Varſauiae, ſuoſque collegas conſuluiſſet, qui omnino cenſuiſſent, quod primam viſitationem a Dn. Legato Suecico fieri oporteat: itaque ſe aliud audere non valere. Secretarius: Si Dn. Legatus Polonicus propoſito iſti inſiſtere velit, quid tandem expediat medii, quaeſiuit. Dn. Mediator reſpondit: Se vidiſſe illum ſatis firmum in ſua ſententia; noluiſſe tamen hanc reſolutionem ab illo accipere pro vltima. Putare, ſi neuter abſtinere vellet, expediens inueniendum, quod Dn. Comes ipſe nudius tertius propoſuiſſet, vt ſibi extra vrbem velut caſu obuii fiant, aut apud ſe Dn. Mediatorem, et ſe videant, licet et hoc omni non careat difficultate: melius fore, ſi ordinariae viſitationes fiant. Secretarius abiit, retulitque haec Dn. Comiti, quem craſtina die viſitare volebat Dn. Mediator. (Modus obuiandi, locum inuenit tandem; et deinde aliquoties colloquuti ſunt Dn. Comes et Dn. Rey.)

Actum Dantiſci d. $\frac{1}{11}$ Aug.

Circa tertiam pomeridianam Dn. Mediator Dn. Comitem Schlippenbachium viſitauit, interque alia etiam de complanatione et correctio-

rectione eorum, quae in Inſtrumentis examinatis perperam et vitioſe erant ſcripta, reſoluerunt, vt, quae omiſſa ſunt, manu Dn. Mediatoris, quia partium nemo Inſtrumentis ratificatis manum admittere auderet, ſuppleantur, et vitia corrigantur. Supra qua re deinde actus atteſtatorius, factum hoc eſſe conſenſu partium; daretur. Et conformare ſe, dixit Dn. Mediator, huic conſilio etiam Dnn. Rey et Houerbecke. Vbi Dn. Mediator abiiſſet, iuſſu Dn. Comitis eumdem adiuit Legationis Secretarius in ſuo diuerſorio, et primo adcuratius iſta, praeſertim quando conferendum ſit ſuper hoc, percontatus, deinde nomine praefati Dn. Comitis conſuluit, qua via et modo examinatio et commutatio Caeſarei Inſtrumenti Ratificationis fieri poſſit? Ad primum placuit hora octaua matutina craſtina: ſi tamen impedimenti quid intercedat, promiſit Dn. Mediator, quod Secretario indicari debeat. Ad ſecundum ſe declarauit, quod craſtino pomeridiano Dn. de Liſola, qui heri aduentum ſuum ipſi per nobilem Aulicum notificaſſet, videre, et ſuper ea re mentem eius experiri vellet: exiſtimare ſe, quod Dn. Secretarii Legationum facile in loco aliquo tertio Inſtrumenta primum conferre perendie queant, ita vt commutatio die Saturni proxima fieret. Retulit Secretarius Dn. Comiti, qui adprobauit, et praeterea iuſſit, vt cras apud Dn. Mediatorem reſponſum vrgeret ſuper poſtulatis de captiuis, de retraditioue vexillorum Strasburgicorum, et Comitis a Waldeck reſtitutione.

Actum Dantiſci d. $\frac{2}{12}$ Aug. in aedibus Dn. Mediatoris, ante et poſt meridiem.

Sequuntur, quae in collatione Originalium, ſiue exemplarium authenticorum Inſtrumenti Pacis Dnn. Legatorum Suecicorum, Polonicorum et Electoralium in pergameno ſubſcriptorum, notata veniunt. In Inſtrumento Pacis pro Dnn. Polonis pergameneo, a Dnn. Legatis Suecicis ſubſcripto, deprehenſa ſequentia. In Art. I. lin. 16. pro *Magdeburgi*, *in Pruſſia*, voluit Secretarius Brandeburgicus *Pruſſiae;* et perinde habitum. In Art. II. §. 5. lin. 8. *adplicata* pro *applicata* idem eſt. Art. v. §. 1. *eaque* deeſt, et perinde habitum: §. 3. *inprimiſque Liuoniam Suecicam* defuit; iam autem Secretarii Legationis Suecici manu in

in margine adpoſitum eſt. *Item accolas* pro *incolas*, correctum eiuſdem manu, quia vbique in omnibus Authenticis emendatum eſt vox *accolas* in *incolas*, diſcrepantibus et hoc *accolas*, illo *incolas* habentibus. §. 5. Hic diſcrepant exemplaria tam authentica, quam vulgaria. Nam Legatorum Suecicorum pergameneum pro Polonis habet *aut*: in typis impreſſo, et a Caeſareis reſtituto chartaceo, habetur *ac* etc. correctum deinde eſt in omnibus, *ac* in *aut* commutato. Art. XV. §. I. *Vbi* defuit; et additum iam manu Secretarii Legat. Suecici. Art. XXII. §. I. *et Principem Hereditarium* defuit: additum iam Secretarii manu Suecici. Art. XXIIII. §. I. iterum *et Principem Hereditarium* defuit: atque itidem additum manu dicti Secretarii Legat. Suecici. Ibid. *Brandeburgicum* pro *Brandeburgenſem*, perinde habitum. In I. Procurat. *conſentimus* pro *conſenſimus*, correctum manu dicti Secretarii Suecici. In II. Plenip. *Roſenberg*, pro *Roſersberg*, correctum eiuſdem manu. *Schouede* pro *Schöueda* manſit. Facta hinc reuiſio ſigillorum, quae ſine defectu reperta ſunt.

Inſtrumentum Polonicorum Dnn. Commiſſariorum, in pergameno ſubſcriptum pro Dnn. Legatis Suecicis, haec errata exhibet vlterius. In Plenipotentia Regis Poloniae, data Varſauiae d. XXIV Maii, MDCLIX. et ad calcem Inſtr. Pacis inſerta, *Dominos Dominos* bis repetitur: mutatum eſt manu Dn. Paſtorii poſterius in *Dominum*. In noſtro taliter exſtat ante finem *Dn. Dn.* et manſit, acceptatum ac ſi extaret *Dnis.* In Polonico, in tit. Dni Lubomirski eſt *Nizinenſem*, quod in aliis non exſtat, neque in ipſius Inſtrumenti prooemio: variationi temporis id adſcribitur, et manet. Item deeſt *Prazmowski.* Quia ſolent interdum breuiore titulo vti, hoc factum eſſe dixerunt Paſtorius et Deukouizius. *Cleſzcelenſis*, correctum eſt manu Dn. Paſtorii. In Plenip. Reipubl. Poloniae de An. MDCLIX. *Nos Senatus et Ordines:* eſt contra Formulam conuentam, vbi *Senatores.* Ibidem *nec non Sereniſſ. Principem Dn. Dn. Carolum Guſtauum,* deeſt *ac* vel *et:* addidit Dn. Paſtorius *ac.* Ibi quoque deeſt *Prazmowski*, vt ſupra. In Plenipotentia Regis An. MDCLX. *Cleſzcelenſis* deeſt. Adtribuitur iterum variationi temporis et tituli. In titulo Dni Lubomirski eſt *Nizinenſem*, vt ſupra: deeſt iterum *Prazmowski:* atque, vt ſupra, explicatum eſt a dictis Paſtorio et Deukouizio. *Rata grataque habituri:* ſubintelligi verbum auxi-

Digitized by Google

liare *ſumus*, interpretantur, et ita exſtat in Originali ipſo huius Procuratorii, Legationi Suecicae extraditi: itaque addi *ſumus*, non auſus eſt aliquis, ſed declarauit Dn. Mediator, defectum iſtum iam eſſe ſuppletum per ſubſequutam ratificationem ipſam. Notari quoque hic poteſt, quod Dn. Legatus Gyldenklau Inſtrumentum Pacis Oliuenſis Sedini, inſertis omnibus omnium partium Plenipotentiis, ſeu Procuratoriis, imprimi typis, poſt reditum ſuum ex Pruſſia, curauerit;* vbi quoque ita retentum eſt, neque verbum auxiliare additum. In Inſtrumento dicto pergameneo Dnn. Legatorum Polonicorum pro Suecicis Legatis raſurae ſunt ſequentes: In Prooemio in tit. Mediatoris eſt raſura in voce *la Cloye.* Ibidem raſura eſt in verbis: *Dn. Franciſcus, Liber Baro de Liſola.* Ibidem in verbis *Grumſdorf, Gerbero, Kegelſet.* Art. I. *Vandalorum:* item, *ſed utraque pars.* Art. II. §. 2. Raſura in voce *gaudeant.* Item raſurae in verbis, *ratione adhaeſionis hoſti.* Ibidem in verbis, *Ciuilibus.* §. 3. *Hoc bello.* Ibidem *R. M. Poloniae.* Ibidem raſura in verbis: *ab vtriuſque.* §. 4. Raſura in verbis, *cunctae actiones et inquiſitiones:* item in voce *eos.* Art. IV. §. 1. Raſura eſt in verbo, *Magnique:* item raſura in verbis, *Runen in mari ſitam, quas per idem* etc. Item in verbis, *in Eccleſiaſticis quam:* item in voce, *poſſeſſionis:* item *Oeſiliam.* §. 2. Raſura in voce, *exercitium.* §. 3. Raſura in verbis: *Equeſtris Ordinis in Liuonia Suecica.* §. 4. Raſurae in verbis: *modo non in:* item *tenuit inſtituto iudicialiter ſiue extraiudicialiter, ſi modo ſtatui:* item in voce *tum.* Art. V. §. 1. Raſurae ſunt in verbis, *Marienhauſen* etc. item, *fuiſſe per tempus induciarum Polonicae poſſeſſionis.* Item in verbis, *Poſſeſſione Sereniſſimorum:* item in verbis, *Sueciae.* §. 2. Raſurae in voce *Inſignibus*, item in verbis, *quam ſacrae*, item *eiuſque ſucceſſores.* §. 3. In voce *poſſit* raſura. §. 4. Raſura eſt in verbis, *Poloniae et Curlandiae.* Art. VII. §. 2. *Militiae Suecicae* raſura. Art. VIII. In fine raſura eſt in verbis, *nihilque exinde Reges Regnumque Sueciae.* Art. XIV. §. 1. Raſura in verbis, *Polonos, Suecos:* item in voce *Capitaneis.* Art. XV. §. 1. Raſura in verbis, *Liuoniae Suecicae.* Art. XXII. §. 1. circa fin. raſura in verbis, *de fortunis aut ſtatu ſuo decidiſſet:* item *aut:* item *earumque.* §. 2. Raſura

* Eam editionem, inter praeſtantiores, ſupra commemoraui, Obſeru. V. p. 242. Idque ipſum, quod hoc loco traditur ab auctore DIARII, confirmat me vehementer

ſura in verbis, *et Megapoli*, *occupata praeſidiis ſuis inſidentur:* item in verbo *Greiffenhagen*, raſura eſt bis in prima ſyllaba *Grei.* §. 3. in voce *intercesſerit.* Art. XXIII. Raſura eſt in voce *liberi:* item *Ratificationis:* item in verbis, *militiae nomina ſua.* Art. XXIV. §. 1. Raſurae in verbis, *Principem ac Dnum, Dn. Carolum:* item in verbis, *Heredes, ſucceſſores ac poſteros:* item in voce *prouinciaſque:* item *ſerioque.* §. 3. Raſura eſt in verbo *iuris:* item in voce *inimicitiae.* §. 4. Raſura in verbo, *Pacificationis.* Art. XXV. circa fin. raſurae in verbis, *pro ſe, heredibus* etc. Art. XXVI. in princ. raſurae ſunt in *etc. etc.* et verbis ſeq. *loca omnia, quae in Pomerania hocce:* item in verbis *Greiffenhagen:* item *et é.* item *Sereniſſ. Regem Sueciae:* item *utriuſque Generales vel eorum locum tenentes intra tempus ratihabitionibus:* item *tamen ne in praememoratis:* item in voce *cuiquam.* Art. XXVII. Raſura in voce *intra:* item in verbis, *et ab utraque parte.* Art. XXX. Raſura eſt in verbis, *extradita fuerint.* Art. XXXIII. Raſura eſt in verbis, *omnium belligerantium:* item *cuiuſque proprios.* Art. XXXIV. No. 3. Raſura eſt in voce *Reginae.* No. 6. in voce *limites*, eſt raſura. No. 8. in voce *ac* eſt raſura. Art. XXXV. §. 1. Raſura eſt in voce *ſe:* et in voce *guarantiam* duae litterae *u. a.* item *communibus armis.* Ibidem §. 2. *partem ab altera vel plures a pluribus:* item in verbo *recurrere:* item in voce *qua.* §. 4. Raſura eſt in verbis, *actibus retundantur.* Art. XXXVI. Raſurae in verbis, *Nauarrae:* item in verbis, *dictus Dn. Legatus.* In Inſtrumento Dnn. Brandeburg. Legatorum pro Dnn. Suecicis deprehenſa et obſeruata ſunt. In ingreſſu: *Brandeburgicum*, pro *Brandeburgenſem.* Item *Kerbinken* in Brandeb. *Herbingken* in Suecico: item *conſtitutus*, pro *conſtituta:* item *Vaſa*, pro *Waſa:* item *Leſchno*, pro *Leſzno:* item *Corſchunenſis*, pro *Corſunenſis:* item *Colowrat*, pro *Colourat: Grundſdorf*, pro *Grumſdorf.* In Art. V. §. 1. *eaque* deeſt. In eod. Art. §. 5. *aut*, pro *ac* bene poſitum eſt. In Art. XIV. §. 2. *Ordaſque*, pro *Hordaſque:* quod tamen idem. In Art. XXIV. §. 1. in Brandeburgico, *Principem Halberſtadienſem et Mindenſem:* quod eſt in noſtro *Halberſtadii et Mindae.* In Art. XXV. circa fin. *Heredibuſque*, pro *Heredibus.* In Art. XXXIV. *Foederatis*, pro *Confoederatis.* Item *inter*, pro *intra.*

menter illa in coniectura, in quam me tum adduxerat ANDR. SCHOTIVS, Scabinus Gedanenſis, Hiſtoriae patriae ſcientiſſimus, nuper fatis functus.

Digitized by Google

Errata, examinatis, auſcultatis et reuiſis hiſce, et praecedentibus omnibus, in Dnn. Commiſſariorum Suecicorum et Electoralium pergameneis Authenticis, manibus Secretariorum Legationis Suecicae et Electoralis correcta ſunt, et in Dnn. Polonicorum Dnn. Suecicis dato Originali in pergameno, ab omnibus Plenipotentiariis Polonicis, excepto Dno Lubomirski, ſubſcripto, et ſex ſigillis in capſulis argenteis adpenſis roborato, manu Deukouizii. Ea vero, quae in ratificatis Inſtrumentis corrigenda, vel omiſſa addenda fuerunt, emendauit, et ſuppleuit Dn. Mediator manu ſua, exceptis iis, quae cum Caeſare commutanda fuerunt: ibi enim hoc munere functi ſunt Secretarii Legationum. Quoad cetera, videantur huius Partis Protocolla d. $\frac{30\ \text{Iul.}}{9\ \text{Aug.}}$ item $\frac{31}{10}$ eorumdem, item $\frac{6}{16}$ Aug. quid, et a quo correctum, quid manſerit, et quibus declarationibus factum ſit. De permutatis inter Suecicos et Caeſareos Legatos exemplaribus authenticis, tam in charta, quam deinceps pergameno, vid. in Protoc. P. IV. Illuſtr. Dn. Comes Schlippenbachius, quum Secretarius *von Schroeer* Suae Excellentiae tot errata, et fere intolerabiles in nonnullis raſuras deprehendi retuliſſet, admiratus eſt ſiue negligentiam et incuriam, ſiue etiam in quibuſdam forte malitiam. Quum autem mutari eſſet impoſſibile, inſeruiendum tempori cenſuit; et quia nec noſtra omnibus carerent erratis, licet tam grandibus naeuis non ſcateant, compenſationi locum dandum eſſe dixit. Notetur: voces *Originale*, *Authenticum*, *Exemplar authenticum*, immo de ſubiecta materia *Exemplar* abſolute, verbi cauſſa in Epilogo ipſius Inſtrumenti Pacis, pro ſynonymis in hiſce Protocollis habenda. In hac quoque conferentia, tam ante quam poſt meridiem, nomine Dn. Legati Electoralis Brandeburgici Secretarius Legationis Hempelius declarationem petiit Dn. Legati Suecici, ratione verborum *amicos et Foederatos*, in inuitatione ad guarantiam. Secretarius Suecicus, referre ſe velle Illuſtriſſ. Dn. Comiti a Schlippenbach, dixit. Id quod etiam fecit, et ſimul retulit, quod Dn. Legatus ab Houerbecke iam huius ipſius rei cauſſa cum Dn. Legato de Lumbres loquutus ſit, qui opus fore declaratione iudicaret. Illuſtriſſ. Dn. Comes rem trahendam eſſe, quo vſque fieri poſſit, reſoluit, Secretariumque, vt moram reſponſi necteret, et vbi vel Dn. Mediator, vel Secretarius Brandeburgicus, reſponſum vrgeret, aut obliuione, aut non data occaſione referendi ſe excuſet, inſtruxit.

Actum

Digitized by Google

Actum Danti∫ci, eodem die $\frac{2}{12}$ Aug.

Nomine Suae Excellentiae Dn. Comitis Schlippenbachii loquutus eſt Secretarius Suecicus cum Dn. Mediatore, et reſponſum poſtulauit Dn. Legati Polonici, ſuper reſtitutione captiuorum noſtrorum: 2) Declarationem Dn. ab Houerbeck, Legati Electoralis, ſuper retraditione vexillorum, plenariaque militis reſidui et duorum tormentorum Strasburgicorum reſtitutione; et deinde vt deſideriis Dn. Comitis a Waldeck ſatisfiat. Reſpondit ad 1. ſe loquutum cum Dn. Legato Polonico, qui declarauerit, quod Rex et hoc in puncto ſatisfacere Inſtrumento Pacis velit: poſtulare, vt a noſtra quoque parte idem fiat; dicere Polonos, quod ad tres Legiones ipſis debeantur. Secretarius totas naues Polonorum ex Dania iam miſſas in Pruſſiam dixit, ex Polonia Suecum ne vnum quidem adhuc rediiſſe. Ad 2. reſpondiſſe Dnum ab Houerbeck, ſicut nuper. Secretarius: Hanc declarationem ſatis non eſſe; poſtulare Dn. Comitem reſtitutionem. Ille: Firmiter declaraſſe Dn. Houerbeck, quod ad vexilla non ſint obligati; immo nec illa in rerum amplius natura exiſtere: annon igitur Dn. Comes quieſcere velit, ſi per Inſtrumentum quoddam declaretur, ea vexilla amplius non exiſtere. Secretarius ignorare ſe mentem Dn. Comitis reſpondit, velle eidem hoc referre. Ad 3. Dn. Mediator reſpondit: Se, loquutum cum Dn. Legato Electorali Varſauiae, accepiſſe reſponſum, quod nuper ipſi Secretario Suecico dederit, ſcilicet in beneficia Eccleſiaſtica praefatum Dn. Comitem a Waldeck reſtitutum fore;* ſi aliud praetendat, quoad officia ſcilicet, quibus functus fuerit apud Dn. Electorem, obtrudi id Suae Serenitati non poſſe, vtpote non in arbitrio Dni conſiſtentem. Retulit Illuſtriſſ. Dn. Schlippenbachio haec Secretarius. Deinde etiam Dn. Mediator eidem Secretario Suecico dixit, quod Miniſter Hiſpanicus Dn. Luciani eum heri viſitauerit, et dixerit, ſe habere mandatum ad guarantiam Regis Catholici, litteraſque praeterea a Dno de Fuentes ad Dn. Comitem Schlippenbachium; nolle autem eas tradere, antequam factus fuiſſet certus de non reportanda repulſa: ideo rogaſſe Dn. Mediatorem, hac de re cum Dn. Comite loqui vellet, promiſiſſe-

* Et reſtitutum tandem fuiſſe, patet ex iis, quae ſupra adtuli, p. 396. n.*

miſiſſeque ſe ipſi, quod Secretario Legationis Suecicae hoc intimare velit, vt hic mentem Dn. Comitis exploraret, vel, vt erant ipſius Dn. de Lumbres verba, expiſcaretur. Faceret itaque, ab eodem Secretario petiit, addens, quod Dn. Luciani non vrgeret, vt iam ſtatim oblata guarantia per ſollemne Inſtrumentum acceptaretur, modo Dn. Comes ad referendum acciperet. Reſpondit Secretarius Suecicus, ſe experturum; retulitque Dn. Comiti, qui iuſſit, vt reſponſum poſcenti Dno de Lumbres redderet, quod, ſi Dn. Luciani ipſum conueniret, eumdem non auditum repellere nequeat; guarantiam iſtam accipiendi non habeat mandatum; velit autem ad Aulam Suecicam hoc notificare. Significauit hoc Secretarius Suecicus poſt prandium Dno de Lumbres, quem Dn. Comes Schlippenbach circa quintam veſpertinam viſitauit ipſe, et inter alia hac quoque de re cum ipſo loquutus eſt.

Actum Dantiſci d. $\frac{2}{12}$ Aug.

Poſtquam Dn. Legatus de Lumbres heri Secretario Suecico intimaſſet, Dn. de Liſola declaraſſe, quod commutationem ratificationum Suecicae cum Caeſarea fieri eo modo, ſicut Oliuae Inſtrumentorum, per Secretarios Legationum neceſſe ſit, interea examen per Secretarios in loco aliquo tertio, ſuper quo illi conuenire poſſent, fieri queat, retulit hic Dn. Comiti Schlippenbachio, qui conſenſit. Igitur quum rediens ex ſuburbio in vrbem Suecicus Secretarium Caeſareum in ſuo Suecici Secretarii Legationis diuerſorio inueniſſet, conuenit cum ipſo, quod vellet inquirere de domo quadam; faciat ipſe idem, vt hodie circa ſeptimam congredi poſſemus matutinam. Et Suecicus quidem impetrauerat hypocauſtum in domo, *der Schipper Güldehaus* dicta, hodieque hora ſexta matutina Secretario per Amanuenſem id notificauit. Sed

* PASTORIVS quidem in Diario Pac. Oliuenſ. p. 305. *Boehmium* ſcripſit. Fuit is profecto vir plane inſignis, vrbis Gedanenſis primum, vt vocant, Secretarius, dein quinto et quinquageſimo Seculi ſuperioris anno inter Scabinos, atque aliquot poſt annos in Ampliſſimum Ordinem cooptatus. Neque conſiliis ſolum, et fide, et induſtriae adſiduitate profuit rei publicae, ſed etiam litterarum, quas olim iuuenis in Academia Lipſica hauſerat, ſtudio, et ſcriptis probis atque vtilibus, quorum alia in lucem exierunt, velut *Diſcurſus de re monetaria Regni Poloniae,*

Digitized by Google

Sed ille reſpondit, ibi hoſpitium fuiſſe Danicorum Miniſtrorum, item in praeſens Ablegati Megapolitani; inueniſſe aliud conclaue egregium apud Dn. Scabinum *Behm*,[c] quod non dubitet nos habituros eſſe. Placuit: et ambo petiuimus a Dn. *Behm*, vt nobis ad aliquod horas accommodaret. Id quod ipſi pergratum fuit, et libentiſſime nobis conceſſit.

Actum ibid. e. d. hora VIII matut. in Behmii aedibus.

Quum igitur congreſſi eſſemus in praefatis aedibus, legere coepimus Ratificata, Caeſareum nobis dandum, et noſtrum Caeſari dandum. Item Reip. Polonae Ratificatum pro Suecia: ſiquidem defectu auſcultantium, nuper tantum auſcultatum eſt in Dn. Mediatoris domo illud, quod Poloni dant Electori. Item hac ipſa vice quoque reliqui hic Secretarii aderant, et auſcultata ſunt Inſtrumenta ratificata inter ſe commutanda reliqua. Inuenti autem ſunt defectus et notanda, quae ſequuntur, a Secretario Suecico obſeruata: In Caeſareo Ratificato pro nobis exſtat *etc.* poſt *Sclauonia*, item poſt *Carniolae etc.* e contra omiſſum eſt in fine tituli poſt *Salinarum*. Prius eſt expunctum, alterum eraſum et correctum, tertium additum. In Prooemio *Mozeby* pro *Moreby*, in Caeſareo Ratificato pro nobis, correctum eſt. In tit. Dn. Pacii *Oſtricenſis* pro *Oſtrinenſis*, in Caeſareo Ratificato pro nobis, correctum eſt. Ibid. in Caeſ. *Dzno* pro *Dreno*, correctum eſt. In Polon. Reip. pro nobis raſura eſt in tit. Regis noſtri Art. I. In Caeſareo Ratific. pro nobis raſura eſt in Art. II. §. 5. in verbo *intentetur*, nec eadem manus eſt, item magnus ibidem hiatus vel ſpatium inter modo dictum verbum *intentetur*, et ſequentis periodi principium, *Bona vero immobilia:* nihil tamen deeſt. In Regio Polon. et Reip. Caeſareis dando Ratificato, defuit

loniae, item *de indigenatu ſincera Collatio Iurium et priuilegiorum Poloniae et Pruſſiae Regiae, ad ſopienda Statuum diſſidia;* alia adhucdum in ſcriniis latent, in hiſque *Informatio pro Secretariis in Aula degentibus*, item Diſquiſitio Theotiſce perſcripta, ſuper incluſione Vrbis Dantiſci in Tractatum Elbingenſem: neque enim aliam putauerim indigitari hoc titulo, *Ob die Stadt Danzig die Incluſion in den Vertrag zwiſchen Schweden und den Herrn Staaten - - annehmen könne?* Conf. Narratio de vita Michaelis Behmii a Behmenfeld, in Celeberr. HANOVII Collectaneis Pruſſicis, (*Preuſſiſche Sammlung*) T. II. P. XI. p. 650 ſqq.

Digitized by Google

deſuit *omnibus actionibus*, Art. v. §. 5. in fine, et additum eſt. In Reip. pro Caeſareis, omiſſum *Caſtra*, Art. III. item in fine, *et vtentur:* additum eſt vtrumque. In Caeſareo et Poloniae Reip. Ratific. pro nobis Art. v. §. 1. *Reſp. Polona*, in aliis *Poloniae*, vt ante apud Dn. Mediatorem perinde habitum eſt. In Caeſareo Ratific. pro nobis, *accolas* pro *incolas*, Art. v. §. 3. correctum eſt, vti et in reliquis omnibus. In Reip. Ratific. pro nobis Art. VII. §. 3. *eorumque* pro *earumque:* correctum deinde eſt per Dn. Legatum Mediatorem. In Reip. Art. VIII. *et Prouinciis* deſuit *et*, adpoſitumque per Dn. Mediatorem. In Reip. Polon. pro Caeſareis Ratific. Art. XXXIV. §. 4. deſuit, *et ſigillatione:* additum eſt. In Reip. pro Caeſareis Art. XXXV. §. 1. in principio deſuit *ſecurior:* additum eſt. In Reip. pro nobis Art. XXXV. §. 2. fin. *in quo*, aliis *in qua:* et correxit Dn. Mediator *in qua.* In Ratific. Suecica nihil deſideratur quoad ingredientia, niſi quod Caeſareus Secretarius monuit, nominationem Electorum et Principum Germaniae eſſe generalem; ſpecificari debere: item quod non ſubſcripſerit hoc Authenticum pro Imperatore Illuſtriſſ. Dn. Regni Sueciae Theſaurarius. Ad primum Secretarius Suecicus reſpondit nihil: alterius cauſſam explicauit, abſentiam ſcilicet Illuſtriſſ. Dn. Regni Theſaurarii tunc, quum ſecunda vice exemplar pro Caeſare, ob tituli abbreuiationem, ſubſcriberetur. (Vid. ſupra $\frac{30\ \text{Iunii.}}{10\ \text{Iulii.}}$ MDCLX.) In ipſa ratificatione Reip. pro nobis ita poſita ſunt haec verba: *nec paſſuros a noſtris et Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae Vaſallis, Officialibus ac ſubditis vllo modo violari.* In Formula conuenta autem illa verba ſonant: *nec paſſuros, vt ab vllo Reip. Statu, Vaſallo, officiali aut ſubdito, quouis modo violentur.* Quum explicarentur iſta, 1) *Reip. Statu*, non eſſe de ſtilo Cancellariae Polonicae: 2) ſub *Vaſallis, Officialibus et ſubditis*, omnes Ordines Reip. intelligi: declarationem in ſcripto petiit, nomine Illuſtriſſ. Dn. Comitis a Schlippenbach, a Dn. Legato Polonico Secretarius *von Schroeer.* Ille autem velut ſuperfluum recuſauit, etiam quum per Dn. Mediatorem poſtea vrgeretur. Tandem tamen mutatum eſt $\frac{5}{15}$ Aug. et $\frac{6}{16}$ eiuſd. actui atteſtatorio ſuper erratis inſertum hoc modo: *nec paſſuros ab vllis Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae Statibus, Vaſallis.* Imperator inuitat Regem Catholicum, (idque allegatis longe recenſitis rationibus,) quod etiam eſſe contra Formulam Ratificationis conuentam, interpretari

Digitized by Google

tari quis poſſit, Art. XXXIV. Inſtrumenti Pacis, vbi No. 8. quod nulla vox aut ſyllaba immutari debeat. Secretarius Succicus tam Polonicum, quam Caeſareum Secretarium hac de re monuit; et relaturi eramus quiſque ſuo Dn. Principali, ſimul exſpectaturi, quid Dn. Schlippenbach, et Dn. de Liſola velint, quoad correctionem eorum, quae in Suecico pro Caeſare, et Caeſareo pro Suecia neceſſaria erunt; vtque conueniretur hora tertia pomerid. iterum iiſdem in aedibus Scabini Behmii, condictum fuit.

Actum eodem, poſt prandium, hora II.

Retulit Illuſtriſſ. Dn. Comiti Schlippenbachio ſupra adnotata Secretarius: et ille 1) exiſtimauit, quod manu Secretariorum Legationum, deficiente inter Sueciam et Caeſarem Mediatore, corrigerentur corrigenda, et actus fieret atteſtatorius, a Legatis vtrimque ſubſcriptus: 2) Quae in Formula Ratificationis Reipubl. deſiderantur, adaequari oportere per Dn. Mediatorem: 3) Quae inſerta ſunt contra conuentionem in Caeſarea Ratificatione, vbi viderit, ſe reſoluturum: interea putabat, praeuia proteſtatione, quod haec non aliter intelligantur vel acceptentur, ac ſi verbotenus Formulae conuentae correſponderent, accipienda eſſe: non enim propterea remorari poſſe commutationem Ratificationum: poſſe quoque conſuli Dn. Mediatorem de Lumbres, qui etiamſi Mediatorias partes inter Caeſarem non ſuſtineat, tamen, quum ſeſe inuicem videant, cum Dn. de Liſola hac de re conferre. Exequutus eſt haec iuſſa Secretarius *von Schroeer* ſuo vnumquodque loco, et hoc modo dubia iſta ſunt compoſita.

Actum eodem, hor. IV pomerid. in iiſdem aedibus Behmianis.

Correcti ſunt per Secretarios Legationum defectus memorati in Caeſareo Ratificato pro Suecia: item in Ratificatis inter Caeſarem et Polonos. Hac vice Brandeburgicae Legationis Secretarius in aurem inſuſurrabat Secretario Suecico, non dubitare Dn. Legatum Electoralem, Elbingam Suae Serenitati certo ceſſum iri. Cui ille: Ipſum Brandeburgicum Secretarium vidiſſe iam, et Suae Excellentiae Dn. Legato

 Electo-

Electorali quoque communicatam eſſe Ratificationem in Originali Articuli illius Separati; vbi etiam commutatio ratificationum facta fuerit, Elbingam S. R. M. Sueciae praeſidio euacuatum, et, ſecundum Inſtrumenti Pacis tenorem, iuſto tempore reſtitutum iri. Ille: Suam Serenitatem Electoralem paratam in omnibus ad ſatisfaciendum, quae ad Pacis exequutionem et eiuſdem deinde fidelem conſeruationem ac manutentionem requirantur; ſi autem ipſi Elbinga non tradatur, Eamdem nec vnicum in Pomerania locum ceſſuram. Secretarius Suecicus, vti reſponderat, reſpondit. Quum abſoluiſſemus correcturas modo commemoratas, inuicem Originalia Caeſarea et Electoralia (noſtra enim et Polonica iam nudius tertius alteri alter communicaueramus, et deinde, vbi inſpexiſſent Dnn. Legati, Dn. Mediatori reſtitueramus,) tradidimus ad videndum a ſuo cuiuſque Dn. Principali, cum expreſſa reſeruatione, ne vim iam tum haberet commutationis. Contulitque ſe Secretarius Suecicus ad Dn. Comitem a Schlippenbach, et traditis ipſi iſtis duobus Originalibus, receptiſque hodie ab eodem communicatis ipſi Polonicis, iſta, quae occaſione Elbingae Secretarius Electoralis loquutus eſſet, retulit. Qui reſpondit, Electorem neutiquam Elbingam accepturum; et, ſi ille loca in Pomerania reſtituere nolit, dixiſſe Dn. de Lumbres, quod Poloni ſe nobiſcum ſtatim coniuncturi, et eumdem ad reſtitutionem compulſuri ſint.*

Actum Dantiſci d. $\frac{3}{13}$ et $\frac{4}{14}$ Aug.

Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legatus Mediator triduo et biduo ante permutationem Ratificationum, inter Sueciam et Poloniam, Secretariis Legationum in conclaui ipſius congregatis notificauit, quod Ablegatus Megapolitanus vrgeat ſatisfactionem tranſitus exercituum annis hiſce facti, integrum relinquens, an Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Principali quilibet ſuo id indicare, eorumque reſolutionem requirere vellet. Reſpondit Suecicus, ſe ad hunc actum permutationis tantum inſtructum, et quae inde dependeant; hanc vero rem huius materiei non

* PVFENDORFIVS Rer. Brandeb. Lib. VIII. §. 80. p. 532. *Equidem in Pace diſpoſitum erat, vt quatuordecim dies poſt traditam Elbingam tria Pomeraniae oppida, Wollinum, Dammum et Greiſenhaga, Succis redderentur. Sed negabat Lum-*

non eſſe; credere etiam ioco tantum iſta proponi; de cetero non dubitare, quin Illuſtriſſ. Dn. Comes Schlippenbach ipſi Dn. Ablegato, qui eius Excellentiam viſitaſſet, pro neceſſitate reſponderit. Conformant ſe Polonicus et Electoralis Brandeburgicus Secretarii: Caeſareus autem, vtpote Mediationem Gallicam non agnoſcente Imperatore, non aderat. Quippe quae inter Legationem Suecicam et Caeſaream agenda occurrebant, mediate per Polonos ad Mediatorem, et inde ad Suecicos deferri hactenus receptum fuit, praeſertim tempore Tractatuum Oliuae. Dn. Mediator, rogatu praefati Dn. Ablegati ſe haecce monere voluiſſe; poſſe nos data occaſione Excellentiis Suis ea referre. Se reſpondiſſe Ablegato, nimis ſero haec poſtulari. Facturos reſpondimus, ſimul atque commodum foret. Altera vice, ſequenti videlicet die, ſubridens hiſce Formalibus coepit repetere heſterna Dn. Mediator: "Domini, Ablegatus Megapolitanus a Vobis omnibus poſtulat ſatisfactionem." Reſponſum eſt partim, adhuc non fuiſſe datam occaſionem, partim obliuioni traditum, partim adhuc relationem fieri. Suecicus retulit Dn. Comiti; et Dn. Mediator nihil vrſit amplius. Quid autem Illuſtriſſ. Dn. Comes Schlippenbach reſponſi loco tribuerit, ſine dubio ipſi S. R. M. et Regimini retulit.

Actum Dantiſci d. $\frac{4}{14}$ Aug. hora IV pomerid.

Iuſſu Dn. Comitis Schlippenbachii, cum Dn. Legato de Lumbres loquutus eſt Secretarius Suecicus, quomodo conciliari poſſint Articuli de reſtitutione Elbingae, quum Art. VII. diſponat de ea facienda quotriduo poſt ipſam commutationem; Art. XXII. et XXVI. vero loquatur de tempore, quo locorum in Pomerania fieri debet euacuatio, quod eſt inter duas ſeptimanas a commutatis ratificationibus. Reſpondit Dn. Mediator, agitatam quoque fuiſſe hanc quaeſtionem Varſauiae, loquutumque ſe eſſe cum Dn. Rey, qui dixiſſet, Articulum illum VII. loqui de Polonia, cui fieri reſtitutio debeat; ſi igitur Suecia hoc nitide obſeruet, bonam fidem quemlibet agniturum eſſe. Si autem dif-

Lumbranus Electori fas eſſe haec oppida ob Elbingam detinere. Nam Suecos, deducto Elbinga praeſidio, pactis ſatisfeciſſe: an autem eadem Electori tradatur, Suecos non tangere, quibus et Polonorum facta praeſtanda haud ſint. —

ferre euacuationem velit, fateri ſe, Articulum XXII. et XXVI. controuerti poſſe: et conſilium deciſiuum reliquit in medio Dn. Mediator. Retulit haec Illuſtriſſ. Dn. Comitis Excellentiae Secretarius, quae eodem inſtanti obuiatura quaſi ex improuiſo erat Dn. Legato Polonico. Quum enim de prioritate viſitationis quaeſtio, cuius ſupra facta eſt mentio, dirimi non poſſit, expediens hoc inuentum fuit, vt Dn. Rey Oliuam iret, et Dn. Comes Schlippenbach in confinia pagi *Stritz* exſpatiaretur, ac deinde obuii ſibi facti, abſque vlla ceremonia vterque Legatus curru deſcenderent, et inuicem conferrent. Quod factum eſt, ſtante, ſicut e curru proſilierat, non mutato vel ad dextram vel ad ſiniſtram loco, in duas fere horas; vbi maxime de Elbinga et foedere Moſcouitico ſermo fuit, ſicuti deinde Illuſtriſſ. Dn. Comes Dno *Weydenhayn*, et Secretario *von Schroeer* narrauit.

Actum Dantiſci d. $\frac{5}{15}$ *Aug.*

Mentionem facit Protocollum d. $\frac{3}{13}$ Aug. verborum: *vt ab vllo Reip. Statu, Vaſallo* etc. in clauſula obligatoria Ratificationis Reip. Poloniae. Iſta hodie per Dn. Mediatorem, conſentientibus intereſſatorum Legatis, ita mutata ſunt, (velut etiam in actu atteſtatorio Erratorum, d. $\frac{6}{16}$ Aug. videre eſt,) *ab illis Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae Statibus, Vaſallis* etc. Defectus in S. R. M. Ratificatione Articuli Separati de Elbinga notatus eſt. In ipſo Art. Separato, vbi poſt verba, *Sua Serenitate Electorali,* omiſſum erat *Brandeburgica;* quod Illuſtr. atque Excell. Dn. Mediator ſuppleuit. Iam facta eſt erratorum hiſce diebus confuſe adnotatorum et praecedentibus Protocollis inſertorum ſeparatio, ita vt, quae in vnoquoque exemplari authentico fuerant deprehenſa, illa eidem exemplari ſubiicerentur, mediante ſpeciali Formula, vna cum Dn. Mediatore a ſingulis Dnn. Legatis, et ſub finem debito loco ab illius Legationis Secretario ſubſcripta et ſubſignata, in hunc modum. Et quidem in exemplari ratificato Suecico pro Electore adpoſita haec ſunt: "Poſtquam examinatum eſt hocce praeſens Inſtrumentum, aliquae raſurae in illo detectae ſunt, errataque manu ſcribentis commiſſa, deprehenſa, quae ſequuntur. (Specificata ſunt errata.) Quibus nihilominus erratis de conſenſu partium per Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Legatum Mediatorem correctis, iiſque, quae in raſuris, ſiue

ſiue veris, ſiue praetenſis, exſcripta ſunt, adprobatis, commutatio facta eſt huius Ratificationis Regiae Suecicae cum Ratificatione Electorali Brandeburgica. In quorum fidem cum alte memorato Dn. Legato Mediatore ſubſcripſit Illuſtriſſ. et Excell. Dn. Legatus et Plenipotentiarius Sereniſſ. Regis Sueciae. Actum Gedani, die decima ſexta menſis Auguſti Anno Dni milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo.“ —

In aliis taliter. “Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo, die $\frac{6}{16}$ Aug. Poſtquam errata manu ſcribentis in hoc Inſtrumento deprehenſa, (quorum catalogus hic ſubiicitur,) de conſenſu partium per Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Legatum Mediatorem fuerunt correcta, raſuraeque notatae et adprobatae, commutatio huius Ratificationis N. N. facta eſt cum Inſtrumento Ratificationis N. N. In quorum fidem etc. — In Ratificato Reipubl. Poloniae ita: “Extradita eſt Ratificatio Legationi Suecicae: — et ſic mutatis mutandis in reliquis factum eſt, quae inter Sueciam, Poloniam, et Electorem reciproce commutanda erant, et etiam pro Gallia extradenda a partibus Mediationem illam agnoſcentibus. Formula ſpecialis Inſtrumentis cum Caeſare commutandis, et vice verſa, inſerta eſt talis: “Poſtquam errata manu ſcribentis in hoc Inſtrumento deprehenſa, (quae hic infra ſubiiciuntur,) de conſenſu partium per Legationum Secretarios fuerunt correcta, commutatio huius Ratificationis Suecicae cum Caeſarea facta eſt. Gedani d. $\frac{6}{16}$ menſis Aug. An. MDCLX.“ *Catalogus Errorum.* — Huc-uſque tantum concepta fuit haec Formula: monuit autem Secretarius Suecicus, quod adprobauit Illuſtriſſ. Dn. Comes Schlippenbachius, indecorum fore, Legatum immediate erratis ſubſcribere, et Epilogum, qui ſequitur, concepit, eumque Secretario Caeſareo communicauit, qui per Amanuenſem reſpondit, conſentire Dn. Legatum Caeſareum: et ita retentus eſt. “In fidem maiorem Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legatus Suecicus (Caeſareus) manu ſua ſubſcripſit, et ſigillum ſuum imprimi iuſſit. Actum anno, loco et die, quibus ſupra.“ Originali ſuper Articulo Separato inſerta haec ſunt: “In hoc Originali, quod commutato ſollemni Ratificationis Regiae Suecicae Inſtrumento, cum Ratificatione Sereniſſ. Electoris hodie quoque extraditum eſt, Illuſtr. atque Excell. Dn. Mediator verbum, *Brandeburgica*, de conſenſu partium manu ſua in margine poſuit. Actum Gedani

die $\frac{6}{16}$ Aug. M.DCLX." Iſta hodie omnia parabantur, vt die craſtina, vna cum actu generali atteſtatorio Erratorum, (qui in Protocollo continetur d. $\frac{6}{16}$ Aug.) ſubſcriberentur, et deinde fieret Ratificationum permutatio. Iuſſu Illuſtr. Dn. Comitis a Schlippenbach, Secretarius Legationis Suecicus quoque, tam apud Dn. Legatum de Lumbres, quam Secretarium Legationis Polonicum, et Secretarium Legationis Brandeburgicum, iterum mentionem fecit Principiſſae Radziuiliae, vexillorum et Comitis Waldeccii. Paſtorius Dn. Legato Polonico, Secretarius Hempelius Dn. Legato Electorali ſe relaturos, Dn. Legatus Gallicus autem cum vtroque Legatorum ſe loquuturum promiſerunt.

Actum Dantiſci d. $\frac{6}{16}$ Aug. hora X antemerid. in aedibus Dn. Legati de Lumbres.

Ante coeptam conferentiam, modo memoratus Dn. Legatus Gallicus Secretario Suecico litteras Dn. Vice-Campi-Mareſchalli *von der Linde* d. $\frac{4}{14}$ huius menſis, Elbingae datas, quas Illuſtr. Dn. Comes Schlippenbachius Suae Excellentiae communicauerat, retradidit, retulitque, ſe cum Dn. Legato Polonico Rey de tempore euacuationis loquutum,* diuerſiſque rationibus perſuaſoriis vſum fuiſſe: neutiquam autem dictum Dn. Legatum Polonicum moueri potuiſſe, vt conſentiret, quo praeſidium Suecicum a die craſtina, octiduum adhuc Elbingae commoraretur; conſenſiſſe tandem, vt illud ibi remoraretur vſque ad diem Sabbati proximum, qui ab hodierno erit dies quintus a permutatione Ratificationum, quam hodie fieri non dubitaretur. Conceſſiſſe etiam, vt eductus miles in pago proximo ſtationem caperet, et ipſis triduum vel quatriduum, negotiorum ſuorum cauſſa, itus reditusque in vrbem et ex illa pateret. Dn. de Lumbres quidem Dno Rey propoſuiſſe, vt potius in ſuburbio manſio concederetur: eum vero, rem haud carituram adprehenſione et inconuenientiis, exiſtimaſſe. Retulit hoc Illuſtriſſ. Dn. Comiti praefatus Secretarius, dicenti, impoſſibile fore, vt

* Erat autem Reio res Elbingana a Ioh. Caſimiro Rege commiſſa, rogatu ipſius Electoris Brandeburgici. Nam is, vt PVFENDORFIVS refert Rer. Brandeb. Lib. VIII. §. 78. p. 530. *Pace Oliuae abſoluta, Houerbequium Varſauiam miſit, vbi in Iunium menſem Conuocatio ſuper firmanda Pace indicta erat. Ei iniunctum*

vt die Saturni fieret euacuatio; poſt octiduum autem, a die craſtino computandum, illam certo futuram ſe promittere. Reportauit hoc idem Secretarius Dn. Legato de Lumbres, qui Dn. Rey nullo modo ſibi hoc perſuaderi paſſum eſſe reſpondit, cauſſam addens, quod praeſidium Polonicum in motu ſit, et Thorunio egreſſum iam Graudentum itinere ſuperauerit, locumque illud capientem praeter Elbingam nullum eſſe. Iterum retulit Illuſtriſſ. Dn. Comiti Schlippenbachio Secretarius, et ille ſcripturum ſe ad Dn. *von der Linde* reſoluit, vt, quantum poſſit, opus euacuationis iuſto tempore maturaret. Saepe dictus Secretarius Legationis Suecicus etiam a Dn. Mediatore, ex Articulo XXXVI. Inſtrum. Pacis poſtulauit Ratificationem Regis Chriſtianiſſimi ſuper guarantia. Ille reſpondit: Regem ſuum ratificationem adhuc mittere non potuiſſe, quia nuper tandem ad S. R. M. Varſauia miſerit Authentica, a Dnn. Commiſſariis Legatis Plenipotentiariis ſubſcripta: tranſmiſſurum etiam Regem Ratificationes, vbi permutatio facta eorumdem fuerit. Dn. Akakiae exemplar ſtatim Sobothi a Legatione Suecica traditum eſſe, regeſſit Secretarius. Ad hoc vero Dn. Mediator nihil reſpondit. Perrexit Secretarius: De alte memorati Chriſtianiſſimi Regis Ratificatione iſta dubium tamen non eſſe. Immo Suam Maieſtatem ratificaturam, reſpondit Dn. Mediator, ſed non ante, quam eidem de ratificatione paciſcentium conſtiterit. Retulit Illuſtriſſ. Dn. Comiti Schlippenbachio Secretarius. Ille nihil huius rei cauſſa mandauit vlterius. Conuenerunt Secretarii in aedibus Dn. Mediatoris, cui ſtetit ſententia, vt hodie fieret Ratificationum permutatio: et itaque, ſi adhuc aliquid ſuperſit, ante actum iſtum conficiendum, maturaretur ac perficeretur, voluit, quo poſt prandium operi demum toti finis imponeretur.

Actum Gedani d. $\frac{6}{16}$ Aug.

Quum Secretarii retuliſſent ſuo quiſque Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dnn. Dnn. Principalibus, Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dno de Lumbres in

ctum, Polonos exemplum Pacis ab hiſce ſubſcriptum et ratihabitum pro Electore poſcere. — Tum vt Delegatum ad Elbingam tradendam peteret Vladislaum Reium, qui antea ſingulari ſtudio in Electorem oſtentato operam ſuam in eam rem obtulerat.

Digitized by Google

in medium conſulente, a quo nec Dn. Legatus Caeſareus diſſenſit, ſuper Formula communi actus erratorum conuentum eſt, in hunc fere modum: "Anno MDCLX. die XVI Aug. Poſtquam Inſtrumenta Ratificationum Tractatus Oliuenſis a Secretariis Legationum omnium partium paciſcentium ſimul congregatis examinarentur, in dictis Inſtrumentis errata manu ſcribentium hic illic commiſſa, ab iiſdem Secretariis deprehenſa, atque ea quidem, quae inter Regias Maieſtates Poloniae et Sueciae, tum Suam Serenitatem Electoralem, commutanda erant, praeſente Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dn. Legato Mediatore, ac pleraque manu etiam ipſius emendata; Caeſarea vero, et quae cum eadem Caeſarea Legatione a ceteris partibus omnibus commutanda erant, per Secretarios cuiuſque Legationis correcta, eorumque omnium Catalogus de conſenſu partium hic ſubiectus, et Principalium quidem Electoraliumque praedicti Dn. Legati Mediatoris, cetera vero Secretariorum Caeſareae et reliquarum Legationum manu ſubſcripta ſunt: et in Inſtrumento quidem Polonico Regio reperta ac correcta ſunt errata ſequentia — In Inſtrumento Polon. Reip. correcta ſunt ſequentia — In Inſtrumento Suecico correcta ſunt ſequentia — In Inſtrumento Caeſareo correcta ſunt ſequentia — In Inſtrumento Electorali correcta ſunt ſequentia.— Facta videlicet vbique inſertione ſpecificatorum erratorum, et deinde actum claudente hoc epilogo: Quo autem maior hiſce fides ſit, vna cum praefato Dn. Mediatore Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legatus N. N. manum ſuam hic ſubſcripſit, ſigillumque proprium ſciens adponi fecit. Actum vt ſupra." Vbi in his, quae inter Sueciam et Imperatorem, Eumdemque ac Poloniam et Electorem commutanda eſſent, omitteretur Mediatoris mentio, et fieret Epilogus talis. "Quo autem maior his fides ſit, Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legatus Suecicus, Polonicus, Caeſareus, Electoris Brandeburgicus, manu ſua ſubſcripſit, et ſigillum ſuum adponi iuſſit. Actum Gedani, anno, die, vt ſupra." Quia vero Secretarius Suecicus monuit, quod in quibuſdam inter ſe paſſim Originalia differant, poſito vocabulo alio pro alio eiuſdem ſignificationis; interdum etiam tranſpoſitionibus occurrentibus, et alibi nonnullis omiſſis, alibi poſitis, verbi gratia, *ac* pro *et*, *et* pro *que*, et vice verſa, ſaepe ponatur: item *Ratihationes* pro *Ratificationes;* item *Reſpubl. Polona*, quod in aliis

inuc-

inueniatur *Polonia: Regnum Sueciae*, in aliis *Suecia; Pruſſiae Dux*, in aliis *in Pruſſia Dux: Princeps Hereditarius*, in quibuſdam poſitum, in quibuſdam omiſſum ſit: item pars *Liuoniae Auſtralis*, in quibuſdam additum *Eaque Auſtralis; Tranſactio pacis*, in aliis *pacis tranſactio; Imperium Romanum*, in quibuſdam *Romanum Imperium; Reſtituantur ſuis quiſque dominis,* alibi *reſtituantur ſuis quique dominis:* item *tum, tum;* in aliis *tam, quam* etc. Item occurrunt in titulis Dnn. Legatorum errata, vt *Herbingken*, pro *Herbinghen; Schoueda,* in aliis *Schoweta; Kegelſet,* in aliis *Kegels;* et plura eiuſmodi alia: item in Prooemio Ratificationis in nonnullis Originalibus, *quorum tenor eſt, qui ſequitur;* in nonnullis, *quorum tenor eſt talis;* in nonnullis, *inierunt, ſtatuerunt et concluſerunt.* In Procuratorii Reipubl. apographis ad Inſtrumenti calcem ſubiectis alibi exſtet, *Nos Status et Ordines;* alibi, *Nos Senatus et Ordines:* debuerit autem ſcribi, *Nos Senatores et Ordines:* quod errorem ſcribentis interpretati ſint, et manſerit. Inſerta huic actui et illa ſunt, cum annexa declaratione, ſiquidem iſta idem notent, nec ſenſui detrahant, vel conuentioni contrarientur, eadem correctioni omnia ſubiicere minus e re videri, ſed potius ad euitandum tot maculas et raſuras, perinde haberi. Igitur conſentientibus Dnn. Legatis omnibus, mutatis mutandis confecta eſt ſcriptura, vel actus ſuper erratis eiuſmodi: "Anno milleſ. ſexcent. ſexageſ. die decima ſexta menſis Aug. Quum Inſtrumenta Ratificationum Tractatus Oliuenſis a Secretariis Legationum omnium partium paciſcentium ſimul congregatis examinarentur, in dictis Inſtrumentis errata manu ſcribentium hic illic commiſſa, ab iiſdem Secretariis deprehenſa, atque ea quidem, quae inter Regias Maieſtates Poloniae et Sueciae, tum Suam Serenitatem Electoralem commutanda erant, praeſente Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legato Mediatore, ac pleraque manu etiam ipſius emendata; S. Caeſ. M. vero, et quae cum Eiuſdem Legatione a ceteris partibus omnibus commutanda erant, per Secretarios cuiuſque Legationis correcta, eorumque omnium Catalogus de conſenſu partium hic ſubiectus, et Regum quidem Reipublicaeque Poloniae, praedicti Dn. Legati Mediatoris, cetera vero Secretariorum Caeſareae et reliquarum Legationum manu ſubſcripta ſunt, et in Inſtrumento quidem Polonico Regio pro Rege Sueciae: In Art. I. lin. 2. in tit. Regis Poloniae omiſſum erat ſemel *Dominum*, et corre-

ctum eſt *Dn*. Art. v. §. 1. raſura eſt in verbis *Marienhauſen*, item *fuiſſe per tempus induciarum Polonicae poſſeſſionis*. Ibid. fuit *Reſbublica*, et deleta eſt ſyllaba *bu*. Art. vi lin. penult. raſura eſt in verbis, *Regiam Maieſtatem Regnumque Sueciae in futurum*. Art. xiv. §. 1. lin. penult. deletum eſt *de*. §. 2. raſura eſt in voce *Chamum*. Art. xxvi. raſura eſt in verbis, *eodem tempore*. Art. xxxii. §. 2. fuit *Electores*, correctum *Electorales*. Pro Caeſare: In Prooemio *Mozebii* mutatum in *Moreby*. In verbo *Hylinge* eſt raſura. Art. II. §. 2. *Et* eſt eraſum. Ibidem §. 5. additum eſt *omnibus*. Art. III. raſura eſt in verbis, *Regiones, ditiones et ciuitates*. Art. iv. §. 3. correctum eſt *et*. Art. xxii. §. 1. raſura eſt in verbis, *ſed quicumque ex ſola cauſſa*. Art. xxiii. *libere* mutatum in *liberi*. Art. xxvi. §. 2. additum eſt *ſua*. Pro Electore Brandeburgico: In Haranga poſt *Scepuſienſis* additum eſt *Chnicelnicenſis*. Art. II. §. 4. loco *ſeruitii o*, poſitum *ſeruitiis, o* in *s* mutato. Art. v. §. 1. poſt *Marienhauſen* additum *etc*. §. 4. loco *quiſque* poſitum eſt *quique*. Art. vii. additum eſt *ſſ. 1*. Art. xiii. loco *ſit*, poſitum *erit*. Art. xxii. additum *ſſ. 1*. Art. xxxv. §. 2. loco *quo*, poſitum *qua*. §. 3. loco *tum*, poſitum *tunc*. §. 4. loco *extra*, poſitum *citra*. Deſiderata Plenipotentiae Regiae in abſentia Amanuenſis, qui hoc ipſum Inſtrumentum ſcripſerat, cum conſenſu partium manu Dn. Deukouizii, Notarii Cancellariae Maioris Regni, adſcriptae ſunt. Reipubl. Poloniae pro Rege Sueciae: Art. I. in titulo Regis Sueciae raſura eſt in verbis, *Sereniſſ. et Potentiſſ. Principem ac Dominum, Dn. Carolum, Suecorum*. Art. II. §. 1. *aut per ſe*, pro *aut per ſuos*, eſt correctum. Art. v. §. 3. in verbis, *ſi quas*, raſura eſt. Art. xxiv. lin. 4. raſura videtur in verbo, *poſteros*. Art. xxxv. §. 1. raſurae videntur lin. 2. in verbo *foederata*, vt et in voce *guarantiam*. Ibidem lin. 6. verba, *firmiſſimi ſpondentes:* item paullo poſt vox *ſummum* videtur eſſe raſura. Ibidem §. 4. raſura eſt in vocibus, *cauſſa actus*. Art. xxxvi. raſura eſſe videtur in verbo *fideiuſſor*. Ibidem correctum eſt in ſyllaba vocis *guarantia:* ibidem raſura videtur in verbo *pactorum*. Ibidem diuerſae raſurae et correcturae ſunt, in tota periodo vltima: *Integrum quoque erit paciſcentibus omnibus, eandem Chriſtianiſſimi Regis guarantiam et fideiuſſionem ſuſcipere, et alios quoque in tempore ratihabitionis ad idem officii genus inuitare, et denominare Principes ac Poteſtates*. In ipſa Ratificatione, raſurae videntur in verbis: *ideo Principes et Status a S. R. M. ad praeſtandam guarantiam inuitatos*.

Digitized by Google

tatos. Art. XXXVII. raſurae videntur in verbis, *ſi quis Regum, Principum, nec non Rerumpubl.* In ipſa Ratificatione, et quidem clauſula obligatoria poſitum fuit, *nec paſſura a noſtris et Regni Poloniae Magnique D. Lithuaniae Vaſallis, Officialibus ac ſubditis ullo modo violari*: correctum eſt manu Dn. Mediatoris, *nec paſſuros ab ullis Regni Poloniae Magnique Duc. Lithuaniae Statibus*, *Vaſallis* etc. In ipſa Ratificatione, raſura eſt in verbis, *cauemuſque et promittimus Diplomata Ratificationis huius Pacis* — Art. VII. §. 3. *earumque*, quod fuit *eorumque.* Art. VIII. inſerta eſt particula *et*, poſt verbum *exercitibus.* Art. IX. inſerta eſt eadem particula *et*, poſt verba, *quo ex Regno Poloniae.* Art. XXIV. §. 3. lin. 1. correcta ſunt verba, *ita ut.* Pro Imperatore: In Prooemio, *Mozebii* correctum eſt *Moreby.* Ibidem *Gylinge*; correctum eſt *Hylinge.* Ibidem *nominis*, correctum eſt *Numinis.* Ibidem *Corporium*, correctum eſt *Coporium.* Art. I. *ab utrinque*, deletum eſt *ab.* Art. II. §. 2. *et* deletum eſt. Ibidem §. 2. additum eſt *omnibus*, quum ante omiſſum eſſet. Art. III. additum eſt *caſtra.* Ibidem additum eſt, *et utentur.* Art. IV. §. 4. in verbo *aeque* raſura eſt. Art. VIII. additum eſt *et.* Art. XV. §. 3. additum eſt *hoc.* Art. XXII. §. 1. additum eſt *de fortunis.* Art. XXIII. § 1. *libere*, correctum eſt *liberi.* Art. XXIV. raſura eſt in verbo *Pruſſiae* etc. Ibidem §. 4. additum eſt *is.* Ibidem raſura in verbo *reſtituitur.* Ibidem *amniſtiae*, correctum eſt *pacificationis.* Art. XXV. additum eſt *ultimo.* Ibid. *aut*, correctum eſt *et.* Ibidem *perpetuum*, correctum eſt *aeternum.* Art. XXVI. poſt verbum *Serenitatis*, additum eſt *Electoralis.* Ibidem correctura eſt in verbo *Sleſuicenſi.* Art. XXXIII. *cuiuſcunque*, correctum eſt *cuiuſque.* Art. XXXIV. §. 4. additum eſt *ſigillatione.* Art. XXXV. additum eſt *ſecurior.* Ibidem §. 4. raſura eſt. Art. XXXVI. additum eſt *in.* In Ratificationis Formula, poſt verbum *Comitiis* additum eſt *generalibus.* Pro Electore: Art. II. §. 1. *aut per ſe*, correctum *aut per ſuos.* §. 4. *fuerunt*, correctum eſt *fuerint.* §. 5. additum eſt *omnibus.* Art. III. poſt *ciuitates*, additum *caſtra.* Art. IV. §. 1. ante *arcibus* deletum eſt *et.* Art. V. §. 1. poſt *Lützen*, additum *etc.* §. 4. loco *quoque*, poſitum *quique.* Art. IX. loco *Originalium obligatione*, poſitum *Originalium obligationum productione*, Art. XXII. §. 2. loco *argumentis*, poſitum *fundamentis.* Art. XXIII. loco *libere*, poſitum *liberi.* Art. XXV. loco *in perpetuum*, poſitum *in aeternum.* Art. XXXI. loco *tractetur*, poſitum *tractentur.* Art. XXXV.

Digitized by Google

§. 4. loco *extra*, poſitum *citra*. Art. XXXVI. poſt verba, *Rex Sueciae*, inſertum eſt *ut*. Item loco *intra*, poſitum *inter*. In Ratificatione, loco *ſub*, poſitum *ſubdito*. Regis Sueciae pro Rege Requepubl. Poloniae: In praefatione poſt verba: *ex Ordine vero Equeſtri*, additum eſt *Dominus*. Art. II. §. 4. *fuerunt*, mutatum eſt in *fuerint*. Art. V. §. 1. *Deputatos*, mutatum eſt in *Deputandos*. Ibidem raſura eſt in voce *Poloniae*. Ibidem §. 3. *accolas*, mutatum eſt in *incolas*. Ibidem §. 5. *ac*, mutatum eſt in *aut*. Art. XIV. §. 1. ſub finem deletum eſt *de*, ante *generalibus*. Art. XVI. *Koenigſmarchius*; mutatum in *Koenigſmarkius*. Art. XXII. §. 3. *ſtabilitur*, mutatum eſt in *ſtabitur*. Art. XXXII. additum eſt *ac*, quod fuerat omiſſum. Ibidem vox *negociationis* correcta eſt. Art. XXXIV. correcta eſt vox *ſubſcribatur*. Art. XXXV. *Tractationem*, mutatum in *tranſactionem*. Ibidem §. 1. raſura eſt totius lineae, et inde verbum *conſenſum*, mutatum eſt in *conſenſu*. Ibidem §. 1. *quo*, mutatum eſt in *qua*. In ipſa Ratificatione, raſura duorum verborum. In Procuratorio 2. *Inſtr.* pro *Inſtitum* correctum eſt. In Procuratorio eodem, addita ſunt duo vocabula, *conuenienter ſopiendo*. Ibidem raſura eſt in verbis *Inſtrumenta inuicem*. Pro Imperatore: In Prooemio, in titulo Dn. Comitis Colourat fuit *Richenau*, et correctum eſt *Reichenau*. Art. IV. §. 1. poſt verba, *Reges Regnumque Sueciae*, defuit *que*, et eſt additum. Ibidem §. 4. fuit *aut*, et correctum *haut*. Art. V. §. 5. in fine poſt verba, *nullo inde iure*, fuit *ac*, correctum *aut*. Art. XIV. §. 1. in fine deletum eſt *de*. Art. XVIII. fuit *iacent*, correctum *iaceant*. Art. XXIII. fuit *liberati*, correctum *libertati*. Art. XXV. bis defuit particula *in*, poſt verba, *ſciſſis et:* additum autem vtrobique. Art. XXXII. §. 2. In principio fuit *tu et:* correctum eſt *tam*, expuncto *et*. Art. XXXIV. No. 5. fuit *Diploma*, et correctum eſt *Diplomata*. Art. XXXV. §. 1. fuit *Eiudemque*, correctum eſt *Eiuſdemque*. Pro Electore: In Art. I. *Aliguſtum*, mutatum in *Auguſtum*. In Art. II. §. 4. *adſtricti fuerunt*, mutatum *fuerint*. Art. V. §. 3. *accolas*, mutatum in *incolas*. §. 5. *ac*, mutatum in *aut*. Art. VII. §. 2. raſura in verbis *Elbinganis*, et *indilata*. Art. XIV. §. 1. *De* deletum eſt ante verbum *generalibus*. Art. XVIII. *in Pruſſiae et Poloniae templis*, mutatum *in Pruſſia et Polonia templis*. Art. XXII. §. 2. omiſſa ſunt ſequentia verba in contextu, *nec non etiam quoad bona mobilia*, et adpoſita in margine per Amanuenſem. Art. XXVI. omiſſum eſt in contextu *Electoralis*, et ſupra lineam

Digitized by Google

neam inſertum per Amanuenſem. Art. xxxv. §. 4. *artibus*, mutatum in *actibus*. Art. xxxvi. in verbo *fideiuſſorum*, expunctae duae extremae litterae *u* et *m*. In clauſula ratificationis, raſura in verbis *Rex et*. In Ratificatione Regis Sueciae Articuli declaratorii pro Electore: In Articulo ipſo omiſſum erat, in titulo Electorali, verbum *Brandeburgica*, et additum per Illuſtr. Dn. Mediatorem. In Inſtrumento Imperatoris, pro Polonia: In praefatione *Mozeby*, mutatum eſt in *Moreby*. Ibidem *Dzenou*, mutatum eſt in *Drenow*. Ibidem *nominis*, mutatum eſt in *Numinis*. In Art. III. *literiis*, mutatum eſt in *litteris*. In Art. iv. §. 1. raſura in voce *vi*. Ibidem *ad*, mutatum eſt in *ac*. Ibidem Art. v. §. 3. *accolas*, mutatum eſt in *incolas*. In Art. vii. §. 1. *Rigpublicae*, mutatum eſt in *Reiquepublicae*. In Art. viii. *iis*, mutatum eſt in *iiſque*. Ibidem *Commentationum*, mutatum eſt *commutationem*. In Art. II. *exortae*, fuit *extortae*. In Art. xiv. §. 1. circa finem deleta eſt vocula *de*, ante *generalibus*: Ibidem §. 2. *Prouinciis*, mutatum in *Prouincias*. In Art. xvi. in fine penes *ut et*, deletum eſt *et*. In Art. xviii. *Officilium*, mutatum eſt in *Officialium*. In Art. xxxv. §. 2. *quo*, mutatum eſt in *qua*. Pro Suecia: In Prooemio, in titulo Imp. *etc.* poſt verbum *Sclauoniae* expunctum eſt: item poſt verba *Carniolae* eraſum, et in fine tituli poſt verbum *Salinarum* additum eſt. Ibidem *Mozeby*, pro *Moreby*, eſt correctum. Ibidem in titulo Dn. Pac, *Oſtricenſis*, pro *Oſtrinenſis*, eſt correctum. Ibidem *Dzenou*, pro *Drenou*, eſt correctum. In Art. II. §. 5. in verbo *intentetur*, eſt raſura, et magnum ſpatium inter praefatum verbum et ſequentis Periodi initium: nihil tamen deeſt. Art. v. §. 3. *Accolas*, pro *Incolas*, correctum eſt. Pro Electore: In Haranga bis fuit *nominis*, pro *Numinis*. In Art. II. §. 3. fuit *accolas*, correctum eſt *incolas*. In Art. xiv. §. 1. ante verbum *generalibus*, particula *de* deleta eſt. In Art. xxiv. §. 1. Titulus Sereniſſ. Electoris Brandeburgici abbreuiatus fuit; et correctus per Secretarium Legationis. In Art. xxxiv. No. 1. fuit poſt verbum, *Legati*, *Mediationis*; correctum eſt *Mediatoris*. In Art. xxxvi. defuit ante verbum *maiori*, particula *pro*, addita eſt. Ceterum notatum eſt, quod in quibuſdam inter ſe paſſim Originalia differant, poſito vocabulo alio pro alio eiuſdem ſignificationis, interdum etiam tranſpoſitionibus occurrentibus, et alibi nonnullis omiſſis, alibi poſitis: verbi gratia, *ac* pro *et*, *et* pro *que*, et vice verſa, ſaepe ponitur:

Digitized by Google

item *Ratihabitiones*, pro *Ratificationes:* item *Reſpubl. Polona*, quod in aliis ponitur *Polonia; Regnum Sueciae*, in aliis *Suecia; Pruſſiae Dux*, in aliis *in Pruſſia Dux; Princeps Hereditarius* in quibuſdam poſitum, in quibuſdam omiſſum: item *pars Liuoniae Auſtralis*, in quibuſdam additum eſt *eaque Auſtralis; tranſactio pacis*, in aliis *pacis tranſactio; Imperium Romanum*, in quibuſdam *Romanum Imperium; reſtituantur ſuis quiſque dominis*, alibi *reſtituantur ſuis quique dominis:* item *tum tum*, in aliis *tam quam* etc. item occurrunt in titulis Dnn. Legatorum errata, vt *Herbingken* pro *Herbinghen; Schouede*, in aliis *Schoueda; Kegelſet*, in aliis *Kegels*, et plura eiuſmodi alia: item in Prooemio Ratificationis in nonnullis Originalibus, *quorum tenor eſt*, *qui ſequitur;* in nonnullis, *quorum tenor eſt talis;* in nonnullis, *inierunt*, *ſtatuerunt et concluſerunt.* In Procuratorii Reipubl. apographis ad Inſtrumenti calcem ſubiectis alibi exſtat, *Nos Status et Ordines*; alibi *Nos Senatus et Ordines:* debuit autem ſcribi *Nos Senatores et Ordines:* quod errorem ſcribentis interpretati ſunt, et manſit. Quae quum idem notent, nec ſenſui detrahant, vel conuentioni contraria ſint, eadem adtendere atque correctioni ſubiicere minus e re viſum, ſed potius propter euitandum tot maculas perinde habitum fuit. Quo autem maior hiſce fides ſit, vna cum praefato Dn. Mediatore Ill. atque Excell. Dn. Legatus Electoralis Brandeburgicus manum ſuam hic ſubſcripſit, ſigillumque proprium ſciens adponi fecit. Actum Gedani anno et die, vt ſupra. —

Similia exemplaria authentica mut. mut. Legationi Suecicae Polonica et Caeſarea, et e contra Legatio Suecica ceteris. Nihil autem mutatum eſt in exemplaribus, niſi quod Legatus, qui ſubſcripſit, quoad ordinem et mentionem, praepoſuit ſuum Dominum, vt alias quoque fieri ſolet: deinde quod in illis, quae cum Caeſare a partibus, et contra, permutata ſunt, non fiat mentio Dn. Legati Gallici, vt ſupra modo dictum eſt. Huius actus exemplaria authentica tria, pro Polonia videlicet, Electore et Gallia, ſubſcripſerunt Dn. de Lumbres, et Dn. Comes a Schlippenbach, et ſub finem Secretarius Legationis *von Schroeer.* Atque vnum deinde pro Caeſare Dn. Comes Schlippenbachius ſolus, et vna debito loco praefatus Secretarius. Idem factum eſt in his, quae a parte Polonica nobiſcum et cum Electorali Legatione commutabantur, vbi Dn. de Lumbres et Dn. de Rey, et debito loco

loco Secretarius Polonicus, Dn. Paſtorius, ſubſcripſerunt: omiſſo Dn. Mediatore in illo, quod Dn. Legato Caeſareo tradendum fuit. Similiter Dn. Legatus Gallicus et Dn. Legatus Electoralis, atque ſuo loco Secretarius Legationis Hempel, illud authenticum, quod nos accepimus, et illud quod Legato Polonico datum eſt, ſubſcripſerunt. Iſtud autem, quod Imperatoriae Legationis debebatur, et traditum eſt, ſubſcripſit Dn. Legatus ab Houerbecke ſolus, et poſtea modo dictus eiuſdem Legationis Secretarius. Dn. Legatus autem de Liſola, quae ipſe nobis, Poloniae et Electori dedit, ſolus ſupſcripſit, et poſt eum loco debito Secretarius Legationi Caeſareus a Valtheimt. Sigillum quilibet nomini ſuo adpoſuit: et huius actus ſeu ſcripturae tot Originalia, ſeu exemplaria authentica, confecta et inuicem commutata ſunt, quot ſunt Ratificati Inſtrumenti Pacis Originalia confecta et permutata.

Actum Dantiſci, eodem die $\frac{6}{16}$ Aug. poſt meridiem.

Examinatis, peractis et paratis, quae habent praecedentia Protocolla, ad commutationem Ratificationum pertinentibus omnibus, quum ita nudius tertius fieri nondum potuiſſet, de modo et tempore conuentum eſt, vt hodie Originalia Ratificata inter Sueciam et Poloniam, Dnumque Electorem Brandeb. in aedibus Dn. Legati Gallici Mediatoris praeſentis, et quidem per eumdem ipſum permutarentur; quae vero inter Sueciam et Imperatorem commutanda erant, taliter inuicem extraderentur, vt hora v. aut vi. veſpertina vterque Dnn. Legatorum permutationi illi vacaret, mouentibus ſe ſimul ex amborum diuerſoriis, e diametro, via publica plateae eiuſdem interiecta, ſibi oppoſitis, (ita vt ex alterius porta proſpectus in aedes alterius pateret) Secretario Legationis Suecico et Caeſareo, occurerentque ſibi in medio plateae ſub tiliis ibi conſitis, et ſic Caeſareus Dn. Legatum Suecicum Comitem de Schlippenbach adiret, eique Ratificationem Caeſaream, Suecicus vice verſa Secretarius Ratificationem Regiam Suecicam Dn. Legato Caeſareo de Liſola in manus factis curialibus redderent. Quum igitur Secretarius Legationis Caeſareus Suecicum certiorem feciſſet, Dn. de Liſola, qua hora id commodum foret, vel vi. ad accipiendam Ratificationem Regiam Suecicam paratum eſſe, poſtquam Suecicus

Secre-

Digitized by Google

Secretarius Caeſareo prius notificaſſet, Dn. Comitem de Schlippenbach eodem tempore ſimiliter, vt ipſi Caeſarea Ratificatio adferretur, exſpectaturum, nihil aliud quam plenariam hodie commutationem fore Illuſtriſſ. Legatus Comes Schlippenbachius ſperabat. Et his ita paratis, Secretarius Suecicus adiuit Dn. Legati de Lumbres diuerſorium, vbi omnes Secretarii, praeter Caeſareum, fuerunt congregati; ſed vbi acceſſerat, a Brandeburgico intellexit, quod commutatio haud fieri poſſit, ante datam a Dn. Comite promiſſam declarationem, ſuper inuitatis Germaniae Electoribus, Principibus et Statibus, amicis et confoederatis S. R. M. Sueciae. Miſit itaque Suecicus ad Secretarium Caeſareum ante quintam iam, qui nondum aderat. Iterum miſit ad eumdem, qui reſpondit, ſe a Dn. Legato de Liſola intellexiſſe, primum declarationem promiſſam exſpectari. Secretarius Suecicus miſit Cancelliſtam, qui regereret, hoc eſſe nouum, antea non petitum a parte Caeſarea, vrgeretque commutationem. Reſponſum retulit, hodie fieri non poſſe, quia Dn. de Liſola iam curru exſpatiatum iturus ſit; et ita quoque Legationis Polonicae Secretarius haeſitare coepit,* alias ad permutandum paratus, coenante interea Dn. Mediatore. Nunciauit Secretarius *von Schroeer* hoc Illuſtriſſ. Dn. Comiti, qui inſtare iuſſit. Ille igitur circa ſeptimam vrſit in conclaui Dn. de Lumbres commutationem; ſi Brandeburgicam non obtinere poſſet, tamen inter Partes Principales illa fieret; et Dn. Mediator, qui viſerat Dn. Comitem Schlippenbachium, rediens hanc dixit eſſe mentem quoque Dn. Comitis. Rogauit iterum Suecicus Secretarium Brandeb. qui reſpondit priora. Adiuit Dn. Comitem Secretarius Suecicus, et haec retulit denuo. Ille ſubſcripſit actum commutationis et erratorum correctorum, et declarauit, ſe iam nolle declarationem dare ſuper inuitatis ad guarantiam Statibus; ſponte voluiſſe; iam quia videat extorquere illos velle, non teneri ſe, qui potius teſtetur, ſi per hoc communicationi Ratificationum mora iniiciatur, Sueciae imputandum fore nihil; damnum autem inde emerſum merito refuſurum, qui moram hanc necteret. Ratificationem S. R. M. Sueciae in tempore

* Quod boni ominis loco habuerunt, quamquam non tacti ſuperſtitione veterum, inprimis Germanorum: de quibus TACITVS de M. G. c. XI. ait: *Coeunt, niſi quid fortuitum et ſubitum inciderit, certis diebus, quum aut inchoatur luna, aut*

Digitized by Google

pore vna cum Articulo declaratorio ſeparato de Elbinga aduenifſe, nec vel minimam cunctationem ex parte Suecica eſſe. Euacuatio locorum tam in Pruſſia, quam Pomerania, Holſatia et Megapoli, ſi vel prorſus impediretur, vel tantum ſuſpenderetur, incommoda innumera inde reſultura, quae tantillum Dn. Legati Electoralis dubium compenſare tot intereſſatis non poſſet. Secretarius *von Schroeer* in aedibus Dn. Mediatoris, et ipſo quidem praeſente, haec propoſuit, et, vt fieret permutatio, inſtantiſſime poſtulauit. Secretarius Brandeburgicus hoc audito ſtatim ſe recepit ad Dn. Legatum ab Houerbecke; ſed commutabantur per manum Dn. Legati Mediatoris eodem momento Ratificatio Regia, Suecica cum Regia et Reipubl. Poloniae Ratificationibus; factaeque hinc inde congratulationes et vota perennitatis. Ominoſum dixit Dn. Legatus de Lumbres, omnes iſtos actus ſollemnes fieri *die Lunae;* cui Secretarius Suecicus ſubiecit, et quidem excepto Promulgationis actu, *Luna creſcente;*[*] Paſtorius addidit, *et veſperi.* Perrexit Suecicus, diem finitum, et bella finita eſſe; incipere iam nouum amicitiae ſeculum. Concluſa autem et publicata fuit Pax Oliuae, die Lunae hora dimidia duodecima noctis; die Lunae quoque ſubſcripta hora dimid. vndecima noctis; iam Ratificatio die Lunae, hora dimid. nona veſpertina inter Sueciam et Poloniam commutata. Quibus addi poteſt, quod ante hoc ipſum octiduum, die Lunae initium factum ſit examinis et reuiſionis Ratificationum. Depoſuimus Originalia reliqua, cum Imperatore et Electore adhuc commutanda, Suecica et Polonica in manus Dn. Mediatoris, vbi etiam Electoralia manſerunt.

Facta permutatione iſta, Secretarius Suecicus quaeſiuit ex Secretario Polonico, quem aut quos S. R. M. Poloniae et Reſpubl. Polona ad guarantiam inuitent? Nominaturum adhuc Dn. Legatum Rey, reſpondit. Dum non rediret Secretarius Brandeburgicus, Secretarii Suecicus et Polonicus abierunt, et prius quidem ille ad Illuſtriſſ. Dn. Comitem Schlippenbachium, hic ad Dn. Legatum Polonicum, et factam inter Partes Principales permutationem Ratificationum, nunciauerunt;

aut impletur. Nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt. Nec dierum numerum, vt nos, ſed noctium computant. Sic conſtituunt, ſic condicunt. Nox ducere diem videtur.

uerunt; patente adhuc, rogatu Dn. Legati Mediatoris, portula pro Secretariis in vrbem redituris ad ſua ſingulis hoſpitia. Poſtquam abiiſſent, paullo poſt redierat ille, et audita permutatione cum Polonis facta, abiit. Dn. ab Houerbecke autem ſtatim ad Dn. Rey miſerat, vt ſeſe interponeret. Qui fecit, obuiantibus ſibi inuicem, ſplendente luna, poſt horam nonam iam veſpertinam, ipſo et Dn. Comite Schlippenbachio. (Vid. ſequens Protocollum diei $\frac{7}{17}$ Aug.) Extradita igitur hodie ſunt: Ratificatio Pacis Oliuenſis Regis Poloniae pro Suecia; Ratificatio eiuſdem Pacis Reipubl. Poloniae pro Suecia; Inſtrumentum dictae pacis, a Dnn. Legatis Commiſſariis Plenipotentiariis Polonicis in pergameno ſubſcriptum: quae duo priora de menſa, in qua poſita erant, ex manu Dn. Legati de Lumbres, poſterius autem ex manu Paſtorii, ad hunc actum Secretarii Legationis Polonicae, accepit Secretarius Suecicus: Ratificatio memoratae pacis Regia Suecica pro Polonia; quam ſimiliter de menſa ex manu Dn. Legati Mediatoris vno eodemque momento accepit Secretarius Legationis Polonicus: Inſtrumentum Pacis Oliuenſis, quod Dn. Legati Suecici ſubſcripſerant in pergameno; quod praefatus Secretarius Polonicus ex manu Secretarii Legationis Suecici accepit.

Actum Dantiſci d. $\frac{7}{17}$ Aug. horis a VII antemerid.

Secretarius Suecicus hora dimid. ſeptima miſit Amanuenſem ad Secretarium Caeſareum, qui notificaret commutationem Ratificationum inter S. R. M. Sueciae Regemque et Rempubl. Poloniae heſterna veſpera factam, rogaretque, quid exſpectandum ſit de permutatione Ratificationis Caeſareae? Reſpondit ille, ſe ex eo, quod heri contulerimus, aliud mandatum ab Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Legato de Liſola accepiſſe; commutationem videlicet fieri poſſe, vbi Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legatus Suecicus, Dn. Comes a Schlippenbach, declarationem deſideratam et promiſſam extradiderit. Denuo miſit Secretarius memoratus, notificauitque, declarationem iſtam Illuſtriſſ. Dn. Comitem iam non daturum, ſed potius proteſtatum eſſe; ceu illi Dn. Secretario Legationis Caeſareo, ipſe Secretarius Legationis Suecicus heſterna veſpera in tranſitu ſub tiliis dixerit. Ille reſpondit, ſe iamiam

iam

iam Illuſtriſſ. Dn. Legatum Caeſareum aditurum. Ad Illuſtriſſ. Dn. Comitem Schlippenbachium modo dictus Secretarius Suecicus ſe contulit, Eiuſque Excellentiae hoc retulit; quae narrauit, quid heri inter ſe et Dn. Legatum Polonicum hac de re actum ſit; inſtitiſſe nimirum illum, poſt factam hinc inde gratulationem de commutatis inter Partes Principales Ratificationibus, vt eadem declarationem illam ſuper verbis, in Ratificatione Regia Suecica, *omnes in vniuerſum Electores, Principes et Status, amicos et foederatos* etc. daret Legato Electorali Brandeburgico; ſe autem conſtanter renuiſſe, ac de mora, indeque emerſuro damno proteſtatum eſſe. Iam haerere ſe, quid faciendum, ſi Legatus Electoralis cum Caeſareo in ſuo propoſito perſiſterent. Mandatum huius rei ſpeciale a S. R. M. ſe habere nullum. Statum militiae noſtrae Elbingae nimis vniuerſis eſſe notum; euacuationem vbique locorum fieri non poſſe ante Ratificationes plenarie permutatas; rem inter Electorem et Palatinum Neoburgicum tanti non eſſe, nihilominus praetextum inde quaerere Legatum Brandeburgicum, cui ſe adiungat quoque Caeſareus: neceſſitate ſe cogi tandem ad dandam declarationem: faciendum tamen quoad extremum eſſe periculum illam euitandi. Reſoluit hiſce deliberatis Illuſtriſſ. Dn. Comes, vt Secretarius Legationis *von Schroeer* adiret dictum Dn. Legatum Polonicum Rey, illique, dum heri, facta inter Sueciam et Poloniam permutatione, partes Mediatorias quoad hoc punctum declarationis inter Legationem Electoralem et Caeſaream in ſe ſuſcepiſſet, negotii reſpectu Brandeburgici vilitatem, inde autem quaeſitam anſam et metuendum damnum demonſtraret, quo ille rem dextre eo dirigat, vt per occaſionem iſtam difficultas exequendae paci non creetur. Itaque Secretarius Legationis *von Schroeer* ad praefatum Dn. Legatum Polonicum ſe contulit, et praemiſſis curialibus commiſſum negotium illi propoſuit, quamque iuſtam recuſandi praetenſam declarationem habeat Illuſtr. atque Excell. Dn. Comes Legatus Suecicus cauſſam, illi demonſtrauit; vtatur ſua auctoritate apud Dn. ab Houerbecke, ſiquidem Legatus Caeſareus illi adhaereat tantum, et facile ſe flecti paſſurus credatur, Suam Excellentiam nomine Illuſtriſſ. Comitis hortatus eſt. Dn. Rey, actis pro exhibito honore gratiis, non improbauit mentem Illuſtr. Dn. Comitis Schlippenbachii, et propterea diligentiam ſuam in hac cauſſa promiſit;

miſit; veritus tamen, ne Dn. Legatus Electoralis in concepta opinione ſit perſeueraturus, quod procul dubio Dn. de Liſola quoque fecerit. Se enim recordari, quod quaſi adtrahendi fuiſſent ad pacem Electorales Legati, qui in partes ſuas Legationem Caeſaream etiam traxiſſent. Facile ergo iudicari poſſe, quod difficultate, et forte ſatis magna, non careat res iſta. Se ſuadere, vt Illuſtr. Dn. Legatus Suecicus non adeo conſtanter inſiſteret ſententiae ſuae: remitteret Dn. Comes de ſuo feruore, et daret amori pacis, quod alias gloriae et honori ſuo deberetur. Se hodie iam per Dn. Paſtorium apud vtrumque Legatum rem experiri voluiſſe, et intelligere, quod Dn. de Liſola cum Dn. ab Houerbecke vnius ſit ſententiae, nempe ante declarationem datam permutare ſe Ratificationes nolle. Conſideraret euentum ipſe Dn. Legatus Suecicus. Quibus abiit Secretarius, et Illuſtr. Dn. Comiti Schlippenbachio haec retulit. Sua Excellentia in dationem Declarationis reſoluit, cuius Proiectum cum Dn. Legato Polonico communicare, antea vero quam Ratificatio Caeſarea et Electoralis permutatae eſſent, illam extradere neutiquam vellet. Iterum iuit praefatus Secretarius ad Dn. Rey, qui interea Secretarium Legationis Paſtorium ad Illuſtr. Dn. Comitem Schlippenbachium ſubdelegauerat, et ea ipſa, quae modo ſupra reſponderat, praefato Illuſtr. Dn. Comiti notificauerat. Aperuit mentem Dn. Comitis Dn. Legato Polonico Secretarius Suecicus. Gratum auditu fuit Dn. Legato, quod Dn. Comes mutaſſet conſilium et ſententiam. Praeſente adhuc Secretario Suecico Paſtorius rediit, et reſolutionem eamdem, ab Illuſtr. atque Excell. Dn. Comite, Dn. Legato Rey retulit. Secretarius Suecicus haec ipſa repetiit, et cumprimis, vt erat iuſſus a ſaepe memorato Dn. Comite Schlippenbachio, ſedulo cauit, ne monſtraretur tranſmittendum Conceptum Legatis Caeſareo et Electorali, multo minus Copiam daret illius Dn. Legatus Polonicus, antequam commutatio facta eſſet. Promiſit hoc Dn. Rey, ſed hac cautela, vt ita conciperetur declaratio, quo ipſam illi acceptare poſſent. Praeſumtionem aliam de Illuſtriſſ. Dn. Comite non eſſe reſpondit Secretarius, et abiit. Retulit Dn. Comiti, et iuſſu eius deinde loquutus hac de re eſt, cum Dn. Legato de Lumbres: Quid tandem, quum verba per ſe clara ſint, ſcrupulentur, aut deſiderent? Ille, quum Mediationem ſuam Caeſareus Legatus non agnoſcat, bene factum

Digitized by Google

factum reſpondit, quod Dn. Legatus Polonicus in ſe receperit partes iſtas; ſe interea negotium cum Dn. Legato Electorali tractaturum.

Actum eodem, hora III pomerid.

Dn. Legatus de Lumbres Secretarium ſuum miſit ad Illuſtr. Dn. Comitem Schlippenbachium, indicauitque, quod Dn. Mediator cum Dn. Legato Electorali de cauſſa declarationis loquutus quidem fuiſſet; illum autem a ſuo propoſito flecti minime potuiſſe.

Actum eodem, poſt horam VI veſpert.

Iuſſu Dn. Comitis Schlippenbachii hoc concepit, poſitumque eſt Datum $\frac{6}{16}$ Aug. propterea, quod dies heſternus ab omnibus receptus et declaratus fuerit pro die commutationis. "Quia circa commutationis actum Ratificationum Pacis Oliuae concluſae quaedam difficultas ſuper verbis, (inſerantur) orta fuit, petitumque eſt, vt a parte Suecica detur declaratio: ideo, licet re bene perſpicua ſuperfluum videatur, tamen, ne remorandi opus exequendae Pacis neceſſarium praetextus aliquis enaſci poſſit, Illuſtr. atque Excell. Dn. Legatus Suecicus hiſce, quam fieri poteſt ſollemniſſime, declarat, ſe nec mandato aliquo alios, quam qui iam in ipſo Ratificationis Regiae Suecicae Inſtrumento inuitati ſunt, nominandi inſtructum eſſe, nec videre, quomodo praeter clare expreſſos *Electores, Principes et Status*, plures intelligi poſſint. In quorum fidem haecce manu propria ſunt ſubſcripta, et ſigillo impreſſo roborata. Dat. Dantiſci d. $\frac{6}{16}$ Aug. MDCLX."

Actum Dantiſci d. $\frac{7}{17}$ Aug. hor. IX veſpert.

Eodem circa dimidiam IX veſpert. Dn. Comes Schlippenbach huius Proiecti Copiam Dn. Rey miſit per Secretarium Legationis, et quoque Secretarium iuſſit, vt praelegeret hoc ipſum Conceptum Dn. Legato de Lumbres: quod fecit. Qui nihil deſiderauit, niſi vt adderentur verba, *Electores et Status*, ad verbum *Principes*, ante verba *plures* etc. Dn. Legatus Polonicus autem iudicium ſuum adhuc diſtulit.

Actum Dantiſci d. $\frac{7}{17}$ Aug. in aedibus Dn. Legati de Lumbres.

Illuſtriſſ. Dn. Comitis Schlippenbachii iuſſu, Legationis Secretarius a Dn. Legato Mediatore poſtulauit Originale Ratificationis euentualis Regis Poloniae, ſtatim poſt concluſam Pacem in manus Suae Excellentiae depoſitae. Reſpondit ille, extraditione eiuſdem opus non eſſe, data iam, commutata et extradita non Regis tantum, verum etiam Reipubl. Poloniae Ratificatione. Adquieuit reſponſo Dn. Comes.

Actum Dantiſci d. $\frac{8}{18}$ Aug.

Illuſtriſſ. Dn. Comes a Schlippenbach mundari ad ſubſcribendum iuſſit Declarationem ſaepe nominatam, additis, quae heri Dn. Legatus Gallicus monuerat. Quod factum eſt. Hora matutina ſeptima, aderant iterum Secretarii Legationum in aedibus Dn. Legati Mediatoris, faciebantque per Amanuenſes et Cancelliſtas penitus ingroſſari actum atteſtatorium generalem ſuper erratis, cuius exemplar in Protocollo d. $\frac{6}{16}$ Aug. hic ſupra videre eſt, adiecto cuilibet authentico atteſtationis ſpecialis Documento, aeque ac generale, ſubſcripto: et hodie quidem demum ſpes fuit faciendae totalis commutationis Ratificationum cum Foederatis. Circa nonam antemerid. Dn. Mediator in conclaui adſuit, ſpeculans, quomodo res procederet. Eius Excellentiae Ill. Dn. Comes a Schlippenbach Declarationem modo memoratam per Secretarium Legationis Suecicum a ſe ſubſcriptam, ſuoque ſigillo ſubſignatam, in Originali tranſmiſit. Iſtam ille cum Dn. Legato Polonico communicauit: at nunc eiuſdem tenor fuit talis: "Quia circa commutationis actum Ratificationum Pacis Oliuae concluſae quaedam difficultas ſuper verbis, *vt et S. R. Imperii omnes in vniuerſum Electores, Principes et Status amicos et foederatos noſtros pariter inuitamus et nominamus*, orta fuit, petitumque eſt, vt a parte Suecica detur declaratio: ideo, licet re bene perſpicua ſuperfluum videatur, tamen, ne remorandi opus exequendae pacis neceſſarium praetextus aliquis enaſci poſſit, Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legatus Suecicus hiſce, quam fieri poteſt ſollemniſſime, declarat, ſe nec mandato aliquo alios, quam qui iam in ipſo Ratificationis Regiae Suecicae Inſtrumento inuitati ſunt, nominan-

minandi inſtructum eſſe, nec videre, quomodo praeter clare expreſſos Electores, Principes et Status, Electores et Status plures intelligi poſſint. In quorum fidem haecce manu propria ſunt ſubſcripta, et ſigillo impreſſo roborata. Datum Dantiſci, die $\frac{6}{16}$ Aug. MDCLX."

Secretarius Suecicus vrſit maturationem operis, et Caeſareus interdum (abſente quidem Dn. Mediatore) quaſi aliud agens, vel cum illo vel altero Secretariorum particulariter communicans, interdum acceſſit, et quaſi magna impatientia moram nondum factae commutationis deteſtatus eſt. Suecico facile adſtipulante, Secretarius Electoralis Brandeb. penes Dn. Legatum Electoralem non eſſe moram dixit; exſpectari tantum Declarationem a Dn. Legato Suecico. Illam in Originali eſſe in manibus Dn. Legati Gallici, eiuſque Copiam Dn. Legato Rey traditam, Secretarius Suecicus reſpondit. Iteratis taliſmodi toto antemeridiano, Scribae et Amanuenſes perrexerunt ingroſſando actus atteſtatorii tot, quot opus erant, exemplaria. Secretarii Legationum circa prandium conuenerunt, et ea, quae parata erant, inuicem contulerunt.

Actum eodem, poſt meridiem.

Declarationem, cuius Apographum modo hic inſertum eſt, Dn. Legatus Polonicus circa horam tertiam pomerid. ita mutauit: et Illuſtriſſ. Dn. Legatus Suecicus in aedibus Dn. Legati de Lumbres, quem Sua Excellentia viſitabat, rationibus ab eodem commotus, conſenſit. Quae vbi ingroſſata, ſubſcripta et ſubſignata fuit, in manus Dn. Legati Gallici depoſita eſt, donec facta fuiſſet Ratificationum commutatio, et nunc ſic ſonat: "Quia circa actum commutationis Ratificationis Pacis Oliuae concluſae quaedam difficultas ſuper verbis, in fine Inſtrumenti Ratificationis S. R. M. Regnique Sueciae, *vt et S. R. Imperii omnes in vniuerſum Electores, Principes et Status amicos et foederatos noſtros pariter inuitamus et nominamus*, orta fuit: eius expediendae cauſſa, et ne opus exequendae pacis remorandi occaſio exinde enaſci poſſit, Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dn. Legatus Suecicus ad requiſitionem partium, quam fieri poteſt ſollemniſſime, poteſtate Plenipotentiarii declarat, verba illa, *amicos et foederatos*, non ad alios, quam ad ipſos illos immediate ante haec verba, *amicos et foederatos*, nominatos omnes

omnes in vniuerſum Electores, Principes et Status referri. In quorum fidem haecce Illuſtriſſ. et Excell. Dn. Legatus et Plenipotentiarius Suecicus manu propria ſubſcripſit. Gedani d. $\frac{8}{18}$ Aug. MDCLX.“

Poſt horarum ferme duarum ſpacium, Dn. Mediator Secretario Suecico intimauit, ſe a Dn. Legato Polonico intellexiſſe, quod Dnn. Legati Electoralis et Caeſareus contentos ſe redderent Declaratione Ill. Dn. Comitis Schlippenbachii, vbi ipſe Dn. Rey, Legatus Polonicus, ſecuros illos reddiderit, eam ipſam ita expeditam, vt dubii in ea reſtaret nihil, et, quo commutarentur ſine vlteriori mora, vel hodie adhuc, Ratificationum Inſtrumenta conſentirent. Hic Secretarius Legationis Electoralis Hempelius in mandatis ſe habere dixit, vt proteſtaretur nomine Dn. Legati ab Houerbecke, quod illa commutatio Ratificationum, quae nudius tertius inter Dnn. Legatos Polonicum et Suecicum facta eſſe praetendatur, a Legato Electorali pro facta non acciperetur. Factam eſſe vere, et pro facta habendam, reproteſtatus eſt Secretarius Legationis Suecicus *von Schroeer*, in teſtimonium vocans et Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legatum Mediatorem de Lumbres, et Secretarium Legationis Polonicum Paſtorium, ambos praeſentes et nequicquam contradicentes. Dn. Mediator: Se quoque cum Dn. Legato Electorali loquutum, et, vt commutarentur iam Ratificationes inter S. R. M. Sueciae et Sereniſſ. Electorem, difficultatis adparere nihil: interrogans Secretarium Suecicum, num inter Dnn. Legatos Suecicum et Caeſareum aliquid intercedat, quod hanc rem remorari queat. Quum hic nihil eſſe reſpondiſſet, Dn. Mediator, quid moraremur igitur? dixit. Electoralis Secretarius in ſua contradictione perſtitit, et ſciſcitatum ad Secretarium Legationis Caeſareum miſit, qui ſtatim ipſe nobis adfuit, et nomine Dn. Legati Caeſarei ſimilia contra factam nudius tertius inter Partes Principales commutationem proteſtabatur, poſtulantes vterque nomine Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dnn. Principalium, (Secretarii Legationum namque ſimul partibus ſubdelegatorum fungebantur,) vt Suecica Legatio cum Polonica denuo permutaret Ratificationes illas. Orta ſuper hoc non leui contentione, quum Dn. Mediator Secretarium Brandeburgicum hortaretur quidem, Caeſareum autem, velut extra Mediationem ſuam poſitum, non adloqueretur, neceſſe fuit, vt quilibet Dnn. Legatis referret. Quod factum eſt. Et

tandem

tandem res eo deducta, vt Dn. Legatus Gallicus atteſtaretur, coeptam eſſe commutationem Ratificationum die $\frac{6}{16}$ Aug. et die $\frac{8}{18}$ eiuſdem finitam: velut mox hic inſerta Copia pluribus docebit.

Compoſita hoc modo et iſta lite, manentibus in ſuo vigore, quae inter Partes Principales die $\frac{6}{16}$ Aug. peracta fuerant, Dn. Mediator, qui interea coenauerat, eodem modo, quo nuper inter Sueciam et Poloniam proceſſerat, Ratificationem Electoralem cum Regia Suecica commutauit. Modum autem commutationis, inter Dn. Legatum Suecicum et Caeſareum, Protocollum d. $\frac{6}{16}$ Aug. exprimit, quem etiam, vt paullo poſt videre eſt, hodie ſequebantur. Antequam commutarentur Ratificationes inter Dnn. Suecicum et Caeſareum Legatos, nomine Illuſtriſſ. Dn. Legati Suecici proteſtatus eſt Secretarius Legationis *von Schroeer*, ſiquidem in Caeſarea Ratificatione nimis prolixe fieret Regis Catholici ad guarantiam inuitatio, quum Formula Oliuae conuenta, et Art. XXXIV. Inſtrumenti Pacis No. 8. nudam et ſimplicem tantum poſtulet nominationem et inuitationem, ſicuti etiam in ſuis reſpectiue Ratificationibus et ſpecialibus inuitationibus fecerint S. R. M. Sueciae et Poloniae, et Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, hanc ampliſſimam nominationem et inuitationem non aliter intelligi et acceptari, quam ſi verbotenus Formulae conuentae, allegato Articulo, et exemplis modo laudatorum Regum et Electoris conformis eſſet. Nihil hic latere, vel aliud praeter ſimplicem nominationem et inuitationem intendi a parte Caeſarea, nomine Dn. Legati Caeſarei de Liſola Secretarius a Waltheimt reſpondit, et reſponſum tulit. Verborum autem illorum nominationis tenor hic ſtatim videbitur.

Haud minor exorta lis fuit, et parum aberat, quin tandem remoraretur commutationem, quod Secretarius Electoralis Dn. Legato ab Houerbecke Ratificationem S. R. M. Sueciae Articuli Separati de Elbinga extradi peteret; Secretarius Polonicus vero renueret. Et poſtquam inſtaret Brandeburgicus, et Secretarium Suecicum in partem ſollicitudinis requireret, is Elbingam reſtitui Sereniſſimo Regi Reiquepublicae Poloniae, ideoque merito illam Articuli Separati Ratificationem in manus Dn. Legati Polonici datam fuiſſe reſpondit. A parte S. R. M. Sueciae iam adimpletum eſſe, quod Inſtrumentum Pacis exigat: ergo hanc controuerſiam agitari inter Illuſtr. atque Excell. Dnn. Legatos Po-

lonicum et Electoralem Brandeburgicum ſolos. Dirimere hanc contentionem Dn. Legatus Mediator praeſens vel noluit, vel non potuit. Secretarius Polonicus, Paſtorius, ad Dn. Legatum Rey iuit; et vbi rediiſſet, retraditis, quas Legatio Polonica Oliuae Legationi Electorali huius rei cauſſa dederat, Reuerſalibus, Originale dicti Articuli Ratificati Declaratorii ex eius manibus Secretarius Hempelius accepit. Facta iam demum, hac ipſa veſpera, hora dimidia nona, commutatione cum Ratificatione Electorali, Secretarius eius Legationis nomine Dn. Legati Brandeburgici etiam Regem Angliae nominauit guarantem pro parte Sereniſſ. Electoris, qui iam in ipſa Ratificatione ſcripto inuitauit Regem Catholicum et Foederati Belgii Ordines: et ſimul dictus Secretarius iſtam nominationem Angliae Regis ſcripto ad Acta dedit, eſtque tenor talis: "Serenitas Electoralis Brandeburgica, Magdeburgi, in Pruſſia, Iuliae, Cliuiae, Montium etc. etc. Dux, probato nuper reducendae Pacis Polono-Suecicae indefeſſo ſtudio, eiuſdem quoque adſerendae iungere teſtatamque reddere volens ſollicitudinem, mihi Legato et Commiſſario ſuo Plenipotentiario infra ſcripto demandauit, vt vigore reſeruatae omnibus paciſcentibus in Articulo XXXVI. Inſtrumenti Pactorum, nominandorum ad guarantiam et fideiuſſionem Regum, Principum et Statuum facultatis, praeter in ipſis Pactis Suaeque Serenitatis Electoralis Ratificatione nominatos, bono Orbis Chriſtiani auitis Regnis et Ditionibus reſtitutum Sereniſſ. ac Potent. Principem ac Dnum, Dn. Carolum II. Magnae Britanniae, Franciae et Hiberniae Regem, Fidei Defenſorem, a Sua Serenitate inuitandum nominarem: prout ex ſpeciali in eum finem mihi tranſmiſſo mandato, nomine alte memoratae Suae Serenit. Electoralis Suam Regiam Maieſtatem nomino, idque praeſentibus, manus meae ſubſcriptione et ſigillo gentilitio in maiorem fidem munitis, omnibus paciſcentibus notum facio. Dabantur Dantiſci, die XV menſis Aug. Anno Dni MDCLX.

(L. S.) *Ioannes ab Houerbecke*
Suae Serenit. Electoralis Conſil. Stat. intimus.

Quaeſiuit Secretarius Suecicus a Secretario Legationis Polonico non modo iam iterum, ſed etiam ante, quum videlicet commutatio fieret inter Sueciam et Poloniam d. $\frac{6}{16}$ Aug. quis a parte Poloniae ad guaran-

guarantiam inuitaretur? Reſpondit ille, Dn. Rey adhuc nominaturum. Paullo poſt nominauit Regem Catholicum, Regem Angliae, et Ordines Vniti Belgii: tandem quum iam abiiſſet Dn. Paſtorius, a Secretario Legationis Brandeburgico in vidimatis Copiis accepit Secretarius Suecicus nominationem illam, per Dn. Legatum Rey factam, in ſcripto duplici, propter praecedentiae competentiam inter Reges Hiſpaniae et Angliae, dato tamen vtroque d. XVI Aug. anno MDCLX. in quorum altero Regem Hiſpaniarum, in altero vero Regem Magnae Britanniae et Dnn. Ordines Foederati Belgii inuitat, nomine Regis et Reipubl. Poloniae. Quorum Apographorum tenor eſt, qui ſequitur. "Quo maior pateat S. R. M. et Reipubl. Polonae ſollicitudo in procuranda certitudine et perennitate pacis, cum Regno Sueciae nuper Oliuae initae, vigore reſeruatae ſibi facultatis Art. XXXVI. in ipſa Ratificatione alios Principes et Poteſtates ad guarantiam et fideiuſſionem Pactorum inuitandi et nominandi, id ipſum per me Legatum et Plenipotentiarium ſuum exequitur, ſpeciali mihi eum in finem tradita facultate, vt nominarem Sereniſſ. ac Potent. Principem ac Dnum, Dn. Philippum IV. Hiſpaniarum Regem Catholicum. Quum vero ille iam pridem a S.R. M. Poloniae ad praedictam fideiuſſionem inuitatus fuerit, vbi primum de acceptata conſtiterit, ſine mora id ipſum partibus omnibus paciſcentibus communicari faciet. Ad maiorem autem fidem hancce Declarationem manu mea ſubſcripſi, et ſigillo proprio muniui. Datum Gedani, die XVI Aug. Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo."

(L. S.) *Vladiſlaus Rey*, Legatus Plenipot.

"Quo maior pateat S. R. M. et Reipubl. Polonae ſollicitudo in procuranda certitudine et perennitate pacis, cum Regno Sueciae nuper Oliuae initae, vigore ſibi reſeruatae facultatis Art. XXXVI. in ipſa Ratificatione alios Principes et Poteſtates, praeter ipſum Chriſtianiſſimum Regem, ad guarantiam et fideiuſſionem Pactorum inuitandi et nominandi, id ipſum per me Legatum et Plenipotentiarium ſuum exequitur, ſpeciali mihi eum in finem tradita facultate, vt nominarem inprimis Sereniſſ. ac Potent. Principem ac Dnum, Dn. Carolum II. Magnae Britanniae, Franciae et Hiberniae Regem, Fidei Defenſorem, tum etiam Celſos ac Praepotentes Ordines Foederati Belgii. Quum vero illi

Digitized by Google

iam pridem a S. R. M. ad praedictam fideiuſſionem inuitati fuerint, vbi primum de acceptata conſtiterit, ſine mora id ipſum partibus omnibus paciſcentibus communicari faciet. Ad maiorem autem fidem hancce Declarationem manu mea ſubſcripſi, et ſigillo proprio muniui. Datum Gedani, die XVI Aug. MDCLX."

(L. S.) *Vladislaus Rey*, Legatus Plenipot.

Quia Dn. Comes Schlippenbach in peculiari ſcripto nominare noluit, ſuperfluum hoc dicens, quum S. R. M. iam nominaſſet et inuitaſſet in ipſa Ratificatione: ideo nec Polonicus Legatus nobis dedit aliquid tale in ſcripto, ſed in Copiis accepit Secretarius Suecicus, vt modo dictum eſt. Sic nec inter Legatos Suecicum et Caeſareum facta eſt alia, quam quae in Ratificationibus ipſis S. R. M. Sueciae et Imperatoris continetur, ad guarantiam inuitatio.

Extradita hac vice in aedibus Dn. Legati Gallici ſunt Originalia, ſiue Authentica ſequentia: Ratificatio Pacis Oliuenſis ab Electore Brandeburgico pro S. R. M. Sueciae: Ratificatio dictae Pacis S. R. M. Sueciae pro Sereniſſ. Electore. Quae ambo Authentica ſimul Dn. Mediator commutauit, et vterque Secretarius ex manu eius ſingula accepit. — Articulus Separatus Elbingenſis, a S. R. M. Sueciae ratificatus: cuius Originale ex manu Secretarii Legationis Suecici Secretarius Legationis Polonicus accepit, et poſtea, vt modo dictum eſt, idem Originale Secretario Legationis Brandeburgico dedit. — Inſtrumentum Pacis Oliuae concluſae a Dnn. Legatis Electoralibus in pergameno ſubſcriptum: quod Secretarius Legationis Suecicus a Secretario Legationis Electorali accepit. — Inſtrumentum eiuſdem Pacis a Dnn. Legatis Suecicis in pergameno Sobothi ſubſcriptum, quod Secretarius Legationis Electoralis ex manu Secretarii Legationis Suecici accepit. — Atteſtati ſiue actus atteſtatorii generalis ſuper erratis exemplaria authentica duo, ab Illuſtr. atque Excell. Dnis, Dn. Legato Mediatore, et Dn. Comite Schlippenbach, Secretario item Legationis *von Schroeer* ſubſcripta et ſubſignata: quorum alterum Secretarius Legationis Polonicus, alterum Secretarius Legationis Electoralis a praefato Secretario Suecico acceperunt. — Eiuſdem Atteſtati Authenticum, a Dn. Mediatore et Dn. Legato Polonico, nec non Secretario Legationis Paſtorio ſubſcriptum et ſub-

ſubſignatum: quod ab eodem Secretario Paſtorio Secretarius Legat. Suecicus accepit. — Authenticum eiuſdem actus atteſtatorii, a Dn. Legato Mediatore de Lumbres et Dn. Legato Electorali ab Houerbecke, vt et Secretario Legationis Hempelio ſubſcriptum et ſubſignatum: quod Secretarius Legationis Suecicus a Secretario Brandeb. modo nominato accepit. — Exemplar authenticum Ratificationis Pacis Oliuenſis S. R. M. Sueciae pro Rege Chriſtianiſſimo: quod Secretarius Legationis Suecicus eiuſdem Ser. Regis Legato reuerentia debita tradidit, et ille decentiſſima gratiarum actione accepit. — Ceterum atteſtationes ſpeciales Erratorum, ſimiliter a Dn. Mediatore et ſingulis Legatis ſingulariter ſubſcriptae, cuilibet Originali Ratificationum ſubiectae, et ideo cum illis commutatae et extraditae ſunt. De reliquis ſuo loco et tempore Protocolla tam huius vltimae, quam Partis IV referunt.

Peractis, ſubſcriptis, ſubſignatis, commutatis et extraditis in aedibus ſaepe nominatis Dn. Legati de Lumbres omnibus, quae in Mediationem eius ceciderunt, ſuperſuit Ratificationis Regiae Suecicae et Caeſareae inuicem commutatio, quae hac eadem veſpera, hora x. reciproce inter Dn. Comitem a Schlippenbach et Dn. de Liſola, per Secretarios Legationum quoque facta eſt. Ex aedibus nimirum vtriuſque Legati in eodem ſuburbio, quo reliquae Ratificationes commutatae ſunt, fere e diametro ſibi oppoſitis, egreſſi cum ſeruis et pediſſequis, accenſis facibus, portante Inſtrumenta Ratificationis Amanuenſi, Legationum Secretarii, ita vt ſub tiliis, quae quaſi medium inter dictas aedes conſtituunt, obuius alter alteri factus, vterque ad alterius partis Legatum tenderent. Suecicus, vbi portam primam intraſſet, per Aulicum quemdam deductus eſt interius, vbi Magiſter Aulae, cum Ephebis et pediſſequis aliquot exſpectans, ipſum excepit, et in conclaue ad Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Legatum de Liſola duxit. Ille veſte et pallio ſerico nigro indutus, ſtetit in conclaui ſuo prope ianuam ferme, manumque Secretario, quum intraſſet, porrexit: is breui ſermone Suam Excellentiam Illuſtriſſimi Dn. Legati Suecici nomine ſalutauit; quod negotium pacis iam ad optatum finem perductum eſſet, gratulatus eſt; Inſtrumentum Ratificationis S. R. M. Sueciae eidem tradidit; nihil a parte Suecica, quod ad ſincerum cultum iſtius pacis, renouatamque et redintegratam amicitiam inter Suas Regiam et Caeſaream Maieſtates

 ſpectet,

Digitized by Google

ſpectet, defuturum promiſit; a parte S. Caeſ. M. reciprocum, et quo euacuatio locorum ſtatuto tempore fieret, ſperari dixit; officia denique Illuſtriſſ. Dn. Legati Suecici Comitis Schlippenbachii, S. Excellentiae detulit. Ille de humanitate ſalutationis gratias egit; de perducto ad finem pacis negotio congratulatus eſt; Inſtrumentum Ratificationis oblatum, ex manu Secretarii, decenti ciuilitate accepit; firmiter a S. Caeſ. M. omnia, quae Pacificatio iſta requirat, ſeruatum iri, ſincere credi poſſe dixit, nec dubitari de reciproco, profeſſus; euacuationem locorum ſecundum Inſtrumentum Pacis promiſit, atque ad officia Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Legati Suecici ſe commendauit. Simili ratione et modo res peracta eſt apud Illuſtr. Dn. Comitem Schlippenbachium, qui ex manu Secretarii Legationis Caeſarei Ratificationem Imperatoris accepit. Et ſic facta eſt Sueciae cum Parte Principali Polonia, et illius Confoederatis, Inſtrumentorum ſaepe dictae Ratificationis Pacis Oliuenſis commutatio. Quo inter ſe modo proceſſerint Polonia et Foederati, haec Protocolla ignorant. Secretarius Legationis Suecicus Illuſtr. Dn. Comiti a Schlippenbach de omnibus retulit, et S. Excellentia, vt Originalia hodie commutata cum reliquis adſeruaret, ac deinde ipſi omnia ſimul traderet, eumdem iuſſit.

Actum Dantiſci d. $\frac{9}{19}$ Aug.

Dn. Ludouicus de Biola Bielski, Moldauiae Ablegatus, qui ex Suecia Dantiſcum venit, negotium ſuum quoque Dn. Comiti Schlippenbachio commendauit: Sua Excellentia igitur in Memoriali ad Dn. Legatum Rey eius mentionem fecit. Illuſtr. Comes modo memoratus Dn. Legato Polonico per Secretarium Legationis Suecicum ciuilitatem exhibuit, et ſimul tam in ſcripto, quam oretenus ab illo poſtulauit: 1) Vt captiui in Polonia ſecundum tenorem Inſtrumenti Pacis reſtituantur, et publicatum huius rei cauſſa Vniuerſale effectui detur. 2) Idem quoad captiuos in Tataria deſiderat. 3) Quum nonnullis Thorunii propter caduca contra Inſtrumentum Pacis actiones, et quidem quoad competentiam fori, intententur, vt remedium iſtius grauaminis fiat. 4) Vt Principiſſae Radziuiliae ex Art. XVII. ſatisfiat, eiuſque digna ratio habeatur. 5) Vt Dn. Ludouico Bielski priuilegia et iura caduca ſuper

ſuper bona et ſummas pecuniarias, quae habuit apud creditores, data caſſentur et annihilentur: deinde in reliquis deſideriis, quae ipſemet ſpecificabit, ſatisfiat. 6) Vt Dn. Equitum Praefecto a Wuſſo bona ſua aduitalitia *Smazin* reſtituantur. Et haec eadem quoque Dn. Legato de Lumbres vt commendaret, praefatum Secretarium iuſſit. Is igitur, quum eumdem in aedibus Dn. Legati Polonici inueniret, negotium hoc vtrique propoſuit; Memoriale autem ſcriptum Dn. Rey reliquit, et reſolutionem in ſcripto petiit, quam etiam Dn. Legatus Polonicus, poſt horae circiter ſpatium, ad Illuſtriſſ. Dn. Comitem miſit, et vna per Secretarium Legationis Polonicum valedixit. Tenor autem reſolutionis praefati Dn. Legati ad Memoriale noſtrum eſt talis: 1) Quod ad captiuos adtinet, eos partim iam reſtitutos, partim conquiri, vt reſtituantur; aliquos longius abeſſe, quam vt ſine mora reſtitui poſſint, inprimis in Polonia, quae nauibus caret, quarum beneficio Succia captiuos citius reſtituere poteſt: et tamen aliquot eorum millia ab illa nondum reſtituta perhiberi. 2) De captiuis in Tataria detentis, ſcriptas eſſe litteras ad Chanum, et ab eo reſponſum, per Ablegatum eo nomine illuc miſſum, propediem exſpectari. 3) Si qui ciuium Thorunenſium in ius vocati ſint, eorum officii fuiſſe ſe ſiſtere, et cauſſam ſuam agere. Qui ſe ad iudicium ſiſtit, ei forum, ſi id competens non ſit, excipere licere. Neque quemquam ob exceptionem fori damnari; at damnari contumaciae, qui citatus non reſpondet. 4) Principiſſae Radziuiliae vt ſatisfiat, ei bona iam reſtituuntur ſecundum tenorem Art. XVII. 5) Ratione deſideriorum Dn. Ludouici Bielski, dediſſe Excellentiſſ. Dn. Legatum ad Illuſtriſſ. Dn. Cancellarium, et alios, litteras. 6) Dn. a Wuſſo, Equitum Praefecti, negotium Excellentiſſimo Dn. Legato Polonico hactenus ignotum fuiſſe. Interim licere ipſi ſequi Illuſtriſſ. Dn. Legatum Elbingam; ibi, aequitatis quod fuerit, impetraturum.

Poſtea quidam Iohannes Iacobus Weſſel, et Equitum Praefectus Coraſſo, ille quidem domus ſuae confiſcatae, vel, vti illi loquuntur, caducitatae, hic praedii ſui cauſſa, quod eius vxor ante bellum vendidiſſet, emptor vero nunc reſiduum pretii ſoluere recuſaret, Illuſtriſſ. Dn. Comitis Legati Suecici auxilium implorarunt. Ideo Secretarius Legationis Suecicus etiam de hiſce deinde loquutus eſt cum Dn. Legato

to

Digitized by Google

to Polonico; et quidem, vt Weſſelius quoad domum ſuam reſtituatur, Equitum Praefecto iuſtitia non denegetur. Promiſit vtrique litteras neceſſarias Dn. Legatus, eoſque ad dimidium milliare, vbi pernoctaturus eſſet, ſequi iuſſit. Acta haec inter VIII et X matutinam.

Circa vndecimam, Illuſtriſſ. Dn. Comes a Schlippenbach capſulam pretioſam cum effigie S. R. M. Sueciae Caroli, Secretario Legationis *von Schroeer* extradidit, vt vna cum catena, ſeu torque, Dn. Legato Mediatori offerret, eique gratias pro hactenus exantlato labore ageret, gratiamque Regiam porro promitteret. Fecit hoc Secretarius, dictumque Dn. Legatum de Lumbres prandentem inuenit. Sua Excellentia cum gratiarum actione humillima donarium accepit; magni illud fecit; ſuos labores extenuauit; officia ſua Regi noſtro Regnoque Sueciae porro promiſit, et Dn. Comiti ſe commendauit. Pranſus eſt cum illo Secretarius, et poſtea Illuſtriſſ. Dn. Comiti haec retulit. Idem Secretarius Suecicus etiam donaria Secretariis, Polonico et Gallico, et Cancellariae Poloniae dedit, ſecundum diſpoſitionem et mandatum Dn. Comitis a Schlippenbach, quae ſupra Protocollo d. $\frac{25\ \text{Iul.}}{4\ \text{Aug.}}$ continetur: vbi plura de hiſce et reliquis videre eſt. Iunganturque Protocollum Holmiae d. $\frac{4}{14}$ Iul. item Protocollum eodem poſt meridiem, omnia de An. MDCLX. Mox Dn. Legatus Mediator praefato Dn. Legato Suecico ad domum valedixit, hodie quoque abiturus. Circa horam tertiam pomeridianam, Dantiſco profectus eſt Elbingam Dn. Legatus Polonicus Rey, cui in equo obuius factus eſt Dn. Comes a Schlippenbach. Circiter quartam veſpertinam Dantiſco abiit, ad Aulam Polonicam profecturus, Dn. de Lumbres, Galliae Legatus, et hactenus inter Sueciam et Poloniam atque Electorem Brandeb. Regis Chriſtianiſſimi nomine Mediator. Hora quinta veſpertina, iuſſu Illuſtriſſ. Dn. Comitis a Schlippenbach Secretarius Legationis Suecicus Dn. Legato Electorali ab Houerbecke, qui idem Dn. Comiti per Secretarium Legationis Brandeburgicum praeſtitit, curialia exhibuit, et ſimul de nonnullis ad exequutionem pacis pertinentibus monuit, et querelas ac grauamina nonnulla expoſuit: nempe vexillorum, reſidui militis Strasburgici, tormentorumque cum intercepto illo praeſidio ablatorum reſtitutionem vrſit: item, vt vectigalia (*die Licenten*) Colbergae reſtituantur, et ideo Telonario, Georgio *Livens*, Salui Paſſus litterae darentur: item, vt eidem

Digitized by Google

eidem Georgio *Livens* Rugenwaldae per Magiſtrum Equitum Electoralem, anno ſuperiore, ablata refundantur: item, vt amneſtia effectui detur, et in ſpecie Studioſus, qui poſt concluſam pacem, eo quod cum Dn. Campi-Mareſchalli Locumtenente *von der Linde* correſpondiſſet, in carcerem coniectus, in illo adhuc detineretur, reſtituatur. Ille, qui in veſtibulo Secretarium excepiſſet, et in conclaue deductum ad ſedendum inuitaſſet, in medio fere conclaui conſedit, et ſella pro illo prope poni iuſſa, ita vt Dn. Legatus frontem, et Secretarius tergum ianuae ſedendo porrigeret, reciprocam ciuilitatem Illuſtriſſ. Dn. Legato Suecico deferri petiit. Quoad propoſita fere generaliter et dilatorie reſpondit; de vexillis ſe ſcripſiſſe Berolinum; militem, vt Pleutnerus ipſe fateretur, reſtitutum eſſe; tormenta etiam reſtitui poſſe. Quoad vectigalia Colbergae iam ſcriptum eſſe, vt miniſtri Suecici admitterentur; Salui Paſſus litteris opus non eſſe, daturum ſe tamen haud grauatim, vbi Georgius *Livens* eaſdem petiuerit: huic quae Rugenwaldae ablata eſſent, ſe ſciſcitaturum. Studioſi captiui forte aliam cauſſam eſſe, quam quae Dn. Legato Suecico ſit relata; nihilominus ſe quoque inquiſiturum, et ſi inueniretur innocens, illum ſine contradictione libertati reſtitutum iri: Suam Serenitatem Electoralem, vt in omnibus, ita etiam amneſtiae ſatisfacturam eſſe. Coepit deinde diſcurſum de vectigalibus modo dictis Colbergenſibus: nimirum ſatis commode iam accidere, ſi S. R. M. Sueciae illa S. Serenitati Electorali cederet pro aequa ſatisfactione ſoli. Reſpondit Secretarius, ſe recordari huius rei Oliuae per Dn. Mediatorem obiter mentionem factam eſſe. (Vid. ſupra in P. IV. Protocolli d. $\frac{12}{22}$ April. MDCLX.) At, reſpondit Dn. Legatus, eo modo conditionibuſque a Dnn. Legatis Suecicis propoſitis rem acceptari non potuiſſe: Sereniſſ. Electorem adhuc optare medium extra communionem ſe conſtituendi: ſi pecuniae ſummam complecteretur S. R. M. Regnumque Sueciae, Dnum ſuum Clementiſſ. forte eo inclinare. Secretarius, cui horum nihil erat commiſſum, tacuit; et coram Illuſtriſſ. Dn. Comite Schlippenbachio vt mentionem iſtius cauſſae faceret, Dn. Legatus ab Houerbecke innuit. Fecit hoc Secretarius; verum deficiente mandato Regio, nihil in ea re tractatum eſt.

Actum Dantiſci d. $\frac{10}{20}$ Aug. ante merid. in aedibus Dn. Comitis a Schlippenbach, in ſuburbio Neugarten.

Retulit Illuſtriſſ. Dn. Comiti a Schlippenbach Secretarius *von Schroeer*, quid heri apud Dn. Legatum Brandeburgicum actum eſſet. Memoriale adhuc dandum Dn. Comes dixit, et reſolutionem in ſcripto petendam. Abiit hodie Dantiſco Dn. Legatus Caeſareus, Baro de Liſola. Non autem viderunt ſe inuicem ille, et Dn. Legatus Suecicus, praetendentes prioritatem quilibet; praetenſae vero et recuſatae prioritatis iſtius cauſſa propemodum videre eſt ſupra, in Protocollo, d. $\frac{31 \text{ Iulii}}{10 \text{ Aug.}}$ MDCLX. Ceterum heri Secretarius Caeſareus de Waltheimt per diſcurſum, quem cum Secretario Legationis Suecico modo nominato habuit, in iſta verba erupit: Dnn. Legatos Suecicos decuiſſe, dum Sobothum veniſſent, notificare aduentum ſuum Legationi Caeſareae; ita Legatos Caeſareos deinde ſine difficultate Legationem Suecicam viſitaturos fuiſſe. Ad quod ille reſpondit, notificaſſe illud Dnn. Legatis Polonicis Dn. Mediatorem. Iam veluti Dn. Legati Caeſarei omnia per Dnn. Polonos abſque Mediatore tractaſſent; ſic notificationem illam Dnn. Polonis factam etiam ad Caeſaream Legationem trahendam, et de illa intelligendam eſſe. Immediate enim Dnn. Legatos Suecicos Dnn. Legatis Caeſareis aduentum ſuum notificare non potuiſſe. Ad quod Secretarius Caeſareus tacuit. Quod dum Secretarius Suecicus Illuſtriſſ. Dn. Comiti Schlippenbachio recenſeret, recte reſpondiſſe dixit, eumdemque occaſionem inuenire iuſſit, tamquam ex ſe ipſo dictum Secretarium Legationis Caeſareum, numquid Legati partium ſe inuicem viſitaturi ſint, interrogandi. Et hoc quidem heri ſtatim fecit Secretarius Suecicus: cui, ſe non credere, quod facturi ſint, reſpondit Caeſareus, addendo, Dn. Rey et Dn. Comitem Schlippenbachium hiſce diebus aliquoties ſe vidiſſe, inuicemque contuliſſe. Id quod negauit Suecicus Secretarius: et pergente Caeſareo, licet non ſollemniter fecerint, in campo tamen et in ſuburbio ſibi obuiando factum eſſe; ignorare ſe iſta conſtanter Suecicus reſpondit, factumque aliquando fuiſſe, ſe credere haud poſſe, dixit. Adeo obſcurum autem hoc non fuit, nec latere et Legatum de Liſola, in aedibus e diametro quaſi domui Schlippenbachianae oppoſitis hoſpitantem, nec Legatum Electoralem

lem ab Houerbeck, in eodem quoque ſuburbio, interiecta platea vnica, hoſpitium habentem, et vtrumque rebus noſtris ſedulo inſidiantes, potuit. Interea facile ex diſcurſu ſaepe memorati Secretarii a Waltheimt colligere fuit, et relatum aliunde quoque fuerat Suae Excellentiae, Dn. Legato Suecico, Legatum Caeſareum animitus viſitationem deſiderare; ambire autem eamdem nolle. Ideo quoque Illuſtriſſ. Dn. Comiti Secretarius *von Schroeer* retulit: et Sua Excellentia non minus conferentiam cum dicto Legato de Liſola optauit; rationes tamen ſe quoque habere dicebat, cur non deſideraret: et propterea rem in medio et fortunae reliquit, quae per abitum de Liſola nihil Dn. Legato Suecico notificantis vel valedicentis dubium ſoluit. Illuſtriſſ. Dn. Comes Schlippenbachius accepit litteras a Colonello *Pleutner*, referentes, maximam partem praeſidii Strasburgici reſtitutam quidem eſſe, licet inermem; deeſſe tamen adhuc vexilla pedeſtria ſex, et equitum ſignum vnum, ſimulque tormentorum magiſtros, ſeu exploſores quatuor, tormenta minora, trium pondo quodlibet, duo, et vna cum tympanis arma omnia: vnde petere Colonellum, quo ad reſtitutionem plenariam praeſtandam monerentur Electorales Brandeburgici. Lectis, Illuſtriſſ. Dn. Comes huius quoque mentionem facere iuſſit in Memoriali, hodie pro Dn. ab Houerbecke conficiendo. Quod factum eſt, vt modo hic videbitur. Ea autem, quae heri Secretarius Suecicus cum Dn. Legato ab Houerbecke ſuper his, quae Illuſtriſſ. Dn. Legatus Suecicus deſideraret, loquutus erat, huic Memoriali ſunt incluſa; quod praefatus Dn. Comes, vt poſt prandium Dn. Legato inſinuaret, et oretenus ipſi vberius porro demonſtraret, eumdem Secretarium Legationis iuſſit. Quum iam aliquoties Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Legatus Suecicus deſideria, quae hic ſubiiciuntur, vrſerit, nec ſatisfactio illi ab Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Legato Electorali data ſit, Declarationem in ſcripto petiit. 1) Reſidui milites praeſidii Strasburgenſis, ſicut et duo illa tormenta, et praeprimis vexilla, vt reſtituantur. 2) Poſtquam nonnulli vectigalium (vulgo *der Licenten*) adminiſtratores Suecici conquerantur, ſibi minas intentari de non admittendo Colbergae, Rugenwaldae et aliis in Pomerania Orientali locis, vt, hac in re, Inſtrumento Pacis et iuribus S. R. M. Sueciae ſatisfiat. 3) Vt Dn. Comes a Waldeck, ſecundum Articulum de amneſtia generali, plenarie reſtituatur. 4) Vt Georgio

gio *Lievens* ea, quae ipſi ſuiſque, ſine mandato S. Serenitatis Electoralis aut Regiminis Colbergenſis, ablata ſunt, reſtituantur, et Officiarius, qui ea perpetrauit, ob illatas ipſis iniurias poena digna adficiatur. 5) Vt Studioſus, qui nuper poſt concluſam pacem, propterea quod correſpondentiae cum Dn. Campi-Mareſchalli Locumtenente *von der Linde* inſimulatus eſt, in carcere detinetur, liber exnunc dimittatur. Dat. Dantiſci d. $\frac{20}{10}$ Aug. MDCLX. Porro Praefectus Equitum, Ioannes Iacobus Corras, ab Illuſtr. Dn. Comite a Schlippenbach commendatitias ad Dn. Legatum Polonicum Rey petiit, quas Sua Excellentia ipſi dedit. Item Eadem Atteſtatum largita eſt Equitum Magiſtro Paullo *von Wuſso*, ratione Actorum Originalium Elbingae exhibitorum, quibus ille ius ſuum in Feudo *Smazin*, in Pomerellia ſito, probaret. Sed priuata haec ſunt: redeunt publica. Dn. Campi-Mareſchalli Locum tenens *von der Linde* d. $\frac{4}{14}$ huius menſis Aug. ad Illuſtr. Dn. Comitem a Schlippenbach Elbinga litteras dederat, quibus inter alia pro mille peditibus Suecis et Finnonibus deſiderauit tranſitum per Viſtulam, praetereundo fortalitium *Höfft*, vrbem Gedanenſem et Viſtulaemundam, haud dubitans, quum iſti homines ſub diſciplina viuere ſueti ſint, Dantiſcanos Poſtulatum hoc non denegaturos. Egit hanc rem hiſce diebus Illuſtr. Dn. Comes a Schlippenbach apud Magiſtratum praedictae vrbis Gedanenſis, qui plane recuſauit: tandem cum precibus et rationibus obtinere nihil poſſet, eidem Senatui remonſtrari fecit, quod iure gentium vti licitum ſit, quum per Pillauiam iter difficillimum, nec vſpiam iſti militi, qui per aërem volare nequiret, ſtatio amplius ſupereſſet. Non peti gratis vel micam panis, vel aquae guttam, praeter ſolam terram, quam tranſitu pedes adtingere neceſſe haberent, neque cupere milites tranſire ipſam ciuitatem, ſed ſolas naues cum ſupellectili et impedimentis hominibuſque extra vrbem per flumen deſcenſuras. Eodem hodierno, circiter horam IX antemerid. Secretarius Legationis Electoralis a Dn. Legato ab Houerbecke ad Illuſtr. Dn. Comitem Schlippenbach miſſus, Suam Excellentiam in atrio aedium, quibus hactenus hoſpitii loco vtebatur, offendit, et ſub dio, velut heri quoque factum eſt, dicta ſalute a praefato Dn. Legato Electorali, cauſſam Elbingenſem eius nomine Dn. Comiti commendauit, et, vt illa ciuitas Suae Serenitati Electorali tradatur a Polonia, ad effectum Pacis Oliuenſis trahere cona-

Digitized by Google

conatus eſt, eaque de re adſiſtentiam Legationis Suecicae implorauit. Illuſtr. Dn. Legatus Suecicus officia ſua reciproca deferre Dn. Legato Electorali rogauit: rem iſtam quod adtineret, Sueciam non niſi ad reſtitutionem iſtius vrbis teneri; pactum Bidgoſcianum inter S. R. M. Poloniae et Sereniſſ. Electorem, pacem iſtam non concernere; impedire traditionem Sueciam nolle; cogere vero Poloniam, vt Electori tradat, eam non poſſe, neque etiam debere. Satis declaratum eſſe S. R. M. Sueciae propenſum animum per Articuli Separati Ratificationem. Inſiſtenti Poſtulato Secretario Sua Excellentia idem reſpondit, conteſtataque omnem humanitatem, eum dimiſit.

Actum Dantiſci d. $\frac{10}{20}$ Aug. poſt meridiem.

Poſt prandium Secretarius Suecicus Secretarium Paſtorium per ſchedulam monuit, vt Acta Polonica, quae ex Art. VIII et IX. Inſtrumenti Pacis reſtituerentur, acciperet, eumdemque legitimo modo quietaret ſuper extraditione illorum, nempe 1) Originalis decreti Coronationis Sereniſſ. Regis Vladislai: 2) Faſciculi Obligationum Polonicarum, ſigillo S. R. M. Sueciae obſignati: 3) Quinque ciſtarum Actorum Archiualium plenarum. Adſuit ſtatim in hoſpitio dicti Secretarii Suecici Paſtorius, et Acta iſta accepit data Quietantia, quae ſequitur: "Infra Scriptus profiteor hoc ſcripto meo, me a Nobiliſſimo Dn. Gothofredo a Schroeer, Legationis Suecicae Secretario, recepiſſe: 1) Originale Decreti Coronationis Sereniſſ. Regis Vladislai: 2) Obligationum faſciculum, ſigillo S. R. M. Sueciae bis obſignatum. Praeterea eumdem Nobiliſſimum Dn. Secretarium quinque ciſtas, Actorum Archiualium plenas, apud hoſpitam ſuam Gedani reliquiſſe, cum expreſſa declaratione et mandato, ne illa dictas ciſtas cuiquam extradat, niſi cui ego iuſſerim. In cuius rei fidem huic ſcripto manum meam ſubſcribo. Actum d. XX Aug. An. MDCLX."

Ioachimus Paſtorius, D. Secret. Legat. Polonicae.

Sed et Bibliothecam reſtitui poſtulauit. Diligenter quaeſitum eſſe reſpondit Secretarius; nihil autem Holmiae repertum. Attamen quia per anguſtiam adpropinquantis termini commutationis Ratificationum,

Digitized by Google

Secretarius *von Schroeer,* (qui ipſe hoc illi dixit, et hic notauit,) iter inde maturare coactus eſſet, Suam R. M. promiſiſſe diligentem inquiſitionem, et, ſi qui reperirentur libri, ad Bibliothecam Regiam pertinentes, eorum bona fide extraditionem. Quibus adquieuit Paſtorius, et *von Schroeer* ſupra memorata ipſi tradidit. Originale Coronationis et Obligationes quidem tum ſtatim ſecum ſumſit; ciſtas, in craſtinum in hoſpitio vt manerent, impetrauit; atque vterque Secretarius hoſpitae eaſdem, adpoſito per eumdem Secretarium Suecicum ſigillo Illuſtr. Dn. Comitis a Schlippenbach, cum expreſſo mandato, ne praeter Dn. Paſtorium extradantur alicui, commendauit. Quod Memoriale ſpectat, Dn. Legato ab Houerbecke tradendum, cuius modo ante meridiem mentio facta eſt, Secretarius Legationis Suecicus ſaepe dictus quinque vicibus percunctatum miſit ad hoſpitium Suae Excellentiae: ſed non datum eſt tempus commodum Eamdem compellandi. Primo enim Dn. Legatus iſte pranſus eſt: 2) Adfuerunt Deputati Dantiſcani: 3) Ipſe viſitauit Dn. de Liſola abeuntem: 4) Fuit in vrbe apud Burggrauium Koelner: 5) Dn. Gonciewski inuiſit. Quumque nimis ſerum hac veſpera accidit, Illuſtr. Comes a Schlippenbach in craſtinum differre iuſſit.

Actum Dantiſci d. $\frac{11}{21}$ Aug.

Igitur hodie hora VIII. matutina Secretarius Suecicus Dn. Legato ab Houerbecke Memoriale heſternum tradidit, et iuſſu Illuſtr. Dn. Comitis a Schlippenbach prolixius cum eo loquutus eſt, praeſertim de praeſidio Strasburgenſi, videlicet quod, referente Colonello Pleutnero, maxima quidem pars eius, quamuis inermis, reſtituta; adhuc autem peditum vexilla ſex, et vnum equitum ſignum, quatuor item tormentorum rectores ſeu exploſores, (vulgo *Conſtapels*) duo tormenta minora, armaque et tympana omnia deeſſent. Quae ex pacto reſtitui poſtularentur. Reſpondit Dn. Legatus ab Houerbecke, vt nudius tertius, praeſidium eſſe reſtitutum. Quum Secretarius ex relatione ipſius Colonelli iam aliud demonſtratum eſſe diceret, ad Principem Radziuilium litteras daturum promiſit, quo reſtitutio ſaepe memorati praeſidii exacte fieret. Hinc ſermo de reſtitutione Comitis a Waldeck fuit, et

ſe

Digitized by Google

ſe ſcripſiſſe ad S. Serenitatem Electoralem Dn. Legatus reſpondit, nec dubitare, quin Dn. Comes, a quo etiam litteras nuper accepit, generali amneſtia fruiturus ſit. Secretarius S. Excellentiae in memoriam reuocauit, quod hiſce diebus, Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legati Suecici nomine, hac de re cum Dn. Legato Mediatore contuliſſet, qui reſponderit, S. Serenitatem praefato Dn. Comiti ſecuritatem promittere, Commendaturam quoque, quae ante ipſi collata fuerit, eidem tamquam beneficium Eccleſiaſticum a Magiſtro Ordinis Teutonici dependens ipſi manere: quae vero intuitu Gubernamenti Halberſtadienſis ille acceperit beneficia, de his Eamdem Serenitatem forte adhuc dubitare. Haec ad Houerbeckium dixit Secretarius. Verba autem poſteriora Dn. Legati de Lumbres erant talia: Quae intuitu Gubernamenti Halberſtadienſis acceperit Comes a Waldeck beneficia, ad illa Dn. Electorem, ceſſante cauſſa miniſterii, non teneri: neque enim, vt praedictum Dn. Comitem Gubernamento illi iterum praeficiat, et is conſequenter ob iſtam cauſſam miniſtrationis illo beneficio denuo fruatur, S. Serenitatem Electoralem cogi poſſe. Petiit de his et reliquis in Memoriali contentis reſolutionem in ſcripto Secretarius. Quam Dn. Legatus promiſit, et diſcurſum de Elbinga duplicem mouit: primum, de tempore euacuationis eius vrbis quaeſiuit, num videlicet illa ſecundum Articulum VII. Inſtrumenti Pacis futura ſit, qui eſſet dies craſtinus, an vero ex Artic. XXVI. aliqua difficultas enaſceretur. Reſpondit Secretarius, ſibi de aliqua difficultate nihil conſtare; quantum ſciret, omnia parari, vt miles propediem educatur. At, cui traderetur? interrogauit. Vtique Regi et Reipubl. Poloniae, reſpondit Secretarius. At, regeſſit Dn. Legatus, Articulum XXVI. modo allegatum loqui proprie de Pace inter S. R. M. Sueciae et S. Serenitatem Electoralem: ergo, quum ibi diceretur, quo tempore quoque Elbinga tradetur, ex natura reciprocationis concludi, quod Elbinga tradenda ſit non Regi Poloniae, ſed Sereniſſimo Electori. Armis Suecicis ablatam eſſe Elbingam Poloniae, ergo cum aliis etiam Poloniae reſtituendam, reſpondit Secretarius. Niſi interuenerit pactum ſpeciale, dixit Dn. Legatus, quale ſit illud Bidgoſcianum inter Sereniſſimum Regem Poloniae et Electorem Brandeburgicum. Ad pacti illius exequutionem, vtpote Pacem Oliuenſem nihil concernentis, non

non teneri Sueciam, Secretarius reſpondit: immo non inueniri verbum *tradetur* in praefato Art. XXVI. ſed *reſtitueret*; at in Art. VII. clara eſſe verba: *Elbinga autem — in manus Sereniſſ. Poloniae Regis eiuſque Commiſſariorum tradetur.* Quin immo Articulum XXII. expreſſe etiam habere: *Elbinga Poloniae reſtituetur.* Hiſce non contradixit Dn. Legatus, ſed multum ſuper iſta re conquerebatur de Polonia, allegans clara pacta, quae iam aut non ſeruentur, aut tantus fieret computus, vt compenſationi vix locus ſit futurus. Nec idem ſe abſtinuit querelae, quod Sereniſſ. Elector contra ſpem et opinionem adactus ſit, Poteſtatibus, quae non ſint Religioni addictae Euangelicae, foedere ſe iungi. Abrumpendi diſcurſum Secretarius occaſionem dedit: quumque gratias agendas Deo eſſe, qui reduxerit pacem inter Reges Chriſtianos, et in his quoque inter S. R. M. Regnumque Sueciae et Domum cognatam Electoralem Brandeburgicam, reſpondiſſet, petitumque de reſolutione ad Memoriale in ſcripto fienda repetiuiſſet, ſurrexit, factiſque curialibus abiit, ac Illuſtriſſ. Dn. Comiti a Schlippenbach haec retulit. Sua Excellentia, audito, Legatum ab Houerbecke iam reſciire de computo Polonico, ſe ex Dn. Legato Polonico intellexiſſe dixit, quod plus iam acceperit a Polonia Elector, quam ſumma illa quatuor tonnorum auri Imperialium adtingere poſſet, ſeque certam eſſe, quod numquam traditura ſit Polonia eidem Electori Elbingam.

In vrbem ſe recepit Secretarius Suecicus, et, finito prandio, ad eum miſit Secretarius Legationis Polonicus, Paſtorius, nunciatum, quod ciſtas, quarum heri facta eſt mentio, ex hoſpitio tranſportari curare vellet. Commodum accidere, poſtquam Secretarius Legationis Suecicus reſpondiſſet, paullo poſt ipſe cum quodam Miniſtro Polonico, Olouio nomine, adfuit, Actaque iſta, nihil deſiderantes in ciſtis probe funibus irretitis, et ſigillo Illuſtriſſ. Dn. Comitis a Schlippenbach ſignatis, ambo receperunt. Paſtorius autem Quietantiae heſternae haec verba in fidem ſubiecit: "Ciſtas, quarum hic fit mentio, quinque numero, tradidi Dn. Michaeli Olouio, Factori Regio. Actum d. XXI Aug. MDCLX. Idem qui ſupra." — Depoſuit autem Factor Regius Polonicus ciſtas illas in aede publica, *die Wage* dicta.

Actum

Digitized by Google

Actum Dantiſci d. $\frac{12}{22}$ Aug. in aedibus Dn. Comitis a Schlippenbach, ante meridiem.

Secretarius Legationis Electoralis ad Memoriale heſternum a Dn. Legato ab Houerbecke hanc reſolutionem adtulit, alia tamen methodo conceptam, additis nonnullis, quae oretenus fuerunt propoſita, partim per Secretarium Suecicum Dn. Legato Electorali, partim per Illuſtr. Dn. Comitem Schlippenbachium ipſum Secretario Electorali, ad Suam Excellentiam miſſo, eſtque hic tenor: "Ad Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legati Regii Suecici in ſcripto expoſita deſideria, Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dn. Legatus Electoralis Brandenburgicus ſequentem in modum ſe declarauit: 1) Praeſidium Strasburgenſe ad mandatum Suae Serenitatis Electoralis ab Eiuſdem Pruſſicae militiae Praefecto Generali diu dimiſſum, paeneque totum in poteſtatem Suecicam reductum eſt; adeo vt, ipſomet tribuno Pleutnero teſte, vix viginti ex eodem deſiderentur. Quorum quidam, vti rumor eſt, militiae Polonicae nomina dederunt, indeque repeti poterunt; ſi vero in ditionibus Suae Serenitatis Electoralis aliqui reperti, idque praememorato militiae Praefecto Generali indicatum fuerit, non detinebuntur. Quum de tormentis duobus Legionariis mentem S. Serenitatis Electoralis in tractatu negotii pacis perſpectam non haberet Legatio Electoralis, non potuit eiuſdem nomine quidquam promittere; maturandi tamen negotii gratia, priuato nomine aeſtimationem eorumdem praeſtare ſeſe obſtrinxit, quod et exequi parata eſt. Ratione vexillorum neutri parti, ſiue Suae Serenitatis Electoralis, ſiue priuato nomine, quidquam promiſit; neque ob defectum mandati quidquam promittere potuit Legatio Electoralis. Proinde non videt Dn. Legatus Electoralis, ex quo capite, inprimis poſt ſollemniter peractam Inſtrumentorum Ratificationum permutationem, aliquid praetendi poſſit. 2) Quae de minis nonnullis, vectigalium Suecicorum (vulgo *Licenten*) adminiſtratoribus intentatis, ad Illuſtriſſ. et Excellentiſſ. Dn. Legatum Suecicum delata ſunt, vanos fuiſſe rumores, res ipſa teſtabitur. Nec eſt, quod metuat Illuſtriſſ. et Excell. Dn. Legatus, ne à parte S. Serenitatis Electoralis quidquam denegetur, quod vigore Inſtrumenti Pactorum iure meritoque ab Eadem requiri poſſit. 3) Licet a Lega-

tione Regia Suecica, in Tractatu negotii et Inſtrumento Pacis, nulla facta ſit mentio Illuſtriſſ. Dn. Comitis a Waldeck: non dubitat tamen Excellentiſſ. Dn. Legatus Electoralis, quin S. Serenitas Electoralis dignam eiuſdem habitura ſit rationem. Poſt concluſam autem pacem haud integrum eſt Legato Electorali, ſine ſpeciali mandato Suae Serenitatis aliquid declarare. De Georgii *Lievens* praetenſis iniuriis, vel Studioſo poſt pacem concluſam in carcerem coniecto, nihil compertum habet Legatus Electoralis: deferet tamen vtrumque ad Gubernationem locorum conſtitutis Conſiliariis Electoralibus, eorumdemque reſponſa referet Illuſtriſſ. Dn. Legato Regio Suecico. Datum Dantiſci, d. $\frac{12}{22}$ Aug. MDCLX." Quoad praeſidium, reſpondit Dn. Legatus Suecicus, Colonellum *Pleutner* in ſuis ad ſe datis litteris nullam facere mentionem certi numeri gregariorum: acceptari tamen confeſſionem iſtam Dn. Legati Electoralis, in praeſenti reſolutione contentam, et poſtulari, vt in reliquis reſtitutio plenarie fiat, nec vbicumque reperti illi praeſidiarii detineantur. Qua ratione ſe tempore Tractatuum Oliuae Legatio Electoralis obſtrinxerit Legationi Poloniae, ratione tormentorum Legionariorum, Legatum Suecicum latere; illa duntaxat iure eumdem repetere. Quin vexilla repoſceret, deſiſtere non poſſe; neque iam tandem poſt commutationem Ratificationum illa poſtulari, verum toto hoc tempore et per Memorialia, et per Secretarium Legationis, hoc aliquoties factum, etiam per Dn. Mediatorem agitatum, ita vt Dn. Legatus Electoralis probe perſpiciat, ſerio et ſatis mature hanc rem actam fuiſſe, et etiamnum agi. Rem vectigalium ſimiliter acceptauit Dn. Legatus Suecicus. Cauſſam Waldecciam adhuc commendauit, vtque in reliquis quoque ſatisfiat deſiderio ſuo, vrſit. Hiſce finitis, prolixe repetiit Secretarius Brandeburgicus, quae de adſiſtentia Illuſtr. Dn. Comitis in cauſſa Elbingenſi nudius tertius propoſuerat. At Sua Excellentia illi, etiam inſtanti, breuibus, vt ante, reſpondit. Illeque dimiſſus, factis curialibus, abiit.

Actum Dantiſci $\frac{12}{22}$ Aug. poſt prandium.

Secretarius Suecicus, qui ex vrbe veniens ad aedes Illuſtriſſ. Dni Comitis a Schlippenbach viam dirigebat, Brandeburgico Secretario et

ex ſuburbio in vrbem tendenti adcurrit; quumque ſe inuicem ſalutaſſent, ille diſcurſum inſtituit de viſitationibus, quod videlicet Dn. Legatus Caeſareus abierit inſalutatus a Dn. Legato Suecico, qui tamen toties cum Dn. Legato Polonico contulerit. Secretarius Suecicus, quod ſciret, Dn. Legatum Suecicum numquam inuiſiſſe, dixit; Caeſarei vero Dni Legati fuiſſe, vt primum viſitaret Dn. Legatum Suecicum; quod ſiquidem ille intermiſiſſet, culpam imputandam Illuſtriſſ. Dn. Comiti a Schlippenbach nullam eſſe. Saepius contuliſſe praefatum Dn. Comitem cum Dn. Legato Polonico Rey, neminem non ignorare, dixit Secretarius Electoralis. Scire hoc negauit Secretarius Suecicus. Quod ſi forte fortuna alter alterum in campo, dum exſpatiaretur animi recreandi gratia, ſalutaſſet, non eſſe hoc viſitationem, multo minus conferentiam. Relicto hoc, perrexit Electoralis Secretarius, non videri, cur non deberetur aduentantibus prima viſitatio ab illo, qui eſſet in loco prior. Hic Secretarius Suecicus quaedam reſpondit ex rationibus, quas ſupra Protocollum d. $\frac{31\ \text{Iulii}}{10\ \text{Aug.}}$ refert, abrumpendo diſcurſum, et ſe litem hanc ſuam facere nolle, dicendo. Nec ſibi animum eſſe quaeſtionem hanc ventilandi dixit Secretarius Brandeb. vnicum tantum eſſe, quod bona fide interrogatum vellet, ſub cautela tamen, vt Dnn. Legatorum neuter reſciret; nimirum, an Illuſtriſſ. Dn. Legatus Suecicus conferentiam omnem cum Dn. Legato Electorali declinaret. Secretarius Suecicus, promiſſo ſilentio, illoque ab iſto ſtipulato, declinare Dn. Legatum Suecicum conferentiam, credendum non eſſe; quod autem Eius Excellentia Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Legatum Electoralem prima vice non viſitatura ſit, extra controuerſiam poſitum eſſe. Ille Secretarium Suecicum, vt rem experiretur, et vbi Illuſtr. Dn. Comes in ſua ſententia de non viſitando prius, quam ipſe viſitatus ſit, permaneret, de expediente cogitaret, amice rogauit, pollicitans, ſe quoque mentem Dn. Legati Electoralis exploraturum atque aperturum. Secretarius Suecicus diligentiam, quodque Secretarium Electoralem vel adhuc hodie vel cras mane certiorem hac de re facere vellet, ſincera mente promiſit. Diſceſſum eſt, atque Secretarius Suecicus iſta retulit Dn. Comiti a Schlippenbach. Ille facile ſe intelligere dixit, Legatum Brandeburgicum ideo de viſitatione ſollicitum eſſe, quod negotium Elbingenſe eum anxium haberet. Quidquid tamen

 ſit,

Digitized by Google

ſit, optare ſe conferentiam cum ipſo: inſiſtendum autem eſſe, quod illum viſitare primum oporteat Legationem Suecicam. Si hodie non vrgeret ipſe rem amplius Electoralis Secretarius, reſponſum differri in craſtinum poſſe.

Actum Dantiſci d. $\frac{11}{21}$ Aug.

Mane Secretarius Legationis Electoralis in vrbe viſitauit Secretarium Legationis Suecicum in ſuo hoſpitio, antequam domo egrederetur, et, num loquutus ſit cum Dn. Comite Schlippenbach heſterni negotii cauſſa, interrogauit. Hic ſe loquutum reſpondit, inueniſſeque procliuem eius cum Dn. Legato Electorali conferendi animum; immutatam autem ſententiam, quod Legato Suecico viſitatio prima diuerſis ex cauſſis debeatur. Ille, numquid daretur expediens? quaeſiuit. Secretarius Suecicus, quale? interrogauit. Ille: Quid ſi in loco tertio conuenirent? Secretarius Suecicus, ſubdifficile hoc videri, dixit. Et dubitare ſe, quod Illuſtr. Dn. Comes aliquid remiſſurus ſit a ſua ſententia, in qua ſatis firmam eſſe Suam Excellentiam ſciret. Secretarius Brandeburgicus: Dn. Legatum Electoralem ſatis fundatum, quod ſibi prima viſitatio deberetur, ſiquidem Dn. Comes prior fuiſſet in loco iſto, qui tertio alias ſurrogatus fuerit: nihilominus credere ſe, quod Eius Excellentia, ad conteſtandum ſincerum animum S. Serenitatis Electoralis erga S. R. M. Regnumque Sueciae, aliquid de ſuo iure ſit remiſſurus. Rogare ſe itaque, licet a Dn. Legato Electorali huius rei mandatum nullum habeat, velit adhuc Secretarius Suecicus tamquam ex ſeipſo experiri mentem Illuſtr. atque Excell. Dn. Legati Suecici. Facturum ſe hoc amore futurae bonae intelligentiae, promiſit Secretarius Suecicus, ſub hac autem conditione, ſi Secretarius Legationis Electoralis a Dn. Legato illo talia negotiandi in mandatis habeat; alias de rebus incertis cum Illuſtr. Dn. Comite differere ſe non audere. Ille paullo tacuit. Deinde, iuſſum ab Illuſtr. atque Excell. Dn. Legato Electorali ſe haec loqui, dixit: quibus diſceſſit. Relata haec ſunt Illuſtr. Dn. Comiti ſaepe memorato: qui, Legatum Electoralem eadem praetendere, quod Regii facerent, ſatis clarum eſſe dicebat. Ac licet in tractatibus Oliuae pares vel aequales Regiis habiti eſſent Legati illi: ſe tamen

Digitized by Google

tamen paritatem iam Legato modo dicto non concedere. Inſiſtendum eſſe, vt ille primus viſitaret Legatum Suecicum. Nec iam continuationem actus eiuſdem, quod videlicet commutatio Ratificationum dependiſſet a pace concluſa, nec nouum fuiſſe actum illum commutationis, allegandum eſſe, ſed ex competentia agendum. Actum hoc ante meridiem.

Poſt prandium Secretarius Suecicus viſitauit Brandeburgicum, et reſponſum tale tulit, quod reſolutioni iſti Illuſtriſſ. Dn. Comitis conſentaneum fuit. Ille, hoc non ſperaturum fuiſſe Dn. Legatum Electoralem, dicebat, qui credidiſſet, Dn. Legatum Suecicum a prius concepta ſententia remiſſurum, nouaeque amicitiae aliquid daturum eſſe. Poſtquam nonnihil diſſertaſſent, Secretarius Suecicus abiit, et illa Dn. Legato referre voluit. Actum hoc fuit hora II pomeridiana. Circiter quartam praefatus Secretarius Legationis Electoralis ad hoſpitium Suecici miſit, eumque rogauit, ſi commodum accideret, paullò domi maneret, ſe ipſum mox viſitaturum. Hic inueniri ſe paſſus eſt domi, quumque adeſſet Secretarius Electoralis, conteſtatus eſt Dn. Legati ab Houerbecke deſiderium viſendi Dn. Legatum Regium Suecicum, dolendo, quod voti ſui compos fieri nequiret. Vbi Secretarius Suecicus ipſam viſitationem eſſe optimam iſtius dubii conciliatricem diceret: ille, ne in conſequentiam trahant Dn. Sueci, ſi Dn. Legatus Electoralis hac vice primus inuiſeret Dn. Comitem a Schlippenbach, verendum eſſe dixit, ideoque Dn. Legatum Electoralem per hunc actum committere praeiudicium ſibi periculoſum ducere. Dum perſiſtere in mandato Secretarium Suecicum oporteret, Electoralis ab eo petiit, vt hoc ſemel tentaret, num forte Illuſtr. Dn. Comes ipſe, quid expediat, proponere vellet. Se aditurum Dn. Comitem, Secretarius Suecicus promiſit: et conuenerunt, quod in ſuburbio *Neugarten*, vbi Legatus vterque degebant, in aedibus, in quibus Dn. Legati de Lumbres diuerſorium nouiſſimum fuerat, reſponſum Brandeburgicus exſpectaret.

Actum Dantiſci d. $\frac{14}{24}$ Aug.

Heri retulit Secretarius Legationis Suecicus Illuſtr. Dn. Comiti a Schlippenbach, qui ſermo fuit nouiſſimus Secretarii Electoralis,

 lis,

lis, quum Sua Excellentia reſolutionem in hodiernum matutinum differret, id illi, ne fruſtra heri reſponſum exſpectaret, per Amanuenſem notificauit. Hodie, nondum adhuc audita ſeptima matutina, Secretarius Brandeburgicus ad Secretarium Suecicum miſit, eumque negotii monuit. Qui ante octauam adire ſe Dn. Comitem non poſſe reſpondit; velle autem memorem eſſe rei, et dum heri coenaſſet cum Sua Excellentia, Eamdem de expediente loquutam; quod ſperaret Secretarius Eamdem hodie reſoluturam, ita vt conferentia fieri poſſet. Si ita videretur, adſit praefatus Secretarius Electoralis in loco heri conuento circa horam nonam antemeridianam. Recepit ſe in aedes ſaepe nominati Illuſtriſſ. Dn. Legati Comitis a Schlippenbach Secretarius Legationis Suecicus, et, quid ſuper hac re Sua Excellentia reſolueret, interrogauit. Illuſtriſſ. Dn. Comes reſponſum dari reſoluit: Quodſi Legatus Electoralis Brandeburgicus hac vice, non habito reſpectu ad rationes, quae hinc inde ventilatae eſſent, et ventilari poſſent, vltro Legatum Suecicum viſitaret, ſe Comitem a Schlippenbach bona fide promittere, hunc actum in exemplum a parte Suecica, futuro tempore, allegari non debere. Adfuit in loco conuento, aedibus videlicet Sagittariorum, (*dem Schießgarten*) vbi Dn. Legatus Mediator hoſpitium ſuum nouiſſimum habuit, et Ratificationum Inſtrumenta authentica inter S. R. M. Sueciae, Regem et Rempubl. Poloniae atque Electorem Brandeburgicum commutata ſunt, Secretarius Electoralis, et a Suecia hoc reſponſum acceptum Dn. Legato ab Houerbecke referre voluit.

Reuerſus eſt ad Dn. Comitem Secretarius Suecicus; et Sua Excellentia litteris Suae Celſitudini Ducali Holſatiae notificauit, compoſitis, quae ex aduerſo obmotae fuerint, diuerſis difficultatibus, pacis per Dei gratiam Oliuae concluſae Ratificationem inter Partes Principales d. $\frac{6}{16}$ huius menſis Aug. cum Dnn. Foederatis Poloniae vero demum $\frac{8}{18}$ eiuſdem permutatam eſſe. Quumque a facta illa commutatione, inter ſeptimanas quatuor loca Holſatiae occupata Suae Celſitudini reſtituenda ſint, Eidem ſe gratulari, nec, quin illa reſtitutio iuſto modo futura ſit, dubitare. Quas litteras curialibus et officiorum oblatione clauſit. Interea Secretarius Electoralis Dn. Legato ab Houerbecke reſponſum de fienda viſitatione retulerat, miſitque ad Secretarium Suecicum

cicum, apud Illuſtriſſ. Dn. Comitem a Schlippenbach adhuc occupatum, rogans, vt paullo ante portam aedis exſpatiari luberet. Conſentiente Dn. Comite, iuit Secretarius. Ille: Se retuliſſe reſolutionem Illuſtr. atque Excell. Dn. Legati Suecici Illuſtr. atque Excell. Dn. Legato Electorali Brandenburgico, qui promiſſionem de non praeiudicando (id quod etiam expreſſe cautum vellet,) acciperet, ſi ſcripto illam dare placeret Dn. Legato Suecico. Secretarius Suecicus, ſi paullulum deambulare ſub tiliis ibi in platea poſitis volupe eſſet, ſe referre velle Illuſtriſſ. Dn. Comiti dixit. Quod factum. Sua Excellentia ſcripto aliquid promittere dubitauit; ſufficere dicens, ſi ipſe per Secretarium Legationis Electoralem notari faceret; ſimiliter Secretarium Suecicum facturum, aut, ſi iſtud parum ſufficiens iudicaretur, notare hoc Secretarium Legationum vtrumque, et Protocolla inuicem commutari poſſe. Retulit hoc Secretario Brandeburgico Suecicus. Ille referre id voluit Dn. Legato Electorali. Suecicus, ſi miniſterio ſuo in hoc negotio amplius opus eſſet, rem maturari oportere dixit, ſiquidem impetraſſet iam dimiſſionem a S. Excellentia Dn. Legato Comite a Schlippenbach in Pomeraniam abeundi, paratamque nauim eſſe Stralſundam abeuntem, quam futura hac veſpera ſit conſcenſurus. Ille cito reſponſum promiſit. Et Secretarius Legationis Suecicus ad Illuſtriſſ. Dn. Comitem iterum adſcendit, Eiuſque Excellentiae Originalia ſequentia tradidit, quae Eadem in Sueciam ſecum adducere voluit. Fuerunt autem Ratificatio Pacis Oliuenſis Regis Poloniae: Ratificatio eiuſdem Reipubl. Poloniae: Ratificatio Caeſaris: Ratificatio Electoris Brandeburgici: omnia pro S. R. M. Regnoque Sueciae. Inſtrumentum praefatae pacis a Legatis Plenipot. Polonicis in pergameno ſubſcriptum: idem Inſtrumentum a Legatione Electorali in pergameno quoque ſubſcriptum. Illud enim, quod Legati Caeſarei in pergameno ſubſcripſerunt, iam ante pro chartaceo extraditum erat, atque id Illuſtriſſ. atque Excell. Dn. Regni Theſaurarius, Comes Magnus Gabriel de la Gardie, in Sueciam tunc adduxit. Abiturus erat, impetrata denuo dimiſſione, Secretarius Suecicus, niſi prius exſpectandum fuiſſet, quid reſponderet Electoralis Secretarius. Pranſum eſt. Audita prima, auditaque hora ſecunda, quum nunciaſſet Secretarius Electoralis, quod conuenire Secretarium Legationis Suecicum in ſuo hoſpitio vellet, hic Illuſtriſſ

Dn.

Digitized by Google

Dn. Comiti valedixit, eumque Sua Excellentia iuſſit, vt ſalutaret officioſiſſime Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Dn. Regni Archithalaſſum, Comitem Wrangelium, Suaeque Excellentiae omnia plenius, quam perſcribi potuiſſent, recenſeret. Quoad viſitationis Houerbeckii negotium, eidem Secretario commiſit, vt, ſi praefatus Dn. Legatus in Protocollum conſentiret, ipſe rem perficeret, Dnoque Comiti vel ipſe, vel, ſi moram iter (quod maturandum certis ex cauſſis S. Excellentia iudicauit) non pateretur, per litteras illud notificaret. Reuerſum in hoſpitium in vrbem Secretarium ſaepe dictum Legationis Suecicum Secretarius Electoralis conuenit, ſeque retuliſſe Dn. Legato ab Houerbecke dixit, quod Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Comes duplici modo propoſuiſſet, nempe, hunc actum viſitantis Legati Electoralis prima vice Legatum Suecicum praeiudicare futuris temporibus non debere, per Secretarios Legationum, vel ſeorſim ad Protocolla ſingula notaretur, vel coniunctim commutandis inuicem Protocollis fieret: praefatumque Dn. Legatum Electoralem conſentire, et promiſſum de non trahendo in conſequentiam denuo acceptare: ſed, an ſufficiat Protocollorum ſub manibus Secretariorum Legationis commutatio, ſe dubium eſſe. Ad haec quid Secretarius Suecicus reſponderit, et porro actum ſit, inſerta iſta ſchedula litterarum ſuarum ad Illuſtr. Dn. Comitem a Schlippenbach explicat.

Illuſtriſſime Domine Comes,

Cum Secretario Electorali de iſto negotio colloquutus ſum. Is refert mihi Houerbeckium probare omnia; at ſe neſcire, an Secretarios referre haec in Protocolla, eaque ſub manu ſua commutare ſufficiat, quum hactenus, quae in his rebus ſcripta eſſent, *ſub manibus Legatorum* exiiſſent omnia. Cui ego reſpondi, me apud Excellentiam Veſtram rem eo perduxiſſe, vt in id, quod propoſitum eſſet, Expediens conſentiret. Quod ſubſcriptionem adtineret, Secretarios olim ſubſcripſiſſe Articulis et primariis et reliquis omnibus, nec defuiſſe cuiquam plenam fidem: atque adeo Memorialia, eorumque Reſponſa cum a Polonis tum a Brandeburgicis ſine vlla ſubſcriptione extradita et acceptata fuiſſe: in permutatione vni vel alteri Articulo ſubſcriptum eſſe, idque ipſum pro ſuperfluo magis, quam neceſſario habendum. Mihi in

in hac tota re nihil magis eſſe in votis, quam vt Legati ſe inuicem ſalutarent, quum id maxime profuturum ſperarem. Me, quum iam in eo eſſem, vt inde proficiſcerer, eamque ob cauſſam Excellentiae Veſtrae valedixiſſem, non amplius exſpectare poſſe, quoniam metuendum eſſet, ne nauis diſcederet. At ille, num quemquam familiarem haberem, rogabat, quem ad Excell. Veſtr. mitterem. Promiſi igitur, ſchedulam mittere, et poſt dimidiam horam, quoniam ipſe non poſſem remanere, vt ad eum reſponſum perferretur, curare. Dantiſci d. $\frac{14}{24}$ Aug. An. MDCLX.

I. E. V.

ſubiectiſſimus ſeruus
Godofr. von Schroeter.

Miſit hanc ſchedulam per Amanuenſem Secretarius, et S. Excell. per eumdem Amanuenſem reſpondit, quod recte rem demonſtraſſet Secretarius Suecicus, et a modo propoſito decedi non poſſe. Dum horae et amplius ſpatium laberetur, antequam Amanuenſis hoc reſponſi redux adferret, Secretarius Electoralis famulum miſit, et tandem ipſe iterum aduenire voluit, ſed in media platea Beatae Virginis Secretarius Suecicus, qui ad aedem publicam mercatorum, *den Junckerhoff,* pedes direxerat, ipſi factus obuius, reſolutionem hanc vltimam Illuſtr. Dn. Legati Suecici aperuit. Ille, Dn. Legatum Electoralem haecce non acceptaturum, et propterea viſitationem ſublatum iri exiſtimauit, addens, quod Dn. Legatus ab Houerbecke iter ſuum hinc, ſiquidem Dn. Legatus Polonicus iam omnia pararet ad Elbingae receptionem, amplius differre non poſſet. Valedixit alter alteri, et Secretarius Suecicus ſe vſque ad horam VII. veſpertinam in vrbe manere velle promiſit.

Actum Dantiſci d. $\frac{15}{25}$ Aug.

Non tantum heri vſque ad promiſſam horam in vrbe Secretarius Suecicus permanſit, ſed etiam adhuc ibi pernoctauit. Quum igitur nihil amplius nunciaret Secretarius Electoralis, hodie hora ſexta matutina Secretarius Suecicus ſuper ea re ſchedulam, ad Illuſtriſſimum Dn. Comitem a Schlippenbach, per Amanuenſem miſit.

Illuſtriſſime Domine Comes,

Excellentiae Veſtrae in praeſenti ſubmiſſe refero, me heri, quae per ſcribam mandata mihi ſunt, narraſſe Secretario Brandeburgico, nimirum, ſi in propoſito Protocolli expediente perſiſteretur, Excellentiam Veſtram id quoque probare. Is vero Houerbeckium ſignificabat eo nequaquam fore contentum, neque eſſe poſſe; atque adeo ſalutationem fieri nequire declarabat. Dantiſci, d. $\frac{11}{21}$ Aug. Anno MDCLX.

I. E. V.

ſubiectiſſimus ſeruus
Godofr. von Schroeer.

Ipſe autem Secretarius *von Schroeer* ſimul per cymbam Dantiſco abiit, nauimque Stralſundenſem, quae heri praeierat, ad fortalitium *Weiſſelmünde* inuenit, vnde circa meridiem ſoluit.

Haec circa Ratificationem, eiuſque commutationem Holmiae et Dantiſci acta ſunt: iiſque Protocollum Tractatuum Pacis cum Polonia, Caeſare et Electore Brandeburgico finitur. — In fidem hoc Protocollum ſubſcripſi

Godofredus von Schroeer,
Reg. Legat. Suec. tum Secr.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTOPHORI PARSBERGII
LEGATI DANICI
DIARIVM
PACIFICATIONIS
OLIVENSIS

E

TABVLARIO REGIO HAFNIENSI

NVNC PRIMVM EDITVM

LATINE EX DANICO VERTIT

LVDOVICVS ERICI F. PONTOPPIDANVS

HAFNIENSIS

Digitized by Google

LEGATI DANICI
NARRATIO RERVM
IN
PACIFICATIONE OLIVENSI
QVOTIDIE GESTARVM

ANNO MDCLIX

Die 28. Octobris ſt. v. Gedanum veneram, quum duo mihi Veſtrae Regiae Maieſtatis mandata traderentur.* Altero poſt aduentum die, totius Ciuitatis nomine duo me adiere Senatores, qui ampliſſimis verbis teſtabantur, quam grato ſubiectoque animo multiplicia in ſe a R. V. M. ſuperioribuſque Daniae Regibus, collata beneficia vrbs vniuerſa agnoſceret; ſimul enixiſſime rogabant, vt ſuis ſuorumque commodis in tractatibus mox, vt ſpes eſſet, futuris benigniſſime conſuleretur, eſſentque ipſi, et haec ſua vrbs, R. V. M. commendatiſſimi. Quibus ego reſpondi, non eſſe, quod de eo dubitarent, ſi ad generales tractatus res veniret; data nuperrime ipſis eſſe illuſtria ſigna Regiae in ciuitatem gratiae ac propenſae voluntatis, dum ad conſeruandam illam, et ab omni vi hoſtili tuendam, V. R. M. ipſa opem praeſentem adtuliſſet, claſſe inſtructiſſima.

* De Parsbergio, Legato Danico, cuius hae Ephemerides per indulgentiam Excellentiſſimi atque Illuſtriſſimi BERNSDORFII, Comitis in Dania Conſiſtoriani, litterarum Patroni Optimi, mecum ſunt communicatae, quaedam pro inſtituti ratione dixi ſupra, Actor. Pac. Oliuenſ. T. I. Obſ. IX. pag. 293 ſq. Is quum ad tractationem Pacis Sueco-Polonicae ablegatus itineri ſe iam menſe Iulio dediſſet, inde ab eo tempore crebras ad Danorum Regem, et primarios Regiae poteſtatis adminiſtros, perſcripſit epiſtolas, in quibus de rebus geſtis, deque ſua Legatione referret. Earum exempla e ſcriniis Ampliſſimi LANGEBECII, apud Hafnienſes Profeſſoris fama doctrinae celebratiſſimi, ad me miſſa, et ab amico quodam meo Theodiſce ex Danico ſermone facta, diligenter contuli cum hoc Diario, in quo ad eas ipſas ſaepius prouocatur. Eſt inter illas duodecima, d. 2 Nouembr. ſt. v. ſcripta ad Regem Daniae, de hoc iſto Dantiſcum aduentu. Ex eadem intellexi, altero mandato iuſſum fuiſſe Parsbergium ea in vrbe commorari; altero, litterarum cum Iulio, (*Juel*) Regio Secretario, commercium inire.

Digitized by Google

Initio quidem miram tam in Polonorum, quam in Suecorum animis, cupidinem pacis intellexi. Res autem non fore nullius difficultatis aut morae videbatur, quum nondum etiam de loco et tempore inſtituendorum tractatuum ſatis conueniſſet. Dn. de Lumbres nulli operae parcebat, vt ad liquidum perducerentur ac perficerentur iſti tractatus: adnitebatur quoque ſimul cum Polonis impedire, ne quid, quod ad pacem inter Regiam Veſtram Maieſtatem et Regnum Sueciae pertineret, ibi ſuſciperetur.* Quippe agitari iam Hafniae a R. V. M. id negotium: non poſſe autem duobus ſimul locis de concilianda pace commode agi; et ob locorum diſtantiam, quod litterae ex vno loco in alterum perferendae eſſent, longam tractatibus iniectum iri moram. Ego quidem Polonos ab iſto dimouere propoſito, ſecundum clementiſſimum M. V. mandatum, magnopere adlaboraueram: ſed perſpecta ſumma rei difficultate, immo impoſſibilitate, humillimas ad R. V. M. die 15. Nouembris ſt. n. An. MDCLIX. dedi litteras,** in quibus adcurate perſcripſi, quantum vbique adpareret pacis ſtudium, et quam exigua ſpes eius impediendae, aut etiam efficiendi, vt liceret quemquam R. V. M. nomine iis tractatibus intereſſe.

Die $\frac{19}{29}$ Noubr. Redditae mihi ſunt litterae Dn. Iulii, d. 5. Nouembr. ſcriptae, quibus mihi ſignificabatur, R. V. M. clementiſſime velle, vt, quanto maximo poſſem ſtudio, Polonis perſuaderem, R. V. M. nihil ſeparatim aut ab iis ſeorſum acturam; vtque, quum primum foret occaſio, Regi Poloniae ante oculos ponerem, quanta in eum eſſent R. V. M. merita; quot commodis Regna eius, auerſo ab iis receptoque in Danici Regni viſcera hoſte tam potenti, eſſent adfecta; quantum

* Conf. PVFENDORFIVS Rerum Brandeb. Lib. VIII. §. 49. p. 505. Ceterum Lumbranus haud alieno a Daniae rationibus animo erat: quin potius iis alio modo proſpectum cupiuiſſe, auctor eſt PVFENDORFIVS Comment. de rebus Caroli Guſtaui, Lib. VI. §. 78. *Faſſus erat Akakia, Lumbranum Legatorum congreſſum haud adeo vrgere, quod metuat, ne ob vtrinque eminens in pacem ſtudium pax ibi propere nimium coiret. Cuius rei cauſſa erat, quod Gallus pacem Poloniae non prius ſuccedere optaret, quam Danica quoque pax in portu eſſet. Vnde Bioernclouio* (Legato Suecico in Gallia,) *iniungebatur, apud Cardinalem teſtari, Regi pacem vtrinque cordi eſſe; ſimul vt Lumbranus negotium ſerio vrgere iubeatur.* —

** Eodem die, litteras alias ad Dn. *Iulium* miſit, quibus de peculiari mandato, ſibi ad obeundum pacis negotium pernecessario, exquirebat: item alias ad *Ioachimum*

tum denique e re vtriuſque R. M. eſſet, non dimittere, quam ſponte offerret fortuna, occaſionem opprimendi hoſtis tam infeſti, qui conſilia Regnis ipſorum pernicioſiſſima fuiſſet molitus. Gedanum eo tempore nondum aduenerat Poloniae Rex. Itaque haec ego apud Legatos, qui iam tum aderant, Polonorum Foederatorumque crebro et diligenter commemoraui, adlatis, quae mihi quidem ad rem aptiſſimae viſae ſunt, rationibus. Has adiuuabant a R. V. M. id temporis in Fionia proſpere geſta. Facile enim omnes intelligebant, R. V. M. victoria illa egregie vſuram, neque paſſuram vmquam eſſe, vt immatura atque feſtinata pace laeti armorum ſucceſſus inhiberentur. Crebris interim epiſtolis voluntatem R. V. M. exquirere non deſtiti: vtrum ſcilicet mihi eſſet Gedani manendum, an Aula, quae tum habebatur Taucheli, (quindecim a Gedano milliaria diſtat,) ſectanda; deque impetrandis litteris commeatus, ac libero ad Pacificationem acceſſu, omnibus viribus laborandum: id quod valde neceſſarium videbatur eſſe, propterea quod incidere multa poſſent, in quibus R. V. M. commodis eſſet proſpiciendum. Simul etiam petii ſupplex a R. V. M. vt, ſi ad pacis tractatum admitterer, de negotiis, quae mihi expedienda eſſent, adcuratius et plenius edocerer.***

Die $\frac{23\ \text{Noubr.}}{3\ \text{Decbr.}}$ Subiectiſſima relatione R. V. M. certiorem feci, aduenifſe Regem Poloniae Dirſauiam, quod oppidum quatuor milliarium ſpatio abeſt a Gedano: expoſui quoque de variis difficultatibus, quas, ne Oliuae fierent tractatus, nectebant Suecorum Commiſſarii; de ſubita, quamquam haud diuturna, poſt victoriam Fionenſem conſiliorum inter Polonos mutatione; de mora, tractatibus haud dubie iniicien-

chimum Gerſdorfium, Magnum Regii Palatii Magiſtrum, cui Suecorum Polonorumque contentiones ſuper loco pacifero, et modo tractandae pacis expoſuit; referens etiam negare Suecos Danicis Legatis litteras commeatus, eo quod inutiles et ſupernacaneae illae forent, quum iam de peculiari pace, inter Danos ac Suecos, Hafniae ageretur. Et haec ipſa Danicae pacis tentamina ſcribit in alia quadam ad Regem epiſtola, d. 19 Noubr. ſt. n. eſſe in cauſſa, quare tractatus cum Polonis procraſtinarentur, Suecis ſucceſſum exſpectantibus tractatuum Hafnienſium. Qui ſi prouenirent, pacem Polonis immani pretio redimendam fore.

*** Talis in primis eſt epiſtola, d. 10 Decembr. ſt. n. perſcripta. Praeſtolabatur tum maxime iſtiuſmodi mandatum Parſbergius, quod ſpei non nihil adfulgebat, fore, vt per Suecos liceret vna cum ceteris Foederatis etiam Daniae Regem iis tractatibus comprehendi.

Digitized by Google

iicienda, ob varia eaque magni momenti poſtulata, vtrimque ſtatim ab initio facta.

Die 26. Noubr. ſt. v. Sueci, poſt longas moras ac tergiuerſationes, tandem conſenſerunt, vt Oliuae de pace ageretur,[*] his tamen conditionibus: 1) Vt coenobium ipſis ſolis, ipſorumque vſibus cederetur: 2) Vt munire illud, et praeſidio Suecico tutari liceret: 3) Vt omnes copiae hoſtiles, dum tractatus fierent, ab hoc coenobio trium milliarium ſpatio remouerentur: 4) Vt duae naues curſoriae ad Oliuam in ancoris tenerentur, iiſque ad perferendas in Sueciam litteras liber concederetur itus reditusque.[**] Dum aliquot dierum ſpatio de his conditionibus deliberant Regis Regnique Poloniae praecipui Conſiliarii, Gedanum cum tota Aula Rex et Regina d. $\frac{3}{13}$ Decembris veniunt. Sequenti die Dn. Morſtinius, Regni Referendarius, inuiſit me, tum propter veterem, quae inter me et fratrem eius interceſſerat Hafniae, amicitiam, tum etiam vt de tempore, quo ad R. M. admitti vellem, deque ipſius admiſſionis modo rituque, fieret a me certior. Dixi ei me tempus admiſſionis, quod Regiis Maieſtatibus placeret conſtituere, praeſtolaturum: ceterum optare, vt idem ſeruaretur modus, quo Batauorum Legati, aliique ad S. R. M. Deputati Extraordinarii, recepti eſſent. Quae res nihil habuit difficultatis.

Die $\frac{6}{16}$ Decbr. Aditu mihi ad vtramque Maieſt. Regiam dato,[***] expoſui R. V. M. iuſſu diligentiſſime, quam ſincera vtrimque amicitia viguiſſet; quae inde commoda ad vtriuſque Veſtrûm redundaſſent Regna; quantae curae id ſibi eſſe voluiſſet R. V. M. vt Poloniae Regem Regnum-

* Conf. PVFENDORFIVS Comment. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VI. §. 77. et quae nos ſupra commemorauimus, Act. Pac. Oliu. T. I. Obſ. VII. p. 253 ſq.

** Paullo plura de his conditionibus narrauit in litteris, ad R. M. hoc ipſo die ſcriptis. Praeſtat legi ipſam Legationis Suecicae *Vltimam Reſolutionem*, ſuper loco tractatuum: quam ex Codice Zaluſciano protuli in Actis Publ. Pacific. No. II. pag. 2 ſq.

*** Hanc primam audientiam ipſi factam deſcripſit pleniore ad Regem epiſtola, die $\frac{7}{17}$ Decembris data, quam indicaſſe ſatis ſit. Sed vero Orationem eius aditialem Latinam ad Regem Poloniae, huic Diario adiecimus ſub *B.* depromtam ex Regio Tabulario Hafnienſi.

* In eamdem ſententiam litteras ipſe Danorum Rex ad Regem Poloniae iam olim dederat, d. 25 Febr. An. MDCLIX. quae exſtant in LONDORPII Actis Publ. T. VIII. p. 1519 ſq. deinde alias, d. 4 Nouembris a. e. ſcriptas, quae necdum publici iuris factae ſunt.

** De quo nonnulla ex KOCHOVIO, PVFEN-

Regnumque a bello grauiſſimo et imminenti ſummo periculo liberaret; quot quantiſque ob eam rem difficultatibus R. V. M. Regna implicata tenerentur; quanta porro animi conſtantia tam et multis et magnis belli malis obuiam iuiſſet R. V. M. nec ſe vllo aut Foederatorum ſuaſu, aut aliorum Principum rogatu adduci paſſa eſſet, vt in tractatus ſeparatos diſcederet, intenta potius omnibus votis ad vniuerſalem pacem adipiſcendam, qua R. M. Poloniae et Foederatis plena redderetur ſecuritas, et damnum omne reſarciretur; denique non tantum ſperare, ſed etiam confidere V. R. M. fore, vt in hoc rerum ſtatu Poloniae Rex pro virili non minorem fidem animique magnitudinem adhiberet, eaque omnia repudiaret, quae ſiue vtilitati R. V. M. ſiue communi bono obeſſent.° Commonſtraui denique praeſentem temporum conditionem, et quo in loco vtriuſque R. M. res eſſent conſtitutae. Quae quum dixiſſem, reſpondit Rex Poloniae, nihil ſibi eſſe e ximio M. V. in ſe adfectu certius et exploratius; data ſibi eſſe luculenta valde illius ſpecimina; inprimis agnoſcere ſe gratiſſimo animo, quod abſque praeſenti R. V. M. auxilio ipſe, Domuſque Regia vniuerſa, et Regnum adeo totum, continuis fluctibus agitata, in extremum peruentura diſcrimen fuiſſent. Tanti beneficii memoriam ex animo effluere ſuo ſe numquam paſſurum, ſed omni tempore, quibuſcumque in rebus, ad referendam gratiam promtiſſimum paratiſſimumque fore. Nec, quae omnium prima ſibi data fuiſſet grati animi ſignificandi occaſio, eam a ſe neglectam eſſe, miſſo in Iutiam cum aliquot militum millibus Czarnecio:°° ſedulam ſe porro operam daturum, vt, quoad fieri a ſe

PVFENDORFIO, atque ex litteris ipſius Regis Danorum commemoraui ad PASTORII Diarium, p. 96. n.* Iſtis nunc addam locum alium inſignem KOCHOVII, Climact. II. p. 396 ſq. *Haud exile*, inquit ille, *eas inter gentes comparauerat ſibi nomen Czarnecius, principibus viris ob militarem indolem aeſtimatus, militi ex periculorum participio carus, illuſtri ſane gloria, non tamen inuidiae expers, quum laudarent vt ſtrenuum fortes, damnarent vt praecipitem ignaui, qua magnitudine animi eminebant, temerarie prouocari diſcrimina obſtrepentes. — Sub abitum flagrantiſſime ab eo Commiſſarii Dani poſtulauere, vt oris vultuſque lineamenta in ectypum transferre pictoris penicillo pateretur, memoriam ſui inter gentes amicas vel in imagine relicturus. Quod diu abnuit fucatae laudis contemtor ille, reponens, res, ſi quae in Cimbrica Cherſoneſo praeclare geſtae ſint, monumentum ſibi fore aere perennius: donec tandem exoratus obiter pingendi ſui copiam fecit, ſanguinis prodigentior, quam colorum.*

Digitized by Google

ſe poſſet, R. V. M. Regnorumque rationibus conſuleretur. In praeſenti quidem pacificationis negotio omnia ſua vota ac deſideria ad vniuerſalem pacem tendere; velle ſe in eo conſilio firmiter permanere, atque in futuris tractatibus ante omnia R. V. M. vtilitati proſpicere. Ceterum M. V. vehementer ſe gratulari inſignem victoriam, quam in Fionia inſula ab hoſte reportaſſet, feliceſque porro armorum progreſſus adprecari. Acceſſi dein ſollemni more Sereniſſimam Reginam, dictaque vtriuſque R. V. M. nomine plurima ſalute, commemorataque amicitia et perpetuo adfectu in Regiam Domum Polonicam, additiſque precibus, vt in conſeruanda ſalute publica opprimendoque communi hoſte operam benigne iungeret, reſponſum tuli humaniſſimum, amoriſque ac ſtudii in R. V. M. pleniſſimum. Addidit praeterea, gratulaturam ſe ſibi fortunaeque ſuae, ſi quid R. V. M. gratum et iucundum poſſet efficere. Admiſſionis meae ratio et modus talis erat. Miſſi ſunt ad me ſatellitum Praefectus, aliuſque Aulicus, velut Cerimoniarum Magiſter, cum Regia rheda, ſex equis iuncta. Ab eo Aulico perductum vſque ad primos aedium Regiarum gradus excepit me Mareſchallus Aulae, et ingens Aulicorum numerus, a quibus ad veſtibulum Cubiculi Regii comitatus, atque a ſupremo Cubiculario ad Regem ſum introductus. Simili ritu ad Reginam, atque inde rurſus ad rhedam, tandemque domum deductus fui. Adeo non haec tantum, ſed et reliqua omnia, ex ſumma R. V. M. dignitate acta ſunt.

Die $\frac{11}{20}$ Decbr. Poſt trium menſium obſidionem, Hauptum deditionem fecit Gedanenſibus,* egreſſuſque inde eſt Generalis excubiarum Praefectus, Dankwartus, cum ſexcentis circiter veteranis. Deditionis huius formulam R. V. M. tranſmiſi cum litteris, d. $\frac{14}{24}$ Decbr. ſubiectiſſime datis, inſimulque retuli, petiiſſe a me aliquoties Praeſidem et Senatum Gedanenſem, vt R. V. M. nomine litteras commeatus darem, quibus et bona Adolphi Ducis, et milites Sueci, qui Haupti in praeſidio fuiſſent, a nauibus Danorum bellicis tuti praeſtarentur, donec vel Stralſundam, vel Calmariam, vel Blekingam, vel Oelandiam

* Vid. PVFENDORFIVS Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VI. §. 73. et qnos laudaui ad PASTORII Auroram Pacis, p. 31. n. *

diam perducerentur. Dictitabat quoque Conſul et Senatus Gedanenſis, ad res cum Suecis tranſigendas, impoſitam ipſis neceſſitatem fuiſſe promittendi, ſe omnem operam daturos eſſe, vt illis talia diplomata impetrarent.

Statim ex quo adeundi ſalutandique Regias Maieſtates mihi primum data facultas eſt, ſummos conueni Regni Adminiſtros, qui cum Rege Poloniae aduenerant: quorum ſunt praecipui Magnus Cancellarius, Vice-Cancellarius, Lubomirſcius Regni Mareſchallus, et Magnus Cancellarius Lithuaniae. His ante omnia de R. V. M. gratia ac beneuolentia certioribus factis, quantum potui, diligentiſſime expoſui, quo iure et quo commodo vniuerſalis pax fieri poſſet; quantopere vires communis hoſtis fractae eſſent, et quantum confideret Maieſtas Veſtra, futurum, vt Rex et Reſpublica Poloniae pacem ſeparatam nollent, vtpote quae R. V. M. omnibuſque adeo Foederatis fraudi foret. Sed quamuis hi Adminiſtri omnem talis efficiendae pacis ſuſpicionem a ſe amoliri ſtuderent, ſeque ab eiuſmodi propoſito alieniſſimos eſſe ſimularent: non poterant tamen inprimis Magni Cancellarii Poloniae et Lithuaniae conſilia ſua adeo tegere, vt nullam plane mihi praeberent ſuſpicandi anſam, capta iam eſſe conciliandae pacis aut particularis, aut quibuſcumque certe conditionibus ineundae auſpicia. Iidem Adminiſtri biduo poſt me reuiſerunt: ac tum quidem luculentius adparebant eorum iſta conſilia, quae R. V. M. litteris d. $\frac{17}{27}$ Dec. ſcriptis obſequioſiſſime indicaui: nimirum, nullis eos ne propriae quidem vtilitatis rationibus dimoueri poſſe a particularis pacis propoſito, quum primum Sueci ad eam adduci ſe paſſuri eſſent. Praecipue vero Magnus Poloniae Cancellarius multa queſtus eſt de adflicto Regni ſtatu, de grauibus belli calamitatibus, quibus ciues tot annis preſſi, et tantum non oppreſſi eſſent.°° Addebant, comperiſſe ſe ex Morſtinio, qui Hafniae eſſet, M. V. decreuiſſe pacem inire cum Suecis, ſi *Hagenſe Compactum* reciperent. Tum vero omne belli onus ſuper ipſos venturum, calamitateſque ſuas in dies magis ac magis auctum iri. Totam Poloniam omnibus votis pacem poſcere: ac nihil non metuendum eſſe a

 ſub-

°° Idem hoc praeter alia, de eodem paullo pluribus refert Parsbergius, in epiſtola, ad Dn. Iulium illo ipſo die perſcripta.

ſubditis, niſi pax quam celerrime reſtitueretur. Se autem operam daturos, vt tractatus, quantum fieri poſſet, differrentur, eo quidem conſilio, vt eodem fere tempore componi vtrimque bellum poſſet. Altero die, poſtquam haec acta eſſent, Regias Maieſtates iterum adire mihi datum fuit. Promittebat Rex et adſeuerabat, ante duas treſue hebdomadas haud inchoatum iri pacificationem: Regina vero, vt vel eadem veſpera ad tractatus deſcenderetur, optabat, mota inprimis epiſtola quadam Dn. Morſtinii, Haſniae d. $\frac{2}{12}$ Dec. data, qua Batauis cum Rege Sueciae, de Elbingenſi Tractatu, iam conueniſſe referebat; illoſque omnem moturos lapidem, vt pax inter R. V. M. et Sueciae Regnum coaleſceret. Nihil magis ad aliquid agendum obſtabat, quam iſtiuſmodi frequentiores litterae Morſtinii: quippe curſoribus publicis ſemper ab eo nuncium adferentibus, id vnum et ſolum a me agi, vt pacis tractatus omnibus modis procraſtinarentur, quo maiorem interea Dani facultatem bene paciſcendi haberent. Qua de re, item de iis omnibus, quae quotidie geſta ſunt, crebris litteris* R. V. M. certiorem feci.

ANNO MDCLX

Die 5. Ianuar. ſt. n. Gedano tranſierunt Oliuam Commiſſarii Sueci,** Magnus de la Garde, Schlippenbachius, Oxenſtiernius Comites, et Guldenklouius: conſtitutumque erat, vt initium conſultationum fieret die decimo menſis eiuſdem.

Die 7. Ianuar. ſt. n. Rex Poloniae profeſſus eſt mihi, ſe dubitare haudquaquam, quin Dani, vt primum aequis conditionibus poſſent,

* In iis lectu inprimis dignae ſunt litterae, die $\frac{21}{31}$ Decembr. ad Daniae Regem ſcriptae, quibus de illo, cum Rege Reginaque Poloniae, colloquio copioſius retulit. Simul neceſſarium eſſe, vt Legatus Danicus, legitima poteſtate inſtructus, abſque mora mittatur ad Oliuenſes tractatus. Hac ratione pacem communem potiſſimum promoueri poſſe: eiuſdemque ſententiae eſſe etiam Caeſareos iuxta et Brandeburgicos Legatos. Lumbranum quoque, iuſſu Regis ſui, ſedulam operam daturum, talis vt pax conciliaretur. Ad extremum de Lubomierſcio addit, eum inprimis Daniae commodis fauere, ideoque de communi pace ſpem largam facere. Haec et talia Parſbergius aliis litteris e. d. ad Regni ſupremum Aulae Magiſtrum perſcripſit.

** Conf. PASTORII Diarium, p. 49.

Digitized by Google

poſſent, pacem eſſent facturi, praeſertim quum eius conciliandae negotium tanta ſtudiorum contentione agerent Angli, Galli et Bataui. Itaque ſibi eſſe proſpiciendum ſuis rationibus, vtque ſuccederent tractationes, ſerio agendum. Quum igitur nihil quidquam proficerem, fruſtraque eſſe intelligerem omnia, quae de R. V. M. ſummo ſtudio communis pacis Regi Poloniae teſtificatus fueram, eodem die, nimirum 7. Ianuar. ſt. n. litteras ad R. V. M. dedi humillimas, quibus expoſui tum de iſto conſilio, tum de Adminiſtris Polonicis, qui, vt praecipitato propoſito aliquam ſpeciem conciliarent, ſpargebant in vulgus rumores de ſubitis et inopinis Coſacorum ac Moſcorum progreſſibus, dictitantes, ni extremum adire periculum vellent, bellum cum vno hoſte componendum eſſe, vt maiore vi alteris illud inferrent.

Die 9. Ianuar. ſt. n. Exhibebantur Procuratoria Commiſſariorum Suecicorum, vt et Caeſareorum, Polonorum, Brandeburgicorum.*

Die 10. Ianuar. ſt. n. Poloni ac Sueci, antequam de aliis rebus ageretur, primo omnium in id conſenſerunt, vt intra proximas octo hebdomadas conditiones pacis expedirentur, bellumque inter ipſos componeretur, ſiue acceſſuri eſſent Poloniae Foederati ad eamdem pacis Formulam, ſiue minus.** Cui decreto et ego, et Legati Caeſarei ac Brandeburgici, vehementer intercedebamus; irrito prorſus conatu. Poloni enim, vt ſunt propoſiti tenaciſſimi, a conſilio ſemel inito ne nunc quidem abſterreri ſe patiuntur. Sed ego nihilominus, qui viderem, tam certam atque arctam hanc temporis definitionem R. V. M. maximo futuram eſſe damno, ſemel atque iterum coram cum vtraque Maieſtate Polonica loquutus*** oſtendi, quantam iam communis hoſtis

 cepiſ-

* Secundum ea, quae PASTORIVS in Diario p. 55. tradit, iſta Procuratoria cum diplomatibus die ſuperiore, h. e. octauo Ianuarii, iam commutata fuerant. Inſequenti die, a Legatis inprimis Caeſarianis diſceptatum ſuper Procuratorio Suecico, in quo *ſociorum belli* nulla mentio, vt eo ſpecioſius ab iſtis pactionibus cauſſa Danica excluderetur. De qua plura dixi ad PASTORII Diarium p. 56. n. *

** Conf. PASTORIVS ad h. d. Is quamquam ſpatium octo hebdomadum haud indicat: de hoc tamen et aliunde ſatis conſtat. Nam et Anonymus Auctor Diarii Polonici, qui rebus interfuit, Regem voluiſſe tradit, vt intra ſex aut octo hebdomadas tantae molis negotium conficeretur.

*** In epiſtola, d. $\frac{7}{17}$ Ianuarii ad Regem ſuum miſſa, ſcribit Parsbergius conueni-

cepiſſet vtilitatem, Polonis ad ſeparatos tractatus inductis; quantum damnum R. V. M. ac Confoederatorum rebus iſta ſeparatione inferretur; quam inſigniter illud augeretur, conceſſa Suecis tanta tamque definita temporis breuitate, intra quod vel neglectis ſociis pax fieret. Praeterea enixe petii, vt, priuſquam inchoarentur tractatus, conſtitueretur, licere R. V. M. ſuorum aliquem, cui ius poteſtaſque agendi rite data eſſet, ad eos ablegare; aut vt feruentibus tractatibus nihil neque decerneretur, neque concluderetur, niſi quod cum R. V. M. et ceteris Foederatis communicatum, et conſenſu omnium comprobatum eſſet. Quae deſideria mea quamquam nec Polonis grata, nec multum, licet inſiſtente me, valitura eſſe facile animo praeuidebam: tentabam tamen, noua in dies poſtulando, variaſque difficultates nectendo, ea, quae impediri prorſus non poſſent, aliquantulum remorari. Reſpondit Rex ipſe Poloniae: Regnorum ſuorum ſubditorumque ſummam miſeriam immenſumque detrimentum, quod ex bello tam diuturno tamque funeſto, ex tot tantiſque internis diſſidiis, ex inſigni denique Moſcorum potentia adlatum ſibi eſſet, pacem non ſuadere tantum, ſed etiam exigere. Ceterum velle ſe, vt, quidquid R. V. M. commodis adiuuandis poſtulaturus eſſem, litteris conſignatum traderem: id quod die poſtero a me factum. Traditi libelli exemplum ad R. V. M. vna cum pleniore rerum geſtarum narratione, d. $\frac{7}{17}$ Ianuar. obſequentiſſime tranſmiſi.* Ab Regina nullum aliud reſponſum tuli, praeter id, quod crebro ingeminabat: "Monſieur, nous „voulons la paix, à quelque prix que ce ſoit; et ſachez, que Dieu „Vous punira, ſi Vous taſchez d'empecher la paix:" et id genus alia.

Die $\frac{9}{19}$ Ianuar. Primae a paciſcentibus exhiberi debuerant Propoſitiones. Illa vero Suecorum, negantium ſe agere velle ſcripto cum abſen-

ueniendi Regem Poloniae copiam ſibi fuiſſe datam die $\frac{1}{11}$ Ianuarii. Poſt ea, quae hoc loco repetit, demum addit, non ſe deſperare de felici negotii Danici ſucceſſu, ni Regina Poloniae, auidiſſima pacis, obicem illi poneret. Femina eſt, inquit, indocilis aequi bonique, (*at hun faſt ingen raiſon vil höre*).

* Memoriale S. R. M. Poloniae a Legato Danico porrectum, Gedani, d. 16 Ianuarii, ſupra deſcripſi in Actis Publ. Pacific. No. XVIII. p. 35.

** Iſtorum ſcriptorum, ſiue Actorum Publicorum, Deſignationem mecum beniginiſſime communicatam infra adtuli ſub *A*. In ea litterae quidem *Mazarini* ad

abſentibus, ſed voce atque coram, non fuit recepta; praeſertim quae nec ſigillis, nec ſubſcriptione vlla erat munita.

Die $\frac{10}{20}$ Ianuar. Dn. Morſtinius, Regni Referendarius, me inuiſit, mihique retulit, Electorem Brandeburgicum Regi Poloniae exemplum miſiſſe litterarum Mazarini Cardinalis, quibus is ſignificaſſet, Regem ſuum omnibus modis id acturum, vt pax inter Suecos atque Foederatos coiret, eumque, ni Elector loca, ab ſe occupata, ante diem Februarii vltimum reſtitueret, copiis ſuis mandaſſe, vt illo ipſo die impreſſionem in prouincias Imperii Germanici facerent. Quae quidem cuncta de induſtria ad me ſunt delata, vt maturandae pacis cauſſam et ſupremam neceſſitatem inde intelligerem.

Die $\frac{14}{24}$ Ianuar. Relatio ad M. V. a me miſſa eſt cum exemplo ternarum Propoſitionum Suecis factarum, quibus etiam Foederatorum poſtulata continebantur. His addidi exempla litterarum Regis Galliae ad Germaniae Principes, itemque Mazarini Cardinalis ad Electorem Brandeburgicum. Sed cum haec, tum alia ſcripta, ad hos tractatus pertinentia, huic quoque narrationi adiungentur.[**] Quum primum deinde curſoris publici facultatem habui, tres Propoſitiones Suecorum, a Dn. de Lumbres Foederatis traditas, tranſmiſi, cum iiſque vna exemplum Declarationis, ſuper admiſſione Adminiſtri R. V. M. a Suecicis Commiſſariis datae, qui ſe in eam conſenſuros ſimulabant, exiſtimantes, admiſſione tali aperte reiecta, magnam tractatibus moram adlatum iri. Eodem tempore nonnullae Regis Suecorum, ad Commiſſarios ſuos, epiſtolae ſunt interceptae,[***] in quibus mandatum erat, vt, quam primum fieri poſſet, tractatus Pruſſicos, nulla prorſus habita rerum Danicarum ratione, ad finem perducerent. Atque

ad Principem Electorem Brandeburgicum memorantur: quarum exemplum ad me miſſum exhibui, ſub *C.* Illae autem Regis Galliarum, ad Principes Germanos, penitus ſilentio praetermittuntur, nec in manus meas peruenerunt.

*** PVFENDORFIVS Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VI. §. 77. *Interim Suecorum litterae intercipiebantur, et, quae notis ſcriptae erant, enodata vulgabantur. De quo quum iſti grauiter quererentur, Foederati cauillabantur, illis tantum litteris ſecuritatem promiſſam, quae per peculiares tabellarios ferrentur, non quae publicis veredariis traderentur.* Exempla litterarum iſtarum vid. in DIARIO EVROP. P. VIII. App. No. III ſq. p. 5 ſqq.

Digitized by Google

Atque id Succi, nouo illarum exemplo per alium curſorem reddito, Foederatis indicabant, hoc obtentu, priorem declarationem ſuperiori cuidam mandato conueniſſe; nuper vero ipſis a Rege iniunctum, vt quouis modo impedirent, ne quid nomine R. V. M. ibidem tranſigeretur.

Die $\frac{25\ \text{Ian.}}{5\ \text{Febr.}}$ Rex Poloniae multis ab me precibus fatigatus, tandem curauit Suecis exhibendam declarationem huiuſcemodi: Continuari tractatus non poſſe, niſi conſentirent Sueci, vt Danicus Ablegatus his tractatibus intereſſet, vtque R. V. M. *tamquam Poloniae Confoederatus, belli ſocius, amicus et vicinus* reputaretur.* Quam rem quum R. M. V. gratiſſimam fore adfirmaſſem: Rex Poloniae, *Quidquid factum,* inquit, *bono animo factum*, ſancteque promiſit, nihil ſe vmquam omiſſurum, quod M. V. rebus vtile ac ſalubre eſſe animaduerteret. Quod ad dilationem tractatuum, non modo ſperare me, verum etiam confidere iuſſit, fore, vt non accelerentur, ſed contra, quoad fieri poſſit, retardentur, nimirum vt eſſet M. V. occaſio tractatus Danicos aut perficiendi, aut, ſi ita potius videretur, in Pruſſiam transferendi. Haec Regis Poloni proba conſilia irrita protinus fecit Regina clandeſtinis apud Suecos incitamentis, vt ne hanc Regis propoſitionem vllo modo acciperent.

Die $\frac{31\ \text{Ian.}}{10\ \text{Febr.}}$ Per peculiarem tabellarium miſi litteras, in quibus ea, quae ad hunc vſque diem acta eſſent, diligenter expoſui. Quamuis enim illa omnia identidem per occaſiones curſorum publicorum adcuratiſſimis litteris retuliſſem: tamen dubius, an recte atque ordine omnes eſſent perlatae, ſtatueram mittendum eſſe peculiarem tabellarium, vt R. V. M. nihil latere certo ſcirem. Non obſcure Regi Poloniae indicaueram, nuncium iſtum ad R. V. M. a me miſſum iri, per quem referrem, quod altera haec pars conſtituiſſet pacem pangere, ſeque ab R. V. M. ſeiungere. Hoc audito Rex Poloniae: "Scribe, inquit, Domi„no tuo verbis meis, me magnorum eius beneficiorum ac ſingularis „amo-

* Vid. Reſponſum Commiſſariorum Polonicorum, ad declarationem Suecicorum, de negotio Danico, in DIARIO EVROP. loc. comm. pag. 31. item in LONDORPII Actis Publ. Tom. VIII. pag. 653.

„amoris numquam immemorem futurum, meamque et Regnorum „meorum ſoſpitationem illi vni, ſecundum Deum, acceptam referre. „Deus mihi teſtis eſt, quantopere animo angar, quum in his tractati„bus neceſſe habeam nonnihil, quod vtilitati Regis tui non prorſus „conueniat, conſenſu meo probare. Res mihi eſt, addebat ille, cum „gente paullo ferociore, paciſque iam adeo auida, vt, ſi tractatus im„pedire vellem, periculis et aduerſitatibus memet obiecturus eſſem.“ Regina, quae inde ab initio viſa eſt ſingulari ſtudio quaerere ac probare omnia, quibuſcumque adiuuari pactiones poſſent, haud diſſimulauit, ſed plane prae ſe tulit, nihil non agitaturam ſeſe, vt pax coaleſceret. Ac verita, ne Regem, qui moueri ſe rationibus facile pateretur, tandem permouerem ad procraſtinandos tractatus, mihi non ſine inſigni animi commotione ſignificabat, quae a me agerentur, inique ſe ferre. Omnia, inquiebat, quae tu apud Regem molieris, ego faciam, irrita ſint: addebatque haec: “Il faut advouer, que cecy eſt bien „plaiſant, Vous voudriez que nous ruinaſſions toute la Pologne d'un „bout à l'autre, pour l'amour de Danemark.“ Quibus ego reponebam: “Vôtre Majeſté ſouffrira, que je lui diſe, que les ſentiments du „Roi mon maitre ne ſont pas portés pour la ruine de la Pologne, ce „qu'il n'a guere témoigné par de véritables effets, l'ayant délivré de „tous ſes malheurs. Son intention n'eſt non plus de brouiller cette „paix, qui ſe va conclure, mais pluſtot de procurer une,qui ſoit ſeu„re et univerſelle, à fin que la Pologne, qui eſt deja ruinée d'un bout „à l'autre, puiſſe en ſureté avoir lieu de reſpirer, et ſe remettre en „bon eſtat.“

Die $\frac{3}{13}$ Febr. Litteras a R. V. M. Legatis apud Ordines Foederati Belgii, Ottone Kraghio, et Godſchalco (*Godſche*) Buchwaldio, accepi, quibus ſignificarunt, quum omnem auertendae pacis particularis ſpem decollaſſe ex me cognoſſent, effeciſſe ſe, vt Dn. Honarto, Extraordinario ad hos tractatus Deputato, iniungeretur, vt iſthanc pacificationem vna mecum impediret. Praecipue vero illud ei demandatum eſſe, vt diceret: Nolle Foederati Belgii Ordines paci, ſi quidem particularis a Polonis concluderetur, praeſtare ſecuritatem. Quod quum Dn. Honartus ad Magnum Cancellarium detuliſſet, fere ab eo

 deriſus,

Digitized by Google

deriſus, hoc tulit reſponſi: Rogatos nondum eſſe Belgas, vt pacis ſponſores eſſent. Tales ſi alii nollent ſeſe praeſtare, ipſos Polonos praeſtituros, ac cetera tempori permiſſuros.* Dn. Honartus ſimul poſtulauerat, ne, ſi quid conſtitutum eſſet, effectui ante daretur, quam Hafniae, vbi item de pace ageretur, tranſacta omnia eſſent. Et fortaſſe impetratum id fuiſſet, ſi Polonis viciſſim data eſſet fides, ante abſolutos Oliuenſes tractatus ratum non fore, quidquid Hafniae concluſum eſſet. Sed quoniam in hanc rem, propter *Hagenſe Compactum*, certi nihil promittere licuit,** neque illud poterat obtineri. Studebant autem et ipſi Legati Caeſarei et Brandeburgici pacificationem quodammodo differre. Quod ſimulac Polonis ſuboluerat, vehementer illi offenſi, a Foederatorum partibus prorſus diſcedere, et ſeorſum cum Suecis agere moliebantur. Sueci quidem Polonos magnopere vrgebant, vt ex Vrbe Oliuam ſe conferrent, quo tanto acrius celeriusque a praeſentibus negotium pacis promoueretur.

Die $\frac{9}{19}$ Febr. Comes de Schlippenbach Libellum Memorialem Magno Cancellario, per Monachum quendam, curauit tradendum, quo Poloni ad diſceſſionem a Foederatis faciendam ſollicitabantur. Iſte libellus ne Foederatis innoteſceret, clam habitus, tandem a Secretario quo-

* Conf. PVFENDORFIVS Rer. Brandeb. Lib. VIII. §. 67 ſq. et quae nos ſupra diſſeruimus, Actor. Pac. Oliu. T. I. Obſ. X. pag. 303 ſq.

** In hanc tamen rem non nihil promiſiſſe Parsbergium, nullo Regis ſui mandato, refert PVFENDORFIVS loc. comm. p. 519. *Auſus quoque Pasbergius fuerat citra mandatum, et ſub ſpe rati cauere, Daniae Regem non prius conuenta firmaturum, quam hic quoque concluſum ſit. Id quod a Polonis reiectum hoc quoque praetexto, quod ipſi hoc promiſſo pure obligentur; Danum autem eo ſeſe exſoluere poſſe, ſi Belgae non conſentiant.*

* Sed hic Libellus in Deſignatione Actorum, qualem infra ſubiicere licuit, non commemoratur: ex iſtis tamen Actis exemplum hoc, quod ſub litt. *D.* exhibui, ad me benigniſſime miſſum fuit. Ab eo diuerſam intellexi eſſe epiſtolam Schlippenbachii, ad Magnum Cancellarium tum quoque ſcriptam, quam quidem olim obſcurius ad PASTORII Diarium, p. 109. n. * ex Anonymi Auctoris Diario Polono MSC. indicaui. Hoc loco iuuat rem paullo luculentius exponere. Iam primum Auctor Anonymus ſaepe laudatus Schlippenbachium tradit per *Monachum Oliuenſem* petiiſſe priuatum cum Magno Regni Cancellario colloquium. In epiſtola autem illa, per eundem Monachum miſſa, claris argumentis ſtudium pacis oſtendiſſe, diſertiſque verbis ſcripſiſſe: *Diem, quae otioſe pereat, vtrique parti damno-*

Digitized by Google

quodam Polonicae Legationis mecum eſt communicatus. Eum ego vna cum litteris, d. $\frac{11}{21}$ Febr. ad V. R. M. tranſmiſi. Exemplum illius inter reliqua Acta habetur.°

Die $\frac{14}{24}$ Febr. Commiſſarii Poloni, temporis euitando diſpendio, non iam ſcripto, ſed voce acturi, Oliuam ſe contulerant; non redituri inde in Vrbem, niſi tranſactis omnibus et ad finem perductis. Caeſarei atque Brandeburgici, quibus aequioris pacis ſpes ex mora videbatur adfulgere, inexſpectato hoc Polonorum facto vehementer commoti, quemadmodum illos ab hoc tali conſilio reuocare poſſemus, aliquoties mecum conſultarunt. Sed vero expenſis rationibus, nihil non fruſtra tentari, facile adparebat.

Die $\frac{16}{26}$ Febr. Suecici Commiſſarii ad ternas, quae a Foederatis, Caeſareis et Brandeburgicis, factae erant, Propoſitiones Reſponſa exhibuerunt: quorum exempla, vt et eorum, quae Sueci ab illis tulerunt, infra ſubiecta ſunt.°°

Die $\frac{17}{27}$ Febr. Reddita mihi ſunt, quae ad me dedit R. V. M. tum Procuratorium, tum ſecretiora mandata, quae inter tractandum pede preſſo ſequerer. Horum quoque exempla ſuo loco poſui.°°° In

mun-

damnoſam eſſe. Duas tantum, ſed ſane magnas difficultates e medio tolli debere, nimirum Poſtulata ſuper Suecia et Liuonia. Illam Sueciae Regem numquam Polonis ceſſurum; hanc aliqua ex parte, vt, quae Suecorum huc vſque fuiſſent, iisdem et in poſterum illibata ſeruarentur. Si qua alia lege ſubſcriberet paci, *malle dextram ſibi amputari, quam ad Regis iuſſum capite truncari.* — Haec ille ex ore Magni Cancellarii, qui in Conſilio Regis Poloniae epiſtolam Schlippenbachii recitauerat.

** Et certe ſubiecta huic Diario fuiſſe a Parsbergio, etiam ex Deſignatione Actorum adparet. Nos vero dudum ante edita, ab nobiſque excitata ad PASTORII Diarium p. 66 ſqq. atque item Obſ. V. p. 238 ſq. hic non repetimus.

*** Procuratorium Regium Danicum d. 1 Ian. MDCLX. vid. ſupra in Actis Publ. Pacific. p. 80. item Mandatum Regis Daniae, Legato ipſius ad tractatus Oliuenſes datum d. 20 Ian. e. a. ibid. p. 81 ſq. — De his Regiis litteris recte ſibi traditis Parsbergius Dn. Iulium certiorem facit epiſtola, die $\frac{18}{28}$ Februarii perſcripta. Inſimul contentionem refert cum Brandeburgicis Legatis, ſuper praecedentia, quam illi nunc, ſumto Legatorum Extraordinariorum titulo ac honore, ſibi denegarent. Nec me piget verba Franco-Gallica, epiſtolae Danice ſcriptae inſerta, hoc loco ſubiicere. *Mr. Henart, Deputé Extraordinaire des Etats*

mandatis autem fere praecipuum erat hoc, vt Saluos Conductus impetrare, omnique ſtudio et animi contentione Polonos perducere ad communis pacis conſilia adniterer.

Die poſtero $\frac{18}{28}$ Febr. aditum ad Regias Poloniae Maieſtates petieram; ſed impetraui demum d. 23 Febr. ſt. v. Tum vero poteſtate me neceſſariiſque mandatis inſtructum eſſe retuli; vtque ceſſarent tractatus de pace, donec ipſe forem admiſſus, Regem obſecraui, demonſtrans longa oratione, quum omnes, quas cogitando inuenire potueram, rationes adferrem, niti admiſſione mea praecipuam Foederatorum vtilitatem, eaque vna via recte ad commodam et firmam pacem perueniri. Reſponſum a Rege: Sibi gratum eſſe, quod tali munitus eſſem auctoritate: velle ſe Suecis denuo declarare, nihil amplius niſi me ad tractatus admiſſo actum iri. Ceterum volebat haec mea poſtulata ſcripto ſibi tradi, quo facilius rem ad conſilium referret. Ego vero e veſtigio morem geſſi, Libellumque Memorialem exhibui, cuius exemplum infra legi poteſt.° Contra Regina, cui haec et talia minime adriſere, animi impotens, me nec poſſe dicebat, nec debere ad hos tractatus admitti; pacem tantum non penitus coaluiſſe. Quod vero rebus ipſorum tanto ſtudio me ingererem, id non eo me facere ,vt R. V. M. nomine ibi aliquid efficerem: aliud enim ex inceptis Hafniae tractatibus adparere: ſed vt ipſorum pactiones, dum noſtrae expeditae eſſent, procraſtinarem. Ad quae ego: Satis patere, Regem Poloniae rationibus R. V. M. atque communi paci prorſus aduerſari, qua tamen eius ipſius ſecuritas vel maxime niteretur. Nemini non mirum viſum iri, Regem ante hos octo dies ſcripto, ea de re, ad Suecos libello memoriali, inhibere tractatus voluiſſe, donec admiſſus eſſet Danicus Legatus; nunc quum rite inſtructus adeſſet, eius admiſſioni Reginam obniti, et

Etats Généraux pour ces Traittez, ne veut point ceder à ces Meſſieurs, et me cede par tout à moy: quelle raiſon me pourra donc perſuader à ceder le prémier rang à ces Meſſieurs, puiſque celuy, qui me le cede à moy, ne s'y veut point entendre. Je ſcay, qu'ils ſe trouvent et ſe trouveront des perſonnes, qui ne manqueront point à faire des Commentaires ſur ce point que j'ay mis icy, et qui auront aſſez d'imprudence, ou pour mieux m'expliquer, d'impudence pour dire que quelque ambition ou particulier intereſt m'a porté à mander cecy à la Cour. Mais je

et praecipitato pacis conſilio maximum Foederatis detrimentum velle adferre. Falli autem Reginalem Maieſtatem, quod meam admiſſionem tractatibus obfuturam exiſtimaret: neque id difficile eſſe ad intelligendum: quippe Suecos, animaduerſa Foederatorum conſtantia atque concordia, ad aequiores pacis conditiones citius adigi poſſe. Ad haec eidem Reginali Maieſtati praeteritorum temporum conditionem in memoriam reuocaui. Fortaſſe haec talia reditura aliquando, quibus illuſtrium Foederatorum praeſenti auxilio rurſus indigeret. Sed Regina, grauius haec ferre viſa, reſpondit mihi non ſine aliqua perturbatione: "Monſieur, alors comme alors! Tout ce que Vous „dites icy, eſt bon pour Vous; mais nous n'y trouvons pas notre „compte." Probe ſe cognitum atque exploratum habere, R. V. M. nihil aliud moliri, quam vt ipſis praeueniret. Nihilominus ſpem animo ſe fouere certiſſimam, fore, vt Oliuae negotium, intra paucos dies, ad finem perduceretur. Facto ita opus eſſe, ni totam Poloniam ſtirpitus interire vellent. Quin palam profeſſa eſt, ſe ipſam ad Suecos ituram eſſe, praeſentemque cum iis colloquuturam, ſi hoc modo pacem intelligeret maturari poſſe.

Adii deinde Commiſſarios Polonos,** qui numero ſex e praecipuis Regni Adminiſtris erant. Hi ſe apud Regem ſuper ea re acturos promiſerunt, et, intra aliquot dierum ſpatium, de illius voluntate memet certiorem facturos. Quod quidem tempus ego haud impatienter exſpectabam, quum rem haudquaquam ex voto ceſſuram facile praeuiderem. Id vnice agitabam, vt moras alias ex aliis necterem. Ac videor mihi Polonos Commiſſarios facile ad aequiora flectere potuiſſe, niſi metuiſſent illi Reginam, quae ſuas artes et conſilia nullo modo impediri volebat. Elapſis tribus diebus, retulit mihi Vice-Cancellarius: Rebus probe perpenſis omnibus, id, quod efflagitarem, ipſis impoſ-

je protéſte fort contre leurs ſentiments, et ne me ſouſmet point à des jugements ſi legers, comme de ceux, qui ſont prompts à juger de toutes choſes, meſme de celles, qu'ils n'entendent pas.

* Inde deſcriptum eſt id, quod ſupra adtuli in Actis Publ. Pacific. p. 88 ſq. Neque diuerſum ab illo, quod et in Deſignatione Actorum vocatur *Memoriale Ablegati Danici.*

** Conf. PASTORIVS ad d. 9 Martii, p. 134. et ad d. ſq. p. 136.

ſibile viſum eſſe, quia tractatus longius iam eſſent prouecti. Sed illud R. V. M. cauſſa Regem Poloniae facturum eſſe, vt, priuſquam in Dania omnia expedita eſſent, pacem ratam non haberet. * Negaui ego, inde M. V. quidquam vtilitatis percepturam, neque adeo, ſemel inita et concluſa pace, de ratificationis tempore multum laboraturam eſſe: ceterum exploraturum me ſuper ea re clementiſſimam M. V. voluntatem et ſententiam. Atque ita etiam feci, litteris d. $\frac{25\ Febr.}{6\ Mart.}$ demiſſiſſime perſcriptis. Interim eo proceſſerant tractatus, vt de duobus praecipuis capitibus, quae plurimum difficultatis et controuerſiae nemini non videbantur habitura, inter vtramque partem conueniret. Alterum erat, vt Poloni iuri ſuo in Liuoniam prorſus renunciarent; alterum, vt Sueci Curlandiae Ducem priſtinae libertati ac dignitati reſtituerent, omnesque eius res mobiles ac litteras, quae haberi adhuc poſſent, redderent.

Die $\frac{1}{11}$ Mart. Referendarius Regni demandatum ſibi eſſe retulit, ** ingenue mihi fateretur, felici tractatuum ſucceſſu iam difficillima quaeque expedita, nec dubiam ſpem eſſe, etiam reliqua omnia ante Ferias Paſchales compoſitum iri. Regem Poloniae optaſſe quidem vehementer, vt liceret mihi tractatibus intereſſe; ſed Suecis, omni ratione modoque contra nitentibus, cedere neceſſe habuiſſe, ni extremo periculo Regna ſua exponere voluiſſet. Regeſſi ego, periniucundum M. V. futurum intellectu, vana atque inania fuiſſe, quae Rex Poloniae Regnique Proceres, de communi pace, meaque ad tractatus admiſſione, toties tamque certo promiſiſſent. Poſſe vtique Polonos multis videri ingratos, qui tot ac tantis beneficiis, a R. V. M. acceptis, quibus adiuti velut ſpiritum recepiſſent, nunc ita vterentur, vt cum Suecis de pace tractarent. Ex qua ſi quid in Poloniam commodi redundaret, videri poſſe illos priuatae vtilitatis ſtudio abreptos, quae in commune prodeſſent, negligere: nunc cauſſam eſſe nullam, cur Poloni, ſuis et Foederato-

* In litteris iis, quarum paullo poſt meminit, Reginam refert tum mandaſſe Legatis Polonis, vt differendae ratihabitioni certum tempus, nimirum bimeſtre, conſtituerent. De quo et PVFENDORFIVS Rer. Brandeb. Lib. VIII. §. 67. p. 519. *Ad extremum*, inquit, *Poloni ſpem faciebant, in gratiam Daniae exſequutionem Pacis in duos menſes ſuſpendendam. Sed Pasbergius eo non contentus, ſuſpenſionem ſine modo ad perfectam vſque in Dania pacem fieri cupiebat. Nam*

deratorum rebus ex voto fluentibus, pacem pangerent hoſtibus proficuam, deque iure ſuo non tantum in vniuerſam Sueciam, ſed et in Liuoniam, quae ad Poloniae Regnum pertineret, concederent. Cognoſci ex omnibus, quae e Germania, Belgio atque Anglia adferrentur, litteris, mirum id et ſine exemplo videri vnicuique, victo a victore ſatisfieri. Ceterum arbitrari me, id ipſis nondum eſſe tam firmiter conſtitutum, quin mutari et poſſet et deberet, ſiquidem non modo vtilitatem ſuam, (id quod aliquoties iam demonſtraſſem,) verum etiam exiſtimationem, cuius inprimis conſeruandae gens quaeque cupida eſſe deberet ac ſoleret, in eo agi reputarent. Hoc reſponſo accepto, in Aulam ſeſe contulit Dn. Morſtinius.

Die $\frac{2}{12}$ Mart. Ante meridiem Commiſſarii Poloni Secretarium Legationis ad me miſerunt, rogatum, vt tempore pomeridiano ad colloquium cum ipſis ſerendum de rebus, ad R. V. M. commoda ſpectantibus, venirem. Veni ad illud in aedes, in quibus paciferae conſultationes habentur. Magnus Cancellarius, tacentibus reliquis orationem orſus, repetebat fere eadem, quae pridie Dn. Morſtinius dixerat: nimirum Regem Poloniae iniunxiſſe Commiſſariis, vt mihi ſignificarent, quo in loco iam res eſſent; poſſe ipſum tractatus, quandocumque liberet, concludere; ſublata e medio eſſe grauiſſima impedimenta; ſed velle ipſum, priuſquam ad finem omnia perducerentur, ex me cognoſcere, num qua in re R. V. M. prodeſſe poſſet. Ibi ego: Multo, aiebam, gratiſſimum fore R. V. M. quod ipſius aliqua ratio adhuc a Sereniſſimo Rege Poloniae haberetur. Quod autem ſcire vellent, qua in re M. V. rebus conſuli poſſet: id mihi videri nullo alio modo fieri poſſe melius aut rectius, quam ſi Poloniae Rex non niſi ad vniuerſalem et ſecuram pacem, omnibus Foederatis exoptatam, contenderet. Tum vero illi ſancte adfirmare, Sereniſſ. Regem Poloniae, Dominum ſuum, nihil

Nam alias ratihabitionem intra duos menſes non poſſe fieri, ac Sueco facile eſſe, duos menſes eludere. Ac quum vrgeretur, negabat ſibi mandatum talia viciſſim promittere.

** Sed enim eum iam ſuperiore die conueniſſe Parsbergium, ex litteris ad Regem tum ſcriptis patet. Hoc autem die $\frac{1}{11}$ Martii, Danica cauſſa inter Polonos Foederatoſque diſceptata: prout luculenter exponit PASTORIVS ad h. d.

hil habuiſſe tali pace optatius: ſed enim Suecos eo perduci nulla ratione potuiſſe. Praeter damna illata ab Coſacis et Moſcis late victoribus, diuturno cum Suecis bello vires Poloniae adeo eſſe fractas, vt, qualiſcumque iam pax offerretur, ambabus manibus amplectenda eſſet. Quod autem Dani ab his tractatibus per Suecos excluſi fuiſſent: Regem Poloniae, amoris ſui erga M. V. teſtificandi cauſſa, ratihabitionem per duos treſue menſes dilaturum eſſe, quorum ſpatio M. V. Suecicos tractatus perſequi poſſet; aut, ſi ne id quidem ſufficeret, eo vſque fortaſſe, donec in Dania pax coiſſet. Enimuero ſibi contra dandam eſſe fidem, ſi pax in Dania prius coaluiſſet, eam a R. V. M. niſi tractatibus etiam in Pruſſia expeditis, minime ratam habitum iri.

Haec et talia, quae ab ipſis proferebantur, eo vnice tendebant, vt exploratis mandatis, haberent, quod aut carperent, aut ſeceſſioni inter ipſos iam conſtitutae praetexerent. Ego igitur ad id, quod Suecos dixerant in meam admiſſionem conſentire nolle, hoc inprimis repoſui: Peſſime agere ipſos, quod rem eo delabi paterentur, vt ab hoſtium conſenſu vel diſſenſu penderent; nec me dubitare, quin Sueci, ſi ſerio rem agi animaduerterent, aut ad conſenſum adigerentur, aut, (quod vix eſſent auſuri,) omnem generalis pacis ſpem praeſcinderent. Quod ad ratihabitionem, per duos treſue menſes differendam, eam inſtar beneficii non poſſe haberi a R. V. M. quippe quae ſatis noſſet, ratificari nihil in Polonia poſſe, niſi Comitiis Regni conuocatis, ad quae indicenda et cogenda trimeſtri ad minimum ſpatio opus foret: praeterea autem eiuſmodi definitionem temporis plus obfuturam eſſe R. V. M. quam profuturam. Facile enim intelligere Suecos, M. V. niſi onus belli in ſe omne recidi vellet, intra iſtud tempus pacem eſſe qualemcumque ineundam. Ac ne, ſi tamdiu quidem vellent ratihabitionem differre, donec in Dania tractatus eſſent compoſiti, id vllo modo

* Conf. PASTORIVS loc. comm. p. 140 ſq. et quae n. ** ex Anonymi Auctoris Diario Polono adieci.

* In hanc ſententiam, aliis quidem verbis, hunc locum ipſe olim tranſtuli e Theotiſca verſione, adſcripſique ad PASTORII Diarium, p. 141. n.** Iuuat autem Danica verba ſubiicere, quae ſic habent: *Vi haver reſolveret at ſeparere Os derfra, will I ey det giöre, det ſtaaer til Eder. Om enſkiönt Danmarck geraadede*

modo R. V. M. proficuum eſſe poſſe. Etenim mutuam Confoederatorum opem conſiſtere in eo inprimis, vt ad communem hoſtem compeſcendum vim atque arma conſociarent. Quapropter illam eorum promiſſionem, meo quidem iudicio, haud magni eſſe faciendam: quippe poſitis ab altero ſociorum armis, alterius non multum intereſſe, ſerius an ocius rata pax haberetur. Interea ad R. V. M. iſtas me propoſitiones perſcripturum, voluntatemque Ipſius exploraturum eſſe. Colloquii finis initio plane ſimilis fuit. Nam diſcedenti mihi non obſcure ſignificabant, nulla non in re inſeruituros ſeſe commodis R. V. M. ſed bellum diutius proferre, aut pacem differre, id vnum ſibi haud licere.

Tractatus iam ad liquidum erant perducti. Supererat vnum, neque graue illud, neque ad expediendum difficile: nimirum Rex Poloniae, ceſſo in Regnum Sueciae iure, titulum tamen, quem huc vſque tenuerat, reſeruatum ſibi cupiebat: Sueci autem, niſi numerata certa pecuniae ſumma, eumdem denegabant. Caeſarei et Brandeburgici, qui nondum deſponderant animum, Polonis non diſſimulabant, pacis negotium ſatis improuide feſtinari. Id quod Polonos adeo non ad meliora conſilia permouit, vt potius rem maiore animi contentione vrgerent, atque ipſi per Dn. de Lumbres occaſionem Suecis praeberent poſtulandi, ne quid hic rerum, ad Maieſtatem Veſtram ſpectantium, ageretur. Dnus de Liſola, Caeſareus Legatus, non praetermiſit Magno Cancellario commonſtrare periculum,[°] in quo Dania verſaretur, per particulares tractatus a ſuis Foederatis deſerta. Cui reſponſum: "Nobis quidem plane conſtitutum eſt a Danis „diſcedere: vobis, quod libet, licet. Nam vt Dania in ſupremum „diſcrimen adducatur: id quidem ad Batauos et Gedanenſes parum „pertinet. Certe malum iſtud, quia via eſt longa, ſerius ad nos per„ueniet."[°°] Quod quidem vti temere, ita ſane quam praecipitanter dictum

dede ganſke udi allerſtörſte Höd og fare, kunde det ikke komme de Hollaender og den Byen Dantzig til merckelig Skade, det er langt, förend det kan naae os. Hoc enimuero reſponſum Magni Cancellarii Parsbergius ipſe, quoad Batauos et Gedanenſes, paullo aliter memorat in epiſtola, d. $\frac{7}{17}$ Mart. ad Daniae Regem ſcripta: cuius exemplum nuper demum ad me miſſum eſt. Quippe ait: "Etiamſi Dania in Suecorum poteſtatem ditionemque redigeretur, ſolos tamen Batauos, ſolos

Digitized by Google

ctum a tanto viro. Neque nuncius de morte Regis Suecorum inopinus, qui magnam [illegible]ctatibus aut mutationem, aut certe moram, nondum compoſita regiminis forma, videbatur adlaturus eſſe, tale quidpiam adtulit. Regina enim Poloniae Gallos pacis ſponſores fore dictabat: ideo ſat proſpectum Polonis, quale demum cumque in Suecia regimen conſtitueretur.

Die $\frac{21}{31}$ Mart. Sueci Commiſſarii per Dn. de Lumbres Libellum Memorialem exhibuerunt, quo poſtulabant, vt euacuatis duabus vrbibus munitis, Elbinga et Mariaeburgo, ſibi quadringenta millia florenûm numerarentur.* Quod quum Poloni vmquam ſe facturos negarent, alius Libellus a Suecis traditus, quo multa eorum, quae illis ante adnuerant, iam renuebant: nempe titulum Regis Poloniae Suecicum, quoad viueret; item quatuor in Liuonia praefecturas, quae Polonici iuris huc vſque fuerant, et cuius eas inpoſterum Sueci futuras polliciti fuerant. Porro Sueci negabant, Elbingam ſe Electori tradituros: de quo ipſo antea iam inter vtramque partem conuenerat.** Quibus Suecorum conſiliis perturbati Poloni, rupto prorſus conuentu, Oliua Gedanum redierunt.*** Id quia non ingratum mihi fore intelligebant, Ducis Curlandiae Cancellarius e veſtigio me hac de re certiorem fecit, ſecurumque eſſe iuſſit: nimirum ruptos eſſe tractatus, et liquido nunc adparere, Suecos neque ſerio, neque ingenue rem egiſſe.

Sequenti die $\frac{22 \text{ Mart.}}{1 \text{ April.}}$ habitum eſt a Polonis et Foederatis colloquium,**** in quo illi horum opem ſollicitabant, ſi forte bellum redintegrandum eſſet. Adnuerunt precibus Foederati, ſeque conſociatis armis non prius belli finem facturos polliciti ſunt, quam certa atque honeſta pax conderetur. Per totum biduum nulla quidem ſpes reſtaurandorum tractatuum adfulgebat: ſed Polonorum mobilitate et ardenti vtrimque pacis ſtudio hi motus facile compoſiti.

Die

ſolos Gedanenſes damnum inde paſſuros eſſe.“ Id quod mihi videtur rei conuenientius. Sed en tibi verba: *Om endſkiönt Danmarck kom in Svenſk magt: Saa var Det ikkun de Hollaender og Dantzig ſom komme derover at lyde.*

* Conf. PASTORIVS ad d. 29 Mart. p. 188. n.** et ad d. 30. eiuſd. menſ. pag. 194 ſq. n.** item DIARIVM SVECICVM pag. 22 ſqq.

Digitized by Google

Die 23 Mart./2 April. Dn. de Lumbres Commiſſarios Polonos eo perduxit, vt Oliuam redirent, tractatuſque repararent,[*] maiore etiam, quam ante, ſtudio, propterea quod Morſtinius iunior per id tempus ex Haſnia ſcripſerat, R. V. M. ibi cum Suecis diligenter agere, ſpemque eſſe repentinae pacis, quippe quam Angli et Batauí validiſſime adiuuarent.[**] Poſt reditum Polonorum Oliuam, ſopitamque a Dn. de Lumbres controuerſiam, tanta animis inceſſit concludendae pacis cupido, vt grauiſſima capita intra quatriduum expedirentur: ſcilicet vt Dux Curlandiae, quatuordecim diebus poſt finitos et ſubſcriptos tractatus, in priſtinum ſtatum ac libertatem reſtitueretur; vt tota Liuonia Suecis traderetur, omnique in eam iure Polonia cederet; vt Mariaeburgum et Stuma Pruſſiae ciuitates, et Bautſcum in Curlandia, ſtatim euacuarentur; vt Sueci Elbingam quatuordecim, poſt ratificationem, dies retinerent; vt liberum religionis exercitium incolis Liuoniae in aedibus ſuis concederetur, peregrinis negaretur. Sed Pomeraniae ciuitates atque arces Foederati negarunt, antequam pax inter Regiam Maieſtatem Veſtram et Regnum Sueciae confecta eſſet, reſtitutum iri; nec Sueci valde repugnarunt. Quum igitur Poloni iam omnia compoſita eſſe non modo arbitrarentur, ſed etiam prae ſe ferrent, aegre ab iis obtinere potui, vt in aequalem guarantiae communionem R. V. M. admitteretur. In cauſſa erant crebrae Dn. Morſtinii ex Haſnia litterae, quibus referebat, Batauos cum Suecis inducias feciſſe, vt R. V. M. eo citius ad acceptandas propoſitas pacis leges adducerent. Itaque Regina modis omnibus inſiſtebat, finiendos eſſe tractatus: neque enim dubitationem ſupereſſe, quin primo quoque tempore nuncius de pace illic ſancita adferretur. Et dictitabatur fere in dies, de praecipuis rebus inter R. V. M. atque Suecos iam conueniſſe. Quapropter Sueci nonnihil cunctabantur, vt, quales Poloni ſe, acceptis his nunciis, praeſtituri eſſent, luculentius cognoſcerent. Reginae autem iſtiuſmodi rumores grati acceptique erant, vt qui mihi omnem cauſſam et

** Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 198. et DIARIVM SVECICVM ad d. e. pag. 36.

*** Conf. PASTORIVS loc. comm. pag. 199. et n. **

**** De quo conf. PASTORII Diarium ad d. 2 Apr. p. 200 ſq.

* Conf. PASTORIVS loc. comm. pag. 206 ſqq.

** PASTORIVS p. 204 ſq.

occaſionem adimerent poſtulandi, vt ad tractatus illos admitterer. Quippe inconueniens eſſe, ſuper vna eademque pace duobus in locis agere.

Die $\frac{6}{16}$ Apr. Vtramque Regiam Maieſtatem adii, litteraſque R. V. M. die 23 Mart. ſcriptas,* exhibui. Dixi inter alia, R. V. M. etſi comperiſſet iniri cum Suecis ſeparatos tractatus, nulla habita rerum Danicarum ratione, minime tamen dubitare, quin in ea conuentione ſuae ſuorumque Regnorum, Prouinciarum, Principatuum et Comitatuum ſecuritati aeque ac Confoederatorum proſpiciatur. Rogaui praeterea, ne Sereniſſimus Rex Poloniae ſuam ratificationem, (duabus enim in Polonia opus eſt, altera Regis, altera Reipublicae,) prius exhiberet, quam et in Dania coaluiſſe pacem conſtaret. Negauit ille hoc fieri poſſe, propterea quod, vt a Suecis Mariaeburgum, Stuma et Bauſcum euacuarentur, ex compacto ſtatim ratificatio tradenda eſſet. Incluſionem vero illam vtique factum iri, et, quemadmodum ſperaret, ex R. V. M. ſententia. Poſthaec paucis diebus etiam reliqua leuioris momenti, inter Polonos et Suecos, tranſacta ſunt.

Die $\frac{17}{27}$ Apr. Aditus ad vtramque R. M. Poloniae conceſſus eſt Commiſſariis Suecicis, vt et Comiti Koenigſmarkio, ex caſtello Viſtulomunda dimiſſo, poſtquam fidem dederat, non exiturum ſe Vrbe, donec Curlandiae Dux in ſuas prouincias eſſet reſtitutus.

Die $\frac{21\ April.}{1\ Maii}$ Oliuae de R. V. M. incluſione agebatur.** Summopere obnitebantur Sueci, ſuperuacaneam eam eſſe dictitantes, quod, quae ipſorum erat opinio, pax in Dania iam eſſet confecta. Inclinabant et Poloni animos in eam ſententiam, veriti, ne paci mora obiiceretur. Enimuero Caeſarei, Brandeburgici, et ego validiſſime rem proſequuti ſumus, vſquedum punctum illud Daniae, a me conſcriptum ac R. V. M. obſequioſiſſime traſmiſſum, Suecis ad ſubſcriptionem oblatum eſſet. Inter

* Fuerant autem hoc die binae ſcriptae, ad Sereniſſ. Regem Poloniae, aliae *Credentiales*, quas vocant, aliae *de dimittendo cum venia Dno Deputato*: quae et ipſae in Deſignatione omiſſae ſunt. Ego vtraſque huic Diario adieci ſub E et F.

** Super ea, inter Polonos Foederatoſque iam actum eſſe die antecedente, ſatis

Inter haec Regiae Maieſtates Polonicae Oliuam, vt ſacris intereſſent, aduenerant: compertoque moueri etiamnum aliquid ea ſuper re difficultatis, Rex Foederatis, qui tum in colloquio mecum erant, miſit nunciatum, prorſus ſibi animo conſtitutum eſſe, ni hoc ipſo die rem expedirent, ſeorſum cum Suecis pacta ſancire; ipſos deinde nouos cum iis tractatus poſſe occipere. Quapropter Regem protinus adii, nec ſine magno labore (aderat enim Regina,) rem eo tandem perduxi, vt Poloni pariter ac Foederati declararent Suecis, pacem ſe nullo pacto confecturos, antequam iſta R. M. V. incluſio rite facta eſſet. Diſputatum ſuper ea re totum diem vſque ad noctem, et varii modi tum a nobis, tum a Suecis propoſiti, donec huic puncto ita, vt in Formula Pacis habetur,[ooo] Sueci ſubſcriberent. Quod quidem ſolum tum nobis datum, nec quidquam amplius.

Die $\frac{23\ \text{April.}}{3\ \text{Maii}}$ Circa veſperam pactiones ab omnibus concluſae, atque ſubſcriptae ſunt.

Die $\frac{24\ \text{April.}}{4\ \text{Maii}}$ Extraneis Miniſtris facultas abeundi conceſſa eſt; mihi quidem a Rege, quum ei M. V. nomine pacis reditum gratulatus eſſem, iniunctum, vt ſuis verbis R. V. M. ſignificarem haec: Extrema neceſſitate et imminenti periculo hanc ſe pacem pangere coactum; ſperare tamen eamdem ſibi a M. V. beneuolentiam atque amicitiam, quam Ipſa huc vſque praeſtitiſſet, etiam inpoſterum conſeruatum iri. Regina his addidit: R. V. M. cauſſa tractatus pacis fuiſſe per duorum menſium ſpatium procraſtinatos; nunc vrgente neceſſitate demum expeditos; toto quinquennio nullum ſe, vbi degeret, locum tutum habuiſſe; ingraueſcentem aetatem poſcere iam tot aerumnarum finem, et inconcuſſae quietis fructum. Poſt illa, ſummo honore et gratia ab Regiis Maieſtatibus cumulatus, dimiſſus ſum. Eodem die 4 Maii ſt. n. Pax publicata: ſollemnes Deo per templa omnia gratiae actae: tormenta denique bellica inter publicas hilaritates exploſa. Etiam Aula

 Regia

ſatis conſtat ex iis, quae PASTORIVS pag. 277 ſqq. luculenter diſſeruit. Conf. DIARIVM SVECICVM ad e. d. Eadem diſceptata eſt cum Suecis, die ſequente. Conf. PASTORIVS et DIARIVM SVECICVM ad h. d.

[ooo] Vid. INSTR. PAC. Art. XXXI.

Regia tota eodem die ſtatim; relicto Gedano, iter Varſauiam ingreſſa eſt.

Die 5 Maii ſt. n. Extranei Legati et Adminiſtri omnes abierunt. Solus ego, vt obſequerer clementiſſimo R. V. M. mandato, remanſi, donec Mariaeburgum et reliqua Pruſſiae oppida euacuata eſſent: quod poſt quatuor demum ſeptimanas factum, enatis ob non numerata per longum tempus ſtipendia inter milites gregarios eorumque praefectos turbis.

Die 10. Iunii. Gedano diſceſſi, conſcenſa bellica naui Batauà. Die 23. eiuſd. menſ. veni Hafniam, vbi pax iam tum confecta erat.

ACTA

Digitized by Google

ACTA PVBLICA

A

Deſignatio Actorum Publicorum quae Diario Pacificationis Oliuenſis adiunxit Chriſtoph. Parſberg, Regis Daniae Legatus.

Hanc deſignationem Actorum e Regio Tabulario Hafnienſi, mecum benigniſſime communicatam, nolui hoc loco praetermittere, ne talium curioſos vlla re iucunda priuarem. Sed Actorum illorum pleraque dudum edita ab aliis fuiſſe, iam indicaui in Recenſione Actorum editorum Pacis Oliuenſis, inter Obſeruationes adiectas Operis huius T. I. p. 233 ſqq. Nonnulla ipſe protuli, inter Acta Publica, vt *Memoriale ſ. Propoſitionem Legati Danici* p. 35—38. *Procuratorium Reg. Danicum de d. 1 Ian. 1660.* p. 80. *Mandatum Regis Daniae, Legato ipſius datum d. 20 Ian. e. a.* p. 81 ſq. itemque *Memoriale Ablegati Danici, de d. 6 Mart. a. e.* p. 88 ſq. Alia, quae noſſe iuuet, hic dabo.

Oratio prima Deputati Danici, habita ad S. R. M. Poloniae.

Harangue faite à Sa Majeſté la Reine de Pologne.

Litterae Credentiales S. R. M. Daniae, ad Regem Poloniae, de d. 3 Iulii 1659.

Saluus Conductus Regis Daniae, pro Commiſſariis Suecicis, de d. 12 Ianuar. 1660.

Litterae Regis Daniae, ad Regem Poloniae, de pace generali procuranda, de d. 4 Nouembr. 1659.

Litterae eiuſdem ad eumdem, de victoria Fionica, de d. 21 Nouembr. 1659.

Copie de la Lettre de S. E. le Cardinal Mazarin à Mr. l'Electeur de Brandebourg, de Thouloufe le 5 du Decembre 1659.

Pleni-

Digitized by Google

Plenipotentia Regia, de d. 1 Ianuar. 1660.
Kongelig Ordre og Inſtrux, (til Parsberg) af 20 Ian. 1660.
Litterae Regis Daniae, ad Regem Poloniae, de d. 26 Febr. 1660.
Litterae Credentiales Regis Daniae, Legato ſuo Parsberg datae ad Regem Poloniae, de d. 23 Mart. 1660.
Saluus Conductus Polonicus pro Commiſſariis Suecicis, de d. 18 Octobr. 1659.
Propoſitio Legationis Polonicae.
Propoſitio Legationis Caeſareae, de d. 19 Ianuar. 1660.
Propoſitio Legationis Elect. Brandeb. de d. eod.
Propoſitio Legationis Suecicae, Commiſſariis Polonicis exhibita.
Propoſitio eiuſdem Legationis, Caeſareis facta.
Eiuſdem Propoſitio, Brandeburgicis data.
Reſponſum Commiſſariorum Polonicorum ad Propoſitionem Suecicam.
Reſponſum Brandeb. ad Suecorum Propoſitionem.
Reſponſum Legat. Suecic. ad Poſtulata Polonorum.
Reſponſum Legat. Suecic. ad Propoſitiones et Poſtulata Legationis Caeſareae.
Reſponſum Legat. Suecic. ad Poſtulata Brandeb.
Plenipotentia Commiſſariorum Suecicorum.
Declaratio Legationis Suecicae, d. d. 31 Ianuar. 1660.
Declaratio Legat. Suecicae, de negotio Danico.
Reſponſum Polonicorum ad Suecorum, de negotio Danico, Declarationem.
Conditiones, ſine quibus non, ex parte Suecorum.
Propoſitio Ablegati Danici.
Memoriale eiuſd. Danici Ablegati.
Memoriale Deputati Belgici, Dni Honard.
Reſponſum Polonicorum ad Memoriale Honardi.
Poſtulatum quoddam Commiſſariorum Brandeb.
Declaratio Legationis Suecicae noua, de negotio Danico, d. d. 1 Mart. 1660.
Declaratio Suecica, de maturando pacis negotio.

Decla-

Digitized by Google

Declaratio vltima Succorum de acceleranda pace, cum Poſtulatis eo pertinentibus.
Reſponſum Polonorum ad Declarationem Suecicam.
Rationes Succorum, quibus Liuoniam ſibi vindicant.
Copia Inueſtiturae Hermanni, Dorpatenſium Epiſcopi, An. 1224.
Copia Inueſtiturae Alberti, Liuonum Epiſcopi, An. 1226.
Inſtrumentum Pacis Polonico-Suecicae.

B

Oratio I. Legati Danici, ad Sereniſſimum Regem Poloniae habita.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,

Inſtructus mandato Sereniſſimi Regis, Domini mei Clementiſſimi, nullum non adhibui ſtudium, vt, gratioſo apud S. R. M. V. impetrato acceſſu, fidi Miniſtri perfunctus officio, ſine vlla procraſtinatione, ea quae mihi a S. R. M. Dno meo Clementiſſimo, ſunt commiſſa, in ſinum S. R. M. V. deponerem. Atque ne in ipſo limine ſermonis mei aberraſſe videar, Sereniſſ. Regis, Dni mei Clementiſſimi, nomine Suae Maieſtatis, erga S. R. M. V. immutabilem ac indefeſſum propenſi animi memoro affectum, qui non niſi fortunatiſſima quaeque S. R. M. V. ſimul ac regimen diuturnum, dominium felix, omnemque Caeli benignitatem animitus cupit, quo ſuperatis omnibus inimicis ſuis, tandem procellis bellorum ſedatis, dulcem Regnis ſuis S. R. M. V. pacem introducat, eaque glorioſe, ſummo cum Regni et ſubditorum emolumento, iuxta vota deſideriaque ſua fruatur. Vtque Sereniſſ. Regi, Domino meo Clementiſſimo, magni ſemper fuit S. R. M. V. cum Sua Maieſtate armorum et animorum coniunctio confoederatioque, quam moderna temporis conſtitutio, Regnorumque opportuna ſituatio, ferreis quaſi concatenauit vinculis: ita porro Ser. Rex, Dnus meus Clementiſſimus, omnibus in id incumbet viribus, vt valeat eamdem

magis magiſque ampliare amicitiam, praeuiaque occaſione quauis declaraturum ſe ſpondet, quantum apud ipſum ſit valoris, quantique pretii haec tam cara, fidelis et ſincera S. R. M. V. cum Sac. Sua Maieſtate bonis auſpiciis inita confoederatio.

Nec dubitat S. R. M. Daniae, Dnus meus Clementiſſimus, S. R. M. V. recenti adhuc tenere memoria zelum ſummamque in adgrediendo hoſte, contra quem a Miniſtris S. R. M. V. ſollicitatus eſt, promptitudinem, adeo, vt eumdem adigeret limites Regni relinquere, ideoque ſummis expoſitum fuiſſe periculis, iiſque triennio fere toto inuolutum: qui modo hoſtis ita ſaeuit in viſceribus Regni Dni mei Clementiſſimi, vt non ſolum obuia in poteſtatem ſuam rapere, ſed etiam ipſius Aulae Regiae ſedem ac penetralia impetere non expaueſceret. Perſuaſum porro ſit S. R. M. V. indefeſſum eumdemque ſincerum Regis, Dni mei, pro S. R. M. V. conatum et ſtudium, huic vnice ſemper intentum fuiſſe fini, vt S. R. M. V. miſere adflictum populum iuuaret, eumque e manu crudelis oppreſſoris liberaret. Neque aliud cupit eapropter a S. R. M. V. dari redhoſtimentum, quam vt S. R. M. V. diſponente ſic iuſto Iudicio Dei, ad felicem ſucceſſum armorum S. R. M. V. vergente, eo omnia ſtudia ſua et conamina dirigat, quo hoſtis communis, tam in Liuonia quam in Pruſſia ſua circumferens arma, eo anguſtetur, in victoriiſque ſibi non niſi caelitus datis incunctanter pergere S. R. M. V. non negligat, ad eliberandum torturae cruciatuique duri hoſtis populum gemebundum, eiuſque graui iugo ſubtrahendum. Quippe res ipſa loquitur, competere S. R. M. V. ceteriſque Foederatis, (quin et idem ipſa rerum praeſentium efflagitat coniunctura ac facies,) concordem vnanimemque communis hoſtis adortionem, eiuſque ſupra modum elati ſupercilii depreſſionem, quippe cuius non alia mens, quam vt dulcem quietem et amicabilem pacem Chriſtianitatis rumperet, maligniſque artibus et inſatiabili ambitione ad Monarchiam Vniuerſalem et ſummum adſpiret dominium, quod non niſi totali Regum Principumque vicinorum ſibi conciliare vult ruina et interitu. Non opus eſt multis verbis: ipſa S. R. M. V. vna cum S. R. M. Daniae, Dno meo Clementiſſimo, luce meridiana clarius animaduertunt, quo tendant ſubdola pernicioſaque Sueciae Regis conſilia pariter ac molimina, ex inexplebili et illegitima regnandi cupiditate promanantia.

Qui-

Digitized by Google

Quibus malis non aliud efficacius antidotum, quam firma, fida, et conſtans foedere colligatorum vnio, communeque vniuerſali inimico reſiſtendi conamen: quod cum ceteris omnibus Confoederatis iure merito calcar addere debeat, tum praecipue S. R. M. V. incitamentum eſſe poteſt ad firmiorem conſtantioremque cum Sereniſſ. Rege, Domino meo Clementiſſimo, in reprimendis hoſtis conatibus animum. Nam vt ſileam par aequaleque MM. VV. exinde pullulare emolumentum: is hoſtis eſt, qui MM. VV. adgreſſus eſt, nec ſolum adgreſſus, ſed impudenter abſque vlla ſibi praebita cauſſa Regnis et dominiis priuare auſus, ac totam Celſ. Serenit. Veſtr. Domum, et Regiam Familiam, penitus exſtirpare molitus eſt. Is hoſtis eſt, inquam, ex cuius annihilatione exoptatus ad S. R. MM. VV. vniuerſamque immo Chriſtianitatem fructus redundat, honorabilis vtpote et tranquilla ſecuritas, dulcis ac omnibus expetita pax, et exoptata denuo rerum facies, quae intimis ſuſpiriis ac gemitibus preſſi bello, cladibus et calamitate ſubditi anxie noctu dieque anhelant, quamque beneficio Numinis, Maieſtatumque Veſtrarum auſpiciis et ductu adquiſitam gratis labiorum victimis excipere parant.

Ex indiciis equidem nonnullis liquet, Regem Succiae ad tractatus particulares non minus cum R. V. M. quam cum Sereniſſimo Rege, Domino meo Clementiſſimo, inclinare non alio certe animo, quam vt vires Confoederatorum ab inuicem diuulſas comminuat, quoſque iunctim non valet, ſeorſum ſingulos adgrediatur, eoque facilius opprimat. Teſtantur geſta ipſius nupera, qua fide, qua ſinceritate agat, et paciſcatur. Docent, quae fides ſit promiſſis eius pactiſque danda. A iactis huius mundi fundamentis, in hunc vſque diem, in nullis hiſtoriarum monumentis perfidiae conſimilis exemplum, quam non ita pridem Rex Succiae Sereniſſimo Regi Daniae, Dno meo Clementiſſimo, praeſtitit. Horreſcet poſteritas, et deteſtabitur hoc mali ominis exemplum, nulla vmquam obliuione oblitterandum: exſtitiſſe videlicet eiuſmodi Regem, qui accepta iuſta ſatisfactione, ſupraque hominum fidem propriamque opinionem iuſtiore, initaque cum hoſte reconciliato perpetua aeternaque pace, haud multo poſt contra fidem datam, violato Naturae et Gentium Iure, poſthabita omni aequitate, voluntatem ambitione adflatam pro iuſto reputans,

foedera rupit, amicitiae retinacula praeſcidit, vniuerſasque ex improuiſo Regni prouincias occupando deuaſtat, iiſque non contentus, ſanguinario auſu ipſa conſanguinei Regis Aulaeque Regiae, cui tam ſancte pacem perpetuam fore nuper iurauerat, ſacraria demoliri, Regiam Maieſtatem ſolio auito deturbare, dominioque ipſius iniuſtis armis ſibi vindicare pernix adlaborat. Sed haec omnia ſuperflua, nec huius forte loci, quum citra dubium S. R. M. V. adprime clara manifeſtaque eſſe ſciam: id ſibi vero Sereniſſ. Rex, Dnus meus Clementiſſimus, de S. R. M. V. pollicetur, S. R. M. hiſce et talibus maturo Regioque iudicio trutinatis, nullo pacto nullaque ratione conſenſuram in particulares cum hoſte eiuſmodi tractatus, quin potius in id ſedulo adlaboraturam, quo pax generalis et minime poenitenda cum omnibus Confoederatis debito modo ſtabiliatur, cuius vſufructu vniuerſi ſine metu in poſterum gaudeant. Particulares etenim iſtae nullis Colligatorum vſui ac bono, omnibus detrimento exiſtent: et quemadmodum S. R. M. V. pacem momentaneam minimeque durabilem, Confoederatis praeiudicium et irreparabile damnum, ita hoſti infido et communi, qui iam fere ad incitas redactus ab aperta vi ad fallaces artes ſe potiſſimum conuertit, refocillationem viriumque diſſipatarum recollectationem redintegrationemque creabunt, vt ruptis denuo fidei repagulis, violatoque iure, prout contra S. R. M. Daniae, Dnum meum Clementiſſimum, ſe geſſit, nouis ac recentibus incurſionibus Regnum terraſque S. R. M. R. plurimum adterat, earumque turbare quietem ſatagat. Nullum itaque conducibilius remedium, quam vt S. R. M. V. vim vi repellat, armiſque, Caelo adnuente, tentet ſua non incaſſum defendere territoria, donec ad generales pacis tractatus ſaluo pede deuenire demum liceat, talique modo cum hoſte tam truculento, qui turpe bellum pulcrae anteponit paci, cuiuſque vita et ſummae delitiae inquies turbarum in Chriſtianitate concitatio, procedere, vt ad ſaniora conſilia amplectenda, quamuis inuitus ſe recipiat. Eo animo eſſe S. R. Maieſtatem Veſtram Sereniſſimus Rex, Dominus meus Clementiſſimus, ſcit, credit et perſuaſus eſt: quapropter etiam mihi Ablegato Suo id in mandatis dedit, vt S. R. M. V. ea, qua decet, obſeruantia ſummam huius rei exponam neceſſitatem.

Sed

Digitized by Google

Sed ne prolixa nimis impolitaque hac oratione mea S. R. M. V. aures obtundam, hic ſubſiſto, dataque in poſterum occaſione, quoties gratioſo S. R. M. V. gaudere mihi contingat adſpectu et colloquio, plura aperire, prout res tulerit, non intermittam. Quibus, vt S. R. M. V. eo firmiorem fidem adhibeat, Litteras haſce Credentiales mihi a Sereniſſ. Rege, Dno meo Clementiſſimo, traditas offero et exhibeo, quae S. R. M. V. de propoſito et particularibus Sereniſſimi Regis, Domini mei Clementiſſimi, intentionibus exactius multo et adcuratius informare poterunt.

C

Copie de la Lettre de Son Eminence le Cardinal Mazarin à Mr. l'Electeur de Brandebourg, de Thoulouſe le 5 de Decembre 1659.

Monſieur,

J'ay receu la Lettre qu'il a pleu à Votre Alteſſe Electorale m'eſcrire du 20 de Septembre, et aurois bien ſouhaité, que quand Votre Alteſſe me dit, que l'invaſion de la Pomeranie n'eſt point contre l'Inſtrument de Paix, Elle euſt voulu adjouſter, comment cette propoſition ſe doit entendre, et par quelle raiſon ſeulement apparente elle peut ſe ſouſtenir. La Pomeranie a eſté cedée à la Suede pour ſa ſatisfaction par le Traitté de Munſter. Votre Alteſſe n'a pas ſeulement renoncé ſolennellement aux droits qu'elle y avoit, mais par la meſme paix en a receu une recompence équivalente et à ſon entiere ſatisfaction. Cet Eſtat eſt ajourdhuy publiquement envahy par les armées. Les Generaux, qui les commandent, eſcrivent tous les jours aux Officiers de places, qui les deffendent, et aux habitans, que c'eſt pour en remettre la poſſeſſion à V. A. leur vray et ancien Maiſtre. Il foudroit que le Roy mon Maiſtre et tous les Princes de l'Empire, qui deſirent et ont intereſt à ſon repos et la conſervation de la paix, ſe faſci-

 naſſent

Digitized by Google

naſſent les yeux, pour ne pas voir cette manifeſte infraction à la dite paix, et qu'ils n'euſſent aucun ſoin de leur foy, de leur honneur, et de leur propre intereſt, s'ils la voyoient les mains croiſſées ſans accorder la guarantie à la Couronne de Suede, à laquelle les oblige le meſme Traitté. Quant à ce que V. A. dit en ſuite, que cette nouvelle guerre ceſſera dès que le Roy de Suede a conſenty à une paix ſincere et univerſelle, c'eſt la ſeule choſe de la Lettre de V. A. que j'ay peu pour la ſervir rapporter à Sa Majeſté, laquelle a accepté la parole que je luy en a donné de ſa part, et en eſchange Elle m'a commandé d'aſſeurer V. A. qu'Elle prend ſur ſoy que le Roy de Suede conſentira très volontiers à cette paix ſincere et univerſelle, et que V. A. trouvera en ſon particulier toutes les ſeuretez qu'Elle peut raiſonnablement deſirer. Mais il importe à ſa dite Majeſté d'eſtre promptement eſclaircie par les effects, ſi c'eſt une choſe qui ſe puiſſe eſperer de la part de ceux avec qui V. A. a joinct les armes, ou tout au moins le reſtabliſſement de la paix dans l'Empire, ſi les autres Eſtrangers ne peuvent ſi-toſt s'achever, par ce que le mois de Fevrier eſtant paſſé, Elle ne peut plus ny doit s'empeſcher d'accourir avec les forces que Dieu luy a miſes en main, pour ſouſtenir un Roy ſon allié, attaqué dans l'Empire contre ce qui a eſté arreſté par un Traitté ſolennel, luy preſtant en une occaſion ſi preſſante la guarantie qu'elle reconnoiſt luy devoir. J'ay creu ne devoir pas celer cette verité à V. A. à fin qu'elle y faſſe ſes reflexions à temps pour prevenir des plus grands maux, comme pour la meſme raiſon j'ay charge d'eſcrire en la meſme conformité aux Roys de Pologne et de Dannemarc. Cependant je demeure

Monſieur

Voſtre etc.

Exem-

D

Exemplum Libelli Memorialis, quem Comes a Schlippenbach Magno Regni Poloniae Cancellario, per Monachum, ſecreto tradendum curauit.

Quamquam Tractatus cum Polonia tam lento hactenus inceſſerit gradu, vt S. R. M. Sueciae Legati, mandati Regii vigore, laurum paciferam his terris velociore adpulſu non adtulerint: dubium non eſt, quin toti Orbi innotuerit, quibus noſtrum detrimentum pacis hoſtes artibus et ſuam requiem in alienis contentionibus quaerentes, in hunc vſque diem, paci tot votis expetitae et toti Chriſtianitati ſalutiferae moram peſtiferam intulerint, quum omnium ſimul excedat rationem, quibus nimirum technis ipſam quoque Aulam et Cancellariam Polonicam in extradendis Saluis Conductibus detinere potuerint, vt non obſtantibus tot Regis et Reginae curis ac vigiliis, tot generoſis et incorruptis iudiciis patriis, tot incolarum ſuſpiriis, et tanta Mediatoris indefeſſa induſtria, res nullo ſucceſſu hactenus tractatae ſint, quod et ipſe Dn. Mediator pro ſua diſcretione omne temporis naufragium non niſi per fati cuiuſdam interuentum excuſare velit: quam tamen fatalitatem in Germanicae Pacis violatione exiſtentem, tamquam fatalis remedii opem, pro Poloniae reſtauratione Auſtriacis et Brandeburgicis imperaturam credimus. Quis vmquam auſus fuit bene ſperare de negotio tamdiu iacente, tam remiſſi progreſſus, tam languidae cunctationis, praeſertim illis temporibus, quibus Auſtriaci primo intuitu Diuini cuiuſdam auxilii imaginem populo oſtendentes, et copiis ſimul auxiliariis Poloniae vires adaequantes, omnium tamen animos laeta ſincerae opis ſpe et fide ſibi deuinxerant: iam vero vbi omnium captui et oculis retectum ſit, quod ambitio Auſtriaca Poloniae ſalutem non niſi obtentui ſumens, e re commodoque ſuo cenſeat, obducta mutuae conſeruationis et diffidentiae erga Suecos ſpecie, bello pacis inſtantis negotium in longiorem trahere et extendere moram: nemo rerum gnarus credere poteſt, quod Polonia ancipites belli euentus exſpectans, ſe

ſe pro aliis ſit ſacrificatura, aut aquae receptaculum, in quo ipſa ſubmergi debeat, ſit foſſura. Quamobrem S. R. M. Sueciae Poloniam hactenus non minus ſub Foederatorum rapaci et vulpino auxilio, quam apertorum hoſtium oppugnationibus langueſcentem videns, nihil magis, quam Poloniae imbecillitatem et diſſenſiones timuit, quae alienis machinationibus fortiorem motum addentes, Poloniam fraude et praetextu foederis, ſub imperium Auſtriacum vehementi armorum feruore et lenta Regni tabe redigere potuiſſent. Nonne Romani ſub foederis nomine populis dominabantur? Nonne vicini potentis auxilium, defenſio, et protectio nomina ſemper fuere, quibus, religione praeſertim non aduerſante, facile ad ſeruitium tranſitur? Poſtquam vero S. R. M. Sueciae, Auſtria nouo, diuturno et Europae aemulationi expoſito bello implicita, et rebus Coſacorum tunc ex parte compoſitis, Moſcique re tota vacillante, Poloniam propriis viribus nixam, ſuorumque conſiliorum et actionum alienum arbitrium non magis tolerantem obſeruans, omnem ſpem pacis in gentis numquam ad ſeruiendum natae, et tot generoſorum per auitam gloriam et Maiorum exempla contra Auſtriacum dominatum excitatorum fortitudine collocans, ſuos ad pacem ſinceram, perpetuam et mutuo ſaluberrimam, ſeque inuicem ſaluantem, componendam Legatos miſit, quam vt omnis incorrupta ratio Poloniae ſuadeat, ſequentia monſtrant et detegunt. Polonia hactenus tot armorum fluctibus agitata, et tam vario belli Marte fracta et mutilata, gladii ictum declinans, venenum bibit, et ab hoſte reconciliando ad auxilia pernicioſiſſima refugit, vt vere hic dici poſſit: Hannibal hoſtis, ciuis Antonius: quid ille fecit hoſtiliter, quod hic aut non fecit, aut non faciat, aut non moliatur ac cogitet? Nonne enim Polonia, icto foedere auxiliario cum Auſtria, et conceſſis ſimul Brandeburgico deſideratis ab ipſo conditionibus, ſerpentem iam in ſinu fouet, et colica continua in Regni viſceribus laborat? Deo teſte, S. R. M. Sueciae numquam bello internecino contra Poloniam agere decreuerat, ſed pacis ſecurae et perpetuae cauſſa arma inferre. Anno 1655. in Suecia bellum contra Moſcum per maiora et prudentiorum vota iam decretum erat; quum vero Elector Brandeb. armorum ſuorum coniunctionem ad bellum contra Polonos ſuſcipiendum non niſi certa et lucroſa victoriae ſpe inſtanter offerret, eorum conſilia,

ſilia, qui bellum Polonicum iam ante ſuadebant, adſumto ex Brandeburgicis adſiſtentiae pondere praeualuere: et quidquid bellum vigoris, vindictae et conatus adſumſit, eius culpa in vacillantem patriam et infidos Vaſallos, toto annuente Orbe, tranſibat, quamuis et neceſſario impendenti Regno fato aliquid tribuendum ſit. Nihil enim ſub ſole clarius produci poterit, quam quod longe ante inchoatum bellum Vaſallus Brandeburgicus Sereniſſimo Regi Sueciae conſilia de oppugnanda viribus coniunctis Polonia expoſuerit, et totius Regni dilacerationem, ſpiritu, vt ita loquar, *Souverenitatis* ambitioſo correptus, impellente ſimul odio, partim in Comitiis erga ſuperbam ac ferocem gentem Polonam, vt loqui ſolebat, hauſto, partim a natura ſibi inſito, ſit machinatus. Quarum artium prima ſpecimina Tractatus Sedini cum Suecis, ante impugnatam Poloniam initi, non ſine huius ſtupore ob Poloniae turpitudinem ediderant, ita vt Sereniſſimus quoque Rex Sueciae fidem Brandebugicam ſtatim agnoſcens, nihil vmquam in illa deponere potuerit; ſed pactorum concluſionem, animo ſuſpicanti, de die in diem diſtulerit. Elector contra, ſe ambitionemque et vaſtas ſpes ſuas fruſtrari iudicans, modo Caeſarem, modo Batauos in belli communionem, non ſine magno Poloniae praeiudicio, et diffidentiae inter Regem Sueciae augmento, et illum clam trahere conabatur, donec extra omnium vbique fidem ſe cernens, et imminens periculum declinans, quaſcumque conditiones a Rege Sueciae accepit. Quanto etiam cum temporis et rei ſummae diſpendio Auſtriaci, ſe ſuppetiis admiſcere nolentes, otioſos ſe diu Poloniae calamitatis ſpectatores praebuerunt, nec ante hoſtium regreſſum preſſis, lucrandi potius quam iuuandi animo, adfuerunt? Sciunt omnes, qui nomina in Republica natorum merentur, quod Auſtria dudum obſeruauerit potentiam ſuam odio et inuidia vicinorum ſemper exceptam, et ſummum dominium nunc eſſe, vbi Monarchiae ſuae velut ſolſtitium vſque ad Poloniae ſubiugationem conſiſtit, nec aliud Caeſari conſultum fuit, quam ex alienis adflictionibus compendia ſua trahendo, et Regno langueſcenti auxilia cunctanter ferendo, rerum tandem omnium potiri. Sic enim Romani ſociis defendendis in id faſtigium, in quo tum erant, ſe conſcendiſſe gloriabantur. Mirum ſane et auditu deplorabile eſt, quomodo Auſtriaci auxiliares per terras et prouincias

Digitized by Google

debacchati ſint, amicis plerumque quam hoſtibus grauiores, praeda raptoque viuentes, Poloniam non niſi hibernis et militiae ſuae ſupplemento et alimento conſeruarint, donec rebus in Europa (deleta inprimis Suecia, Auſtriacae dominationis fatali impedimento,) ad palatum aliorum magis compoſitis, tota paullatim in ſeruitutem accerſiri poſſit. Hinc enim tot mendaces et pudendi rumores, modo de Suecis bello totaliter victis, modo hoſtili et a pace alieno animo redeuntibus ſparſi: inde tam artificioſe Poloni inducti, vt iunctis viribus formidabilem rebus ſuis Suecorum fortunam in Dania euerterent, et pacem generalem, cuius diuturnitas Poloniam lenta tabe ad praefixam metam deduceret, ſimul vrgerent. Inde, inquam, inter Caeſarem et male ſibi conſcium Electorem Brandeburgicum arctiora foedera, et mutuae pro tuenda ſalute communi conuentiones, et plura arcano, quam publice pacta. Poſtquam vero, re infecta et turpiter geſta, ex Holſatia reuerſi, Polonos inani extorquendae pacis generalis ſpe diutius lactare, et infida denique ope mactare ſibi vlterius non fidunt, dextram iam laeua, et ſumma imis ſubmutantes, violata (Poloniae tranquillitatis praetextu) Germaniae pace, Cracouiam euacuant, et Polonia quaſi excedunt: quam vero hac arte in continuandi belli communionem allicere, et ſuae ambitionis ancillam conſtituere conantur. Et ſi hoc etiam in paſſu euentus conſiliis reſpondere nollet, rebus ſuis non male ſe per mutuam negotiorum rationem cum Moſcis et Coſacis proſpexiſſe iudicant: cum quibus quod in omnem caſum vna cum Brandeburgico, circa Poloniae dilacerationem et Regni in praedam ceſſuri diuiſionem, ſecretas ſuſtentent et alant conuentiones, neminem prudentem et rerum expertum magis latet, teſtibus Gallis, inter artes Hiſpanas et Hiſpano-Auſtriacas, facta primum partitione, conſortes denique totius Regni et adquiſitorum poſſeſſione deiicere. Quamuis, pelle leonis deficiente, vulpinam ſimul induant, et conſilia Maiorum, (quae tamen profunda diſſimulatione ob mundi inuidiam adhuc tegunt,) de captando per electionem Regno inter res Poloniae adflictas agitant. Ceterum quis, admiſſa in gentem celebrem iniuria, credere non erubeſceret, Polonos ab auita prudentia et generoſitate, quae aliquando electionem ex Auſtriacis expreſſa lege cauere voluit, ita degeneraſſe, vt nec de vſurpati in Hungariam et Bohemiam hereditarii

Digitized by Google

ditarii dominii exemplo, et Maximiliani repulſa vindicta admoniti, iugum ſeruile ceruicibus imminens abolere nolint, vbi inprimis Regni Magnatibus et Nobilitati, qui in Reges conſtituendi et mitigandi, libertatem conſeruandi, et leges extollendi potentia et auctoritate pares in Orbe non habent, ex prima dominandi regula Tarquinia minatur conſilia. Sed vigeat Poloniae merito adiudicatum Symbolum: *Pax et tranquilla Libertas!* Seruitus malorum omnium poſtremum, non modo armis, ſed etiam morte repellendum. Simile de Brandeburgico nobis ſentiendum eſt: ſane, alludentibus Auſtriacis et quibuſdam Regni Proceribus, Poloniae tandem, tempori tunc inſeruientis et fatis cedentis, plagas callide euitans, et poenas in praemia publicas inter calamitates conuertens, lucrum grande tulit, et ſupremae in Pruſſiam iuriſdictionis poteſtatem, ſimulac vna cum Elbingae ciuitatis oppignoratione, in turbida aqua piſcatus eſt. Et licet legitimus poſſeſſor rerum ſuarum diſpenſator habeatur, ſupra omnem tamen generoſae indolis vim perpetratum opus videtur, tanto Maiorum ſanguine in deditionem redactae Prouinciae, et Principi et feudo ad R. M. Poloniae agnitionem coacto, inque verba Regis ac Reipubl. a centum et triginta amplius annis iuranti, non niſi magno Poloniae dedecore et Statuum Pruſſiae iniuria et iuſtis querelis, ſummi regiminis ius adſcripſiſſe. Vnde nec alii fructus Polonis exſpectandi, quam quod Elector, quem mala conſcientia et meritorum nullitas extra omnem confidentiam erga Poloniam locarunt, adepta omnia Superioritatis iura per exterorum foederum pactionem tuta ſibi ſemper et ſalua praeſtare conabitur. Hinc ſuſpectam habere Poloniae potentiam, timere ſemper, fidere numquam, et perpetua vigilantia omnes illius actiones obſeruare, praecipuum ſtatus ſui munimentum iudicabit. Quorum axiomatum primitias iam libamus, quum Brandeburgicum magis magiſque cum Auſtriacis coire, et initis pactis ſecretis, firmiori inter ſe amicitiae vinculo iungi videmus. Pomeraniam ex vna parte iunctis viribus breui expugnare ſperant; ex altera Liuoniae infeſtationem, ſimul ac Principis Curlandiae, (cuius opera commodior ipſis cum Moſco correſpondentiae ex biuio et infeſto erga Sueciam et Poloniam animo ante triennium inceptae, vt ſit ſuſtentatio,) reſtitutionem magis, quam Pruſſiae oppugnationem, ne bello finis imponatur, enixe et

callide ſpirant. Occupata enim Pomerania et Liuonia, reſtituto Curlandiae Principe, et firmatis inter Auſtriacum, Moſcum et Brandeburgicum, Coſacos et alios minorum gentium duces, clandeſtinis commerciis, et Suecia hoſtium multitudine tandem obruta, quis Poloniam perniciofiſſimis artibus circuitam, raptui et partitioni expoſitam, Suecia deuorata, vltimo Polyphemi dolo reſeruatam non iudicabit et dolebit, praeſertim quum Elbingae ciuitatis traditio omnium ſimul admirationem incurrat? Hanc enim Brandenburgico cedere ac concredere, idem eſſet, ac ſi Poloni leonem timentes, vulpi gallinas et lupo oues ſuas committere vellent. Vt vero Polonia ſtatus ſui habitum, tamquam ad ſpeculum, aliqua ſaltem ex parte exigere poſſit, ſequentia ſolummodo rerum momenta altiori illius diſquiſitioni exponam. Multi manifeſtam non minus, quam ego, notitiam habent, Brandeburgicum a die adfectati in Pruſſia ſummi imperii ſecum ſtatim conſultaſſe, quomodo firmata primum cum Domo Auſtriaca intimiore amicitia, Domum poſtea Radziuilianam et Curlandicam, hanc adfinitatis, illam religionis neceſſitudine ſibi addictam, in factioſam et clandeſtinam coniurationem, pro mutuae fortunae augmento traheret. Poſpiciat hic parum adtenteque Polonia fucatos nummos, et agnoſcat, quam infido et pernicioſo circumplicita ſit amplexu, ſi Brandeburgicus per improbam conſpirationem cum Auſtriacis, Sedino expugnato, fluuium Oderam, Elbinga tradita, Viſtulam vna cum portu Pillauienſi, fluminibuſque Moemo et Pregelo tenet, et Principe Curlandiae reſtituto, flumini pariter Dunae inhiare poteſt. Nunc totius Orbis generoſum hunc equum Polonum frenum Regis exuiſſe, et Principis ephippium ſuſcepiſſe; aut Regnum hoc iugum Sueciae excuſſiſſe, et aliis ſe iugulandum tradidiſſe ridendo adfirmabit. Quamuis Brandeburgicus ille tanto ambitionis et vanitatis caligine adfectos habeat oculos, vt nec belluam H. A. lato et cunctis inhiante ore, ex parum remotis puriſque blanditiis et partitionum chimaeris obiectis ſe inſectantem cernere poſſit. Excitet animos totum Rei Catholicae Intereſſe: et iudicio certo ponderanti adparebit Caluiniſmus velut hydra vbique repullulans, quamque ſuſpecta Caluiniſtarum potentia Catholicis ſe exhibeat, ſi Polonia horum partem in ſinu et Regni viſceribus alat. Gallia hinc diſcors per ſeditiones, infauſta proeliis, et ſparſis vbique lanie-

lanienae reliquiis horrenda. In Imperio Romano creſcunt, et animis ciuitatum Pruſſiae, Brandeburgici auſpiciis, ſe quotannis inſinuat illorum opinio. Vt multa paucis dicam, maris dominio addictae huic religioni Reſpublicae potentiſſimae gaudent, quae ſolo lucro fines ſuos metientes, ſubminiſtratis diteſcendi occaſionibus, ciuitates et populos maritimos tanto ſucceſſu ſibi conciliabunt et iungent, vt breui Regnis et Regibus opes et negotia ex arbitrii formula mercatorum ſordidorum deciſura ſit turba et colluuies. Luctuoſus inſuper Poloniae adſpectus, et Regnum graui motu ingemiſcens, omnium ſane iam mouet oculos et ſenſus, ſi res, inter tot variorum armorum ſtrepitus et dubiorum amicorum ſuſpecta auxilia, ad Interregnum peruenerit. Procerum enim diſcordiae, diſſolutae ſub Interregnis diſciplinae, leges exterorum ſtimulo exagitatae, factiones, Regnum populo opibuſque eneruatum certo certius praeſagiunt, Poloniam, vt Hungariam et Bohemiam, in ſeruitutem lapſuram, aut in trium vel quatuor bellantium partitionem cruentam ceſſuram, ſi rebus ſuis in tempore paciſcendo non conſulit. De pace inter Sueciam et Poloniam hic loquor, quam rerum ſane optimam mutua conſeruatio dictitat. Ineat Polonia cum Moſco pacem, aut vanis illum, quem de nouo hoſtem habeat ineuitabile eſt, promiſſis diutius trahat: quid inde aliud, niſi Coſacorum, Poloni vindictam magis, quam Moſci iugum timentium, alienatio eueniet, quum per talem pacem, modo ad Moſcorum, modo ad Tatarorum protectionis ſuſceptionem continua Poloniae exagitatione impellentur? Cui accedit, quod eiuſmodi tranſactiones totius ſimul Portae Ottomanicae inuidiam et aegritudinem, cum innumerabilibus rerum ex adflicta gentium fide promanantium reuolutionibus, in ſe comprehendant. Mitiget et componat ſuperficialiter, et non praemiſſa pace cum Suecia, res ſuas Polonia cum Coſacis: quid praeter gentis ad res nouandas facillimam et procliuem fidem obtinebit? quid, inquam, praeter continuam corporis defectionem, aut vulnus per pacem Moſcouiticam male purgatum, et viribus Moſcouiticis ſemper rixarum ſeditionumque purulento cruore recrudeſcens, ſecum portabit? Perſeueret in foedere cum Auſtriacis: quid praeter amicum, bella in Polonia fouentem, et rerum tandem per diſcordiam et aliorum imbecillitatem potiri conantem, habebit? Stet Polonia ſingulis Bran-

 debur-

Digitized by Google

deburgico datis promiſſis: quid praeter morbum inteſtinum et noxiis machinationibus et ambitioſarum Confoederationum doloribus ſemper refloreſcentem ſentiet? Quam primum vero pax cum Suecia erit, Polonia ſat virium ad repellendum Moſcum habebit. Ab Auſtriacis, bello Suecico impeditis, eorumque machinationibus nihil timendum reſtabit. Ad efficiendam animorum, Polonos inter et Coſacos, nouam coalitionem S. R. M. Sueciae fidum et ſollicitum amicum, indubitato bono ſucceſſu, ſe praebere poterit. Brandeburgicum ineuitabilis ſuus interitus ad ſana et honeſta conſilia cito compellet. Commercia, omnes rerum gerendarum neruos confortantia, ſalutari cum Poloniae reſpiratione libera refloreſcent. Et ſi Polonia opibus, armentis et ſupellectilibus ſpoliata, rem bene capit, ex nullis terrarum oris, mediante forſan fida confoederatione Suecica, haec omnia facilius et commodius illi refundentur, quam ex Moſcouia, Bohemia, Sileſia et Morauia. Vno quaſi verbo, vt fons ſine ſcaturigine non exiſtit, ita ſine pacis Suecicae prodromo Poloniae reſtitutio, concordia et tranquillitas nullo modo ſperanda: ſed vt Regnum amplum eſt, ita perniciosiſſimarum molitionum officina, Barbarorum campus proelii, tragicorum exemplorum theatrum, et tandem gentium ac nationum praeda, ſpolium et partitio euadet.

In hoc ſcripto multa iam praedixi!
Sic rerum accelerantur viciſſitudines!

Litte-

Digitized by Google

D

Litterae Credentiales Regiae ad Sereniſſimum Regem Poloniae, d. 23 Mart. Anno 1660.

Fridericus III. D. G. Daniae, Noruegiae etc. Rex etc. Sereniſſimo Principi, Domino Iohanni Caſimiro, Poloniae etc. Quamuis ex mutuo inter Nos amicitiae et foederum vinculo certo certius Nobis perſuaſerimus, nihil firmi inter Serenitatem Veſtram Regnique Sueciae Deputatos in tractatibus pacis actum fore, ſine mutua praeuiaque communicatione Nobiſcum, et admiſſione Noſtri Deputati Extraordinarii ad haec inſtructi, *Chriſtophori Parſberg*, Hereditarii in Iernit: praeter omnem tamen exſpectationem Nobis relatum, ac in propatulo eſt, praedictos tractatus ſubita nimis feſtinantique expeditione ad finem fere perueniſſe, nulla Noſtri Regnorumque Noſtrorum in illis habita ratione. Vt vero ſecuritati Noſtrae Regnorumque Noſtrorum ante concluſionem in hiſce tractatibus ſimul proſpiciatur, praedicto Deputato Noſtro Extraordinario mandauimus, vt haec Noſtra deſideria Serenitati Veſtrae pluribus exponat. Cui vt Serenitas Veſtra integram fidem in his adhibeat, ac petitis hiſce Noſtris pro communi ſecuritate annuat, amice petimus. Eamque diuinae protectioni fideliter commendamus. Hafniae d. 23 Martii, Anno 1660.

Fridericus.

Exem-

Digitized by Google

E

Exemplum
Litterarum S. R. Maieſtatis,
ad Sereniſſimum Poloniae Regem, de demittendo cum venia Dno Deputato.

Fridericus III. (tit.) Sereniſſimo Principi (tit.) Vixit hactenus in Aula Serenitatis Veſtrae Deputatus Noſter Extraordinarius, Nobilis et fideliter Nobis dilectus, *Chriſtophorus a Parsberg*, Hereditarius in Iernit, ſufficientibus a Nobis mandatis inſtructus, vt Pacis tractatibus inter Serenitatem Veſtram et Regnum Sueciae inſtitutis intereſſet, operamque daret, vt Noſtri Regnorumque Noſtrorum et prouinciarum atque ſubditorum talis haberetur inibi reſpectus atque ratio, qualem mutuae confoederationis Leges, arctioris amicitiae nexus, totque litterarum publicarum munimentis confirmata fides requirebat. Quum autem pro certo Nobis iam relatum ſit, pacem illam inter Serenitatem Veſtram Regnumque ſupradictum nunc coaluiſſe, conſultumque Nobis viſum fuerit, praefatum Noſtrum Deputatum Extraordinarium deſuper coram audire, idcirco Eamdem fraterne et amice rogamus, velit huic Noſtro Deputato liberam ad Nos regrediendi facultatem concedere. Hiſce Serenitatem Veſtram Deo ter Optimo Maximo commendamus. Dabantur Hafniae, d. 23 Martii, Anno 1660.

Fridericus.

MELCH.

Digitized by Google

MELCHIORIS FELKERSAMII

CANCELLARII CVRONICI

ET AD TRACTATVS OLIVENSES ABLEGATI

DIARIVM

DANTISCANVM

NVNC PRIMVM

E MSC. IN LVCEM PROLATVM

LATINE EX GERMANICO VERTIT

IOH. GOTTLOB BOEHMIVS

Digitized by Google

Digitized by Google

MELCHIORIS FELKERSAMII DIARIVM DANTISCANVM DE REBVS CVRONICIS IN PACIFICATIONE OLIVENSI

MENS. IANVARIVS MDCLX

In prima viſitatione Legati Gallici, ad quam obeundam hora mihi decima per Magiſtrum Cerimoniarum dicta erat, Legatus ipſe memet ad portam aedium excepit, atque in conclaue perduxit. Defunctus ego ſalutatione, ac ſolita in auſpiciis noui anni gratulatione, dixi me, qui iam olim binis Lubecenſibus Pacificationis conuentibus interfuiſſem publica auctoritate, * atque etiam huc a Rege Poloniae arceſſitus eſſem ad res Celſiſſimi Principis ac Domini mei procurandas, minime dubitare, quin has eaſdem Galliarum Rex, ſicut illic Chanuto, ita nunc quoque ipſi commendaſſet. Itaque rogare me vehementer, vellet ante omnia id operam dare, vt Curoniae Dux dimitteretur e cuſtodia, atque in integrum reſtitueretur; deinde prouideret, ne quid in hac Pacificatione res noſtra detrimenti pateretur. Illo vero, gratiis ſuper hac tali viſitatione et gratulatione humaniſſime actis, dolere ſe ait vices Celſiſſimi Principis; verum, quia facta infecta fieri non poſſent, id vtique agendum, vt ille priſtinae libertati et dignitati reſtitueretur. Hoc ſibi curae cordique eſſe, et eſſe debere. Nam ita velle et Regem ſuum, et Mazarinum Cardinalem, vt ipſe, quantum poſſet, Ducis res adiuuaret. Sed quia Sueci ſint duriores, iam ſe animo ac cogitatione praecipere, reſtitutionem Ducis

 dene-

* Adfuit in Lubecenſi conuentu, An. 1651. de quo PVFENDORFIVS Rer. Suec. Lib. XXIII. §. 21. p. 1006. *A Duce Curlandiae aderant Melchior Folckerſamus Cancellarius, et Ioh. Wildmannus Conſiliarius.* Item in altero, An. 1652. Vid. PVFEND. ibid. Lib. XXIV. §. 27. p. 1028. Conf. *Memoires de Mr.* CHANVT T. II. p. 222 ſq.

Digitized by Google

denegaturos illos duplici ex cauſſa, quod in Curoniam dominium habeant, et directum et vtile. Etenim Curonia quum ſit nexu clientelari adſtricta Liuoniae, Liuoniaque ipſa ad Suecos pertineat; ſane ad eos quoque dominium directum in Curoniam pertinere. De vtili autem, quum iam Curoniam teneant, ne dubium quidem ſupereſſe. Ad haec et talia ego: Primum, quod ad dominium directum, Curoniam olim cum Liuonia paruiſſe vni domino, Magiſtro Ordinis Liuonici: poſtea Liuoniam certis pactionibus deditionem feciſſe Reipublicae Polonae; Curoniam vero et Semgalliam ſibi tamquam Ducatum ſeruaſſe Magiſtrum Ordinis, Regique Poloniae fidem eo nomine clientelarem iuraſſe. His ita a tam longo tempore conſtitutis, eam non amplius Liuoniae feudum, ſed Poloniae fuiſſe; neque Polonos iure vmquam ſuo ceſſuros. Quod ad dominium vtile, repoſui: Suecos iam eiectos Curonia et Semgallia, nihil praeter Mitauiam et Bauſcum poſſidere, neque ex amiſſis quidquam iure ſibi poſſe adſerere: Liuoniae quoque partem praecipuam a Moſcis occupatam eſſe. Quibus adquieuit Legatus, adfirmans, Curonicis rebus non modo Commiſſarios Polonos, ſed Regem ipſum Reginamque Poloniae diligenter conſulturos. Ceterum vt certiorem ſe ſuper cauſſa Duciſſae * facerem, petiit. Quippe de ea Suecos, in *Manifeſto* quodam, multa ac grauia conqueſtos eſſe. ** Reſpondi, me illud nondum vidiſſe; coniectura autem facile adſequi, eiuſdem haec farinae eſſe, cuius illa, quae Duglaſſius olim ad Ducem ipſum detuliſſet, iam tum quidem reprehenſa ac refutata. Quodſi in manus meas perueniat, me quoque criminationes et iniurias tales velle curatius diluere. Tum Legatus: Pacem inter Galliae et Hiſpaniae Reges eſſe confectam; eos nunc ad pacandum vniuerſum Orbem Chriſtianum conſilia et ſtudia ſua collaturos. Ita abii, reductus ab eo vſque ad portam.

Ad

* Ludouica Charlotta, Georgii Vuilhelmi, Electoris Brandenburgici, filia.

** *Manifeſti* nomine ſignificari videtur ſcriptum Suecorum id, de quo memorat PVFENDORFIVS Comment. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VI. §. 69. p. 584. *Quia captiuitas Curlandiae Ducis Regi apud multos, inprimis eiuſdem cognatos, inuidiam creabat, Waldeccio* (Georgio Friderico) *ſciptum ſuper ea cauſſa tradebatur, quod Caſſellis et alibi commu-*

Ad audientiam Regis Poloniae, duce Doenhofio, Curiae Regni Theſaurario, acceſſi. Rex in conclaue mihi ingreſſo obuiam iuit aliquot paſſus, detectoque capite manum porrexit. Ego, vt in auſpicio anni, votis ac gratulationibus rite factis, Regiam Maieſtatem ſupplex obteſtatus ſum, vt, inſtitutis ſuper pace ineunda congreſſibus, ante omnia Ducem Curoniae in libertatem reſtituendum curaret, imperaretque Legatis ſuis, ne quid in Pacis tractatu contrarium Curoniae rationibus ac commodis admitteretur. Rex vero omnia polliceri. "Sueci quidem, inquit ille, negant ſe vlli cuiquam Curoniam ceſſu„ros. Verum ego eam nec mihi eripi ſinam, nec illis vmquam con„cedam. Haec ad Ducem ſcribas, meoque nomine ſecurum eſſe „iubeas." Ceterum Palatinum Poſnanienſem, item Supremos Regni et Cancellarium et Mareſchallum, qui eſſent Ducis ſtudioſiſſimi, nominabat, quibuſcum agerem de rebus noſtris.

Die X. — Leſcinium, Palatinum Poſnanienſem, atque inter Legatos principem, adii, eique Ducis reſtitutionem noſtraque omnia enixe commendaui. Is ſibi ea ſuiſque collegis ſatis ab Rege commendata eſſe reſpondit, operamque et ſtudium liberaliter promiſit. —

Die XI. — Vrbis Gedanenſis Syndicus memet, Ampliſſimi Senatus nomine, acceſſit ſalutauitque, ac ſingularem, erga Ducem, reuerentiam luculenter teſtatus eſt. —

Die XII. — Ablegatus Gallicus, Akakia, me inuiſit. Poſt ſolitas vtrimque ſalutationes, dixit factum a me eſſe audacter, nec male tamen, quod abſque Saluo Conductu huc veniſſem. Multas ſuper eo difficultates a Commiſſariis Suecicis motas fuiſſe, contendentibus, eſſe illum non a ſe, ſed a Rege impetrandum. Quibus reſpondiſſe ſe: Nunc opus non eſſe Saluo Conductu, me quippe iam praeſente. Id quod

 Schlip-

communicare iubebatur. In eo inter alia relatum de Duciſſa: *Vxorem* (Iacobi Ducis) *Regium Montem miſſam, vbi Auſtriaci, Polonici, ac Danici Legati agebant; inter quos iſtam acriter in Suecos inuectam, morbidas Suecorum copiolas, et ſeſquicohortem Finnorum marito ſuo haud praeualituras, qui viam norit iſtis trans aquas inter rupes ſuas compellendis.* Tale Manifeſtum aliud, An. 1658. publicatum, exſtat apud LONDORPIVM, Act. Publ. T. VIII. p. 482 ſq.

Schlippenbachio vix credibile viſum. Magnum Gardium vero dixiſſe: "Bonum factum! Nec enim is, ſi domino ſuo conſultum volet, pacem „impediet, aut diſſuadebit." Et Gardius ſane Akakiae viſus eſt in vniuerſum bene cupere Duci: hunc quippe grauiora, quam pro Regis voluntate, paſſum fuiſſe a Duglaſſio. Ceterum Akakia liberationem ac reſtitutionem Ducis hoc Pacis tractatu, inter cetera, expediendam putabat. Quodſi pergerem male ſedulus eſſe, moram tractatui haud dubie iniectum iri. Sed ego Ducem contendebam ante omnia reſtituendum. Ad eum enim nihil pertinere pacificationem: nullum ius in eum eſſe Regi Sueciae: nullum huic ab eo lytrum, quum iniuria captus ſit, et prouincia tot exactionibus adtrita, exigendum: nullam eſſe, quam Sueci habent, ſpem adipiſcendi retinendique Ducatus. Extrema omnia experiri Curonos malle, quam ſe Suecis permittere. Praeterea ſic in Pacificatione Vueſtfalica actum: quippe ante tractatus Electori Treuirenſi redditam libertatem. Nec, ſi Suecis fixum conſtitutumque ſit pacem pangere, moram timendam. Quibus expoſitis rogaui Legatum, vt ne deſideriis votisque noſtris deeſſet. Inter haec etiam de Manifeſto iſto, aliisque, quae referre nihil adtinet, dictum. In diſceſſu eum comitatus ſum vſque ante portam aedium.

Poſt meridiem contuli me ad Legatum Danicum, a quo et ipſo ante aedium portam exceptus, et in triclinium deductus ſum. — Is, praeter cetera, hoc ab Domino ſuo ſibi datum negotii narrabat, vt Ducis reſtitutionem omni ſtudio promoueret. Super ea ſe iam egiſſe cum Rege Reginaque Poloniae, nec deſperare de felici ſucceſſu, addicente praeſertim Legato Gallico. Poſthaec de Daniae ſtatu ac conditione diſſerens, inter alia, "Pacem, inquit, peculiarem cum Sue„cis Rex meus nequaquam inibit: modo Poloni communem cauſſam „ne deſerant."

Die XIV. — Ad Praſinouium, Supremum Regni Cancellarium, acceſſi, nec apud eumdem deſtiti Ducis reſtitutionem vrgere. Hanc omni-

* PVFEND. loc. comm. p. 583 ſq. *Curlandiam eſſe Liuoniae partem, quam Sueciae cedere iam Polonicis Legatis in mandatis fuerit datum. Saltem dominium directum in Sueciam transferendum, ac Regem aliquas ſibi conditiones ſtipulaturum, quas praeſtare Duci oneroſum ſit futurum. Igitur ſatius fore, ſi Duci alibi*

omnibus Regni Senatoribus, dicebat ille, in votis eſſe; hanc Regi Reginaeque; hanc Commiſſarios, ſimulac Praeliminaria prouenerint, enixe proſequuturos. — Ad res Vcraniae delatus, eam a Coſacis miſerum in modum lacerari referebat. Quibus auxilio diuino ad obſequium redactis, forſitan et Liuoniam ſeruari Polonis poſſe. Curoniam vero a Polonia diuelli, numquam ſe paſſuros; nec pacem conglutinaturos, niſi Duce reſtituto.

Die XV. — Dn. Liſolam, Legatum Caeſareum, inuiſi, petiique, vt, quemadmodum olim promiſiſſet Regiomonti, rebus Curonicis opitularetur, et inprimis reſtitutionem Ducis iuuaret. Quod ille memor amicitiae, mecum olim contractae, praeterea Duciſſae, quam tum ei contigerat primum videre ac venerari, addictus, ſic ſe pollicitus eſt facturum, quaſi ad ipſius Imperatoris, Domini ſui, vtilitatem et ſalutem pertineret: quamuis ſuperuacanea videretur opera ſua in tanto Regis Reginaeque, Commiſſariorum, Senatorum Poloniae erga Ducem fauore ac ſtudio. Adhaec commemorabat, Regi ex Belgio heri litteras adlatas, easque in publico conſeſſu perlectas, quibus Batauos cognoſſet pacem libenter promoturos inter Septentrionis Reges: at vero Suecum, praeter pactionis Roſchildenſis duriſſimas leges, adhuc pecuniae vim magnam a Dano expoſcere; id quod Mediatoribus viſum eſſet iniquiſſimum. Porro illum iactitare, ſe numquam deſtiturum eſſe a Curonia, tamquam parte Liuoniae, ſibi vindicanda; ſoluturum tamen Duci e pecunia, qua eſſet Pruſſia Polonis redimenda, centena millia nummûm, vnde terras ſibi in Vlteriore Pomerania compararet. ° At Regem Poloniae pacem, quantumuis optatam ſibi ac neceſſariam, potius nolle, quam haec talia Suecis adnuere. Interim ventum eſſe ad tractatus; ac mox Propoſitiones vtrimque exhibitum iri.

Poſt meridiem, ex Palatino Poſnanienſi, principe Legationis ac patrono meo optimo, iſta omnia de praeſenti tractatuum conditione

bi ſatisfaciat in Samogitia, Lithuania aut Pomerellia; aut vt Elector (Brandeburgicus) *ſibi in Samogitia, aut Lithuania ſatisfieri patiatur, ac Duci Mindam tradat cum dignatione Principis Imperii.* Conf. DIARIVM EVROP. P. VIII. App. p. 7 ſq.

tione adcuratius accepi. Suecicorum Commiſſariorum Procuratoria eſſe quidem vitioſa: ſed aliis rectioribus mox adfuturis, tractatus non interrumpi: hebdomade inſequenti, Propoſitiones ſcriptas vtrimque exhiberi. Polonicam Palatinus, quam ipſe delineauerat ſcite ac diligenter, mihi legendam permiſit. Inter Poſtulata, reſtitutio Ducis plenaria primo loco poſita. * — Ceterum volebat, irem ad Legatum Belgicum, eoque rem perducerem, vt commonefaceret Suecos, quum nollent eum pacis pararium habere, admitterent certe, *tamquam Partem interuenientem.*

Die XVI. — Legatum Belgicum adii. Defunctus ſolita ſalutatione, in hanc fere ſententiam loquutus ſum: Non dubitare me, quin Excellentiſſimum Legatum Sueci, exemplo Regis Poloniae, Mediatorem adſumturi ſint: eius conſilio tum poſſe egregie adiuuari Ducis ac Domus Ducalis reſtitutionem, et Curoniae totius ſalutem, quam Celſiſſimi Ordines Belgii Foederati, noſtris moti tot infortuniis, ſine dubio ipſi de meliore commendaſſent: Ducem vero cum omni Domo Ducali tam inſignia in ſe merita numquam non gratiſſimo animo agniturum. — Legatus et Celſiſſimorum Ordinum et ſuis verbis, iiſque officioſiſſimis, promittebat, nihil ab ipſis praetermiſſum iri, quod ad Ducis reſtitutionem proſperitatemque faceret. Mediationem quidem a Rege Poloniae delatam Celſis ac Praepotentibus Ordinibus, ſeque, propterea huc ablegatum, honorifice ſuſceptum fuiſſe: ſed Suecicos Commiſſarios, quos haud ita pridem adiſſet, non dubitare quidem de Regis ſui adſenſu, nihil tamen certi compertum habere: exſpectandas eſſe, quas praeſtolarentur, litteras Regias: his adlatis, id quod concreditum ſibi ſit, ſeſe diligenter acturum.

Die XVII. — Ad Leſcinium Palatinum, quidquid ex Legato Belgico cognoueram, detuli. Quum per hanc quoque occaſionem peterem, vt in Propoſitione primas teneret Ducis reſtitutio; eas inter *Gra-*

* In tabulis Propoſitionis Polonicae apud LONDORPIVM l. c. p. 651. et in DIARIO EVROP. l. c. p. 23. primo loco poſita eſt *Reſtitutio in vniuerſum integrae Liuoniae Eſthoniaeque:* quarto loco, *Reſtitutio in libertatem Illuſtriſſimi Ducis Curlandiae, tamquam S. R. M. ac Reipubl. Feudatarii, cum vniuerſa eius Domo; et euacuatio arcis Bauſcenſis, et compenſatio damnorum Ducatui Curlandiae*

Digitized by Google

Grauamina deberi cauſſae Regis et Reipublicae; inter *Poſtulata* reſtitutionem Ducis primo loco ponendam reſpondit. Me nihil contra hiſcere auſo, perrexit dicere, Supremum Cancellarium vtrumque, maxime autem Lithuaniae, rebus noſtris poſſe opitulari: hos itaque modis omnibus conciliandos nobis, ne tempore ab iis difficillimo deſtituamur.

Die XVIII. — Legatos Brandeburgicos inuiſi, et prandio apud eos interfui, in quo varii ſermones vltro citroque habiti.

Die XX. — Dn. Pacius, Supremus M. D. Lithuaniae Cancellarius, quum eum conueniſſem, Propoſitionis formulam, qualis hac ipſa die Suecis per Mediatorem Gallum exhibita erat,* legendam mihi praebuit, parum diuerſam illam ab ea, quam Leſcinius delineauerat. Inter haec ſtudium adprime ſuum verbis efferebat, nec ſe inpoſterum quidquam erga Ducem officii omiſſurum promittebat, non ſine aliquo praemii futuri deſiderio. — Hora decima Legatus Danicus me, vt ſalutationis officium rependeret, inuiſit. Multum ille ac grauiter conqueſtus eſt, nullam in his tractatibus rationem Regis ſui haberi; pacem particularem moliri Polonos, a quibus tamen Daniae Rex in ſocietatem armorum, atque in tot belli infauſti diſcrimina eſſet adtractus. Biduo ante, tradidiſſe ſe Regi ac Senatoribus Poloniae Libellum Memorialem,** ad quem nunc Reſponſum exſpectaret; quod prouti foret, ita ſe acturum eſſe. Addebat, mox aduenturum Legatum Hiſpanum, ad pacem promouendam vniuerſalem.

Die XXII. — Colouratum Comitem, Legatum Caeſareum, acceſſi, rogauique, vt ne memoria effluere ſineret ea, quae Varſauiae ſuper Ducis reſtitutione ſperare me benigniter iuſſiſſet. Ille fidem ſe liberaturum reſpondit.

Die

diae illatorum, ac denique reſtitutio, vel iuſta compenſatio omnium rerum mobilium et ſcripturarum, etc. Duci Curlandiae, eiuſque Domeſticis, et aliis in arce vel Vrbe Mitauienſi vel alibi ablatarum.

* Conf. PASTORII Diarum ad h. d. pag. 67.

** Vid. PARSBERGII Diarium Danicum, ad h. d. p. 502.

Die XXIII. — Adii Morſtinium, Regni Referendarium, eique ſimiliter Principis mei cauſſam enixe commendaui.

Die XXIV. — Nuncium, de Mitauia recuperata, ad Supremum Cancellarium Lithuaniae detuli.

Die XXVI. — Lubomierſcium, Supremum Regni Mareſchallum, adeundi copia mihi facta eſt. A quo non modo humaniſſime exceptus, ſed etiam in ſpem boni euentus longe maximam ſum adductus. Eodem die, quum in Cubiculi Regii atrio inter alios Aulicos adeſſem, ad Regem euocatus ſum. Gratulabatur ille nobis Mitauiam receptam; tum de Bauſcio quid ſpei ſupereſſet, quaeſiuit. Eius enim recuperationem plurimum ad totius prouinciae ſalutem facere. Mox ad tractatus pacis conuerſus, interrogauit, qualem demum pacem, vniuerſalem an particularem, in votis haberemus. Pacem, inquam, eam potiſſimum, qua Ducis reſtitutio acceleretur. Eſſe id quidem, inquit Rex, nonnihil, nec ſe defuturum deſideriis noſtris: at non licere ſibi a Foederatis diſcedere: etiam Suecos miſcere omnia, nihil vt certi inde adpareat: nondum tamen ſpem pacis penitus decollaſſe. Se quidem ſtudium, operam, dexteritatem cunctis probaturum: nec, ſi rumperentur tractatus, culpae in ſe quidquam inclinandum fore. Ego tam incerto conſiliorum euentu et ipſe factus incertus, Regem vel maxime obteſtatus ſum, vt ante omnia Ducis reſtitutio, quam toties precibus efflagitaſſem maximis, expediretur. Verum ille, id fieri poſſe, iterum atque iterum negauit. Etiam Legatum Gallicum, ne morae inde emergerent, metuere; de reliquo ſpem facere reſtitutionis certiſſimam. Adhaec ſecurum me Rex iuſſit eſſe: nam aut Ducem reſtitutum, aut nullam pacem concluſum iri. At pace, inquam, non concluſa, quid Principi exſpectandum meo? Rex vultum demittebat, humeros trahebat: tandem, "Dii, inquit, meliora! ſed ne„que ſic deſperandum erit: alio tempore alia ſunt capienda conſilia."

Eodem die, redii ad Palatinum Poſnanienſem. Qui quum de Succorum Propoſitione, iniuriiſque aduerſus Caeſarem et Electorem in

* *Iohannes in Zelezin Zelecki*, Capitaneus Bidgoſcienſis, S. Reginalis Maieſtatis Stabuli Praefectus, Legationis Secretarius. Quibus honorum vocabulis ipſe

in illa contentis, memoraſſet, minabatur et ipſe, niſi animis linguiſque illi temperarent, coeptos ſe tractatus haud proſequuturum. Qua ego re commotus, exclamaui: Per Deum immortalem! Quid tum faciundum Principi meo? Ille autem reſpondit, ſe tum ſatis rebus noſtris conſulturum; necdum etiam omnem ſpem pacis eſſe inciſam.

Die XXVII. — Legatum Danicum rurſus inuiſi: qui Polonos narrabat pacem cum Suecis peculiarem inituros, nec Daniae Regem comprehenſuros, magno Daniae ac Poloniae detrimento.

Die XXVIII. — Dn. Oſtauius, Legatus Brandeburgicus, ſuo ac collegarum nomine me reuiſit. Inter alia, multum de Mediatoris Galli ſtudio partium conqueſtus eſt.

Die XXIX. — Praefectus Bidgoſcienſis, [c] Legationis Polonae Secretarius, quem heri inuiſeram, ad me acceſſit. Eodem die Dn. de Linda, Conſul et Burggrauius Gedanenſis, totius Senatus nomine me ſalutauit, officiaque, ſi qua in re Duci poſſent eſſe vtilia, verbis humaniſſimis obtulit.

Die XXX. — Supremum Regni Cancellarium conueni, et de Curonia differens, expoſui ei diligentiſſime tempus, cauſſam, indolem coniunctionis cum Polonia; ipſum ſitum regionis adcurate deſcripſi. Qua mea opera laudata, omnino Curoniae res ſibi fore commendatiſſimas promiſit.

Die XXXI. — Reuerſo mihi ad Supremum Lithuaniae Cancellarium, vt, quo loco eſſent tractatus, cognoſcerem, narrauit ille congreſſiones inpoſterum Oliuae habendas eſſe, ita poſtulantibus Suecis, et vero etiam Mediatore, cui non ſatis commodum eſſet ex Oliuenſi ſeceſſu toties in vrbem ſe conferre. [**] Itaque proxima hebdomade, ſi tractatus procederent, Commiſſarios Polonos Oliuam ituros; mihi remanendum eſſe. Ego vero eum tunc quoque precibus fatigabam, ne nos noſtraque vllo modo permitterent Suecis: ſimul

 parta

ipſe vtitur in ſubſcriptione Reſponſi Legationis Pol. ad Propoſitionem Suecicam, in DIARIO EVROP. l. c. p. 60.

** Conf. PASTORIVS loc. comm. p. 62. et quae dixi in notis, p. 106.

parta expoſui, olim cum Regno Poloniae ac Magno Ducatu Lithuaniae inita, quibus Poloni obſtricti tenerentur ad adſerendum ſuſtinendumque Ducatum, eiuſque conſeruationem et ipſis maxime ſalutarem eſſe oſtendi. Haec quum videretur paullo negligentius accipere, ego ad ſtudium eius accendendum promiſi decem millia nummûm, ſi res bene euenirent, ei tamquam pignus grati animi a nobis datum iri. Qua ſpe lactatus, Curoniam Suecis Polonos numquam ceſſuros adſeuerabat: ſe certe res noſtras diligentiſſime curaturum.

MENS. FEBRVARIVS

Die I. — Rex, cui ego ad ſacra procedenti inter alios plures aderam, ſciſcitabatur ex me, quid noui de rebus Ducis comperiſſem. Se adhucdum ſperare futurum, vt ante Feſtum Paſchatos ſaluus et incolumis ille ad ſuos reuertatur.

Die II. — Ex Supremo Lithuaniae Cancellario, ac Poſnanienſi Palatino cognoui, retractari nunc Propoſitiones, neque earum, ſimulac permutatae eſſent, exemplum mihi defuturum.

Die III. — Eadem comperi ex Supremo Regni Cancellario. Praeter alia, de ſumtibus vitae tolerandae neceſſariis quaerebat, vndenam Duci eſſent. Reſpondi, vitam eum viuere miſerrimam: abducto in captiuitatem *ſedecim florenos*, nec obolum amplius, in numerato fuiſſe. Nam primum nauibus adparandis multum pecuniae inſumtum: multum deinde exactionibus bellicis modo a Polonis, modo a Suecis ablatum: Suecis ſemel iterumque centena millia nummûm ſoluta. Naues autem exſtructas fuiſſe, vt vſui eſſent Duci in Indiis. Nunc rem iſtam conclamatam eſſe. — In Curia Regia, in quam Supremus Regni Cancellarius ſua in rheda me perduxerat, colloquutus ſum cum Legatis Danico et Gallico: quorum hic dicebat Polonos Legatos lento gradu ad tractatus procedere; tamen tempus, quo ad rem perueniendum ſit, inſtare; conciliata pace, Ducem abſque mora reſtitutum iri. Ego pro maturanda reſtitutione rationes omnes protuli: ſed ſurdo narraui fabulam.

Die IV. — Dn. de Linda, Conſulem et Burggrauium Gedanenſem, conueni. — In Curia Regia, rurſus ſuper reſtitutione Ducis egi

Digitized by Google

egi cum Lumbrano, Legato Gallico; neque tamen quidquam profeci. Diu multumque blaterans, illud ingeminabat, Rei expediendae mox tempus adſore; hoc eſſe exſpectandum. At Palatinus Poſnanienſis, omnia ſe ex animi noſtri ſententia procuraturum, pollicitus eſt. — Hoc ipſo die Weſthofius Secretarius, quum me inuiſeret, retulit, in occupatis minoribus oppidis priuilegia ipſumque adeo liberum Religionis Euangelicae exercitium a Polonis aboleri. Item Gninſcium, Pomeraniae Succamerarium, male animatum in Curoniae Ducem, dixiſſe: "Ducem Curoniae adſerendum in libertatem, priſtinaeque „dignitati eſſe reſtituendum, etiamſi tali beneficio videretur indignus, „quod *neutralitatem* abſque Regis ac Reipublicae conſenſu ſpopondiſ„ſet Suecis, quodque impediuiſſet, quo minus ſeſe Rigenſes Poloniae „dederent."

Die V. — Dn. Succamerarium adii, vtque ope ac conſilio maturaret reſtitutionem Ducis, rogaui. Ille ſtudium enixum indefeſſumque pollicebatur: ceterum Ducem aerumnas iſtas ſua culpa pati: ſi fuiſſet Polonis quam Suecis addictior, euentura alia omnia fuiſſe, non ipſi ſolum, ſed Lithuaniae ac communi ſaluti magis proficua: *neutralitatem* iſtam eſſe fundi noſtri calamitatem. His ego diluendis aiebam, ſimulandam Duci tum fuiſſe erga Suecos amicitiam: *neutralitatem* autem eo valuiſſe, vt licuiſſet ipſi in fide ac clientela Poloniae permanere: abſque illa ſi fuiſſet, Curoniam dedendam fuiſſe Suecis, eaque dedita, res neque in Lithuania ſiſti potuiſſe. Adlato denique a me *Pacto Incorporationis*, quum haec et alia huiuſmodi eſſet edoctus, viſus eſt cauſſae noſtrae paullo factus fauentior.

Die VI. — Reginae Secretarium inuiſi, ac Ducis reſtitutionem huic quoque de meliore commendaui.

Die VI. — In Curia Regia, in quam comitatus ſum Cancellarium Lithuaniae, multa de rebus Moſcicis percepi: late Moſcouiam a Tataris vaſtari; nihilominus Czarum ingenti cum exercitu imminere Poloniae; pacem velle quidem inire, etiam Lithuaniam reſtituere, ſed lege hac, vt Poloni Liuoniam ipſi cedant.

Digitized by Google

Die VIII. — Ouerbequius ac Somnizius, Legati Brandeburgici, me reuiſerunt, ac litteras Electoris ad ipſos perſcriptas mecum communicarunt, quibus de Regis Suecorum clandeſtinis, ſuper Curonia, conſiliis certiores fiebant, ex litteris Regiis interceptis. [o] Illum nimirum Curoniam nolle cuiquam vmquam cedere; Duci tamen velle redhoſtimentum ſoluere certam pecuniae ſummam, aut, ſi haec non adrideret, inueſtituram dare arbitratu ſuo, non ex formula Polonorum; velle tum ipſum arcibus imponere militem praeſidiarium, Ducem praeſtare illi debere ſtipendia; velle Nobilitati per Curoniam alia priuilegia nulla, praeterquam quae Liuonica haberet, concedere; velle tractum Piltenſem redimere quadraginta millibus nummûm, atque in Comitatum erigere. — Legati exiſtimabant, cauſſam Curonicam Polonos data opera procraſtinaturos vſque ad finem tractatuum, ac tum longioris pertaeſos morae praecipitaturos.

Die IX. — Leſcinius Palatinus, quum haec ei retuliſſem, vix auribus ſe ſuis fidere reſpondit. Nam Polonos antea noluiſſe Suecis Curoniam, quamquam ab iis occupatam, permittere; multo minus recuperata iam ſe abdicaturos. Hoc animis ipſorum eſſe tamquam clauo trabali infixum. "Sed fac, inquit, Regi Reginaeque, etiam „collegis meis aliquando aliter videri; ego certe tenaciſſimus propo„ſiti ero." — Quaeſiui ſuper tractatibus, et cauſſae Danicae incluſione. Si enim Daniae Rex, inquam, auxilio deſtitutus noſtro ad incitas redigatur, etiam nos tanto facilius opprimemur. Ad haec Palatinus: Quo vſque fieri poſſet, non ſe deſerturos Regem Daniae, dummodo eum Belgae Foederati ipſi non aut deſererent, aut cogerent pacem cum Suecis conficere. Alioquin enim omnem belli molem in Poloniam compulſum iri. Ego: Rumorem eſſe non vanum, Belgas iam Regi Daniae modis omnibus opitulaturos; Regem ad refundendos belli ſumtus Scaniam inſulam illis oppignoraturum. — Per hanc occaſionem quaedam, niſi meus me animus fallit, non abſurda diſſerui de perpetuo, quod inter Polonos ac Belgas iniri poſſet, amicitiae foedere; a quo ineundo Belgae vel propter commerciorum ſuorum in mari Balthico ſecuritatem non alieni futuri eſſent: vtque hoc opus

[o] Vid. DIARIVM EVROP. loc. comm. p. 5 ſq.

Digitized by Google

opus maturaretur, eſſe iis Rigam, quam Suecis eriperent, certis conditionibus offerendam: Polonis facilem fore iacturam vrbis eius, quam nec teneant, nec fortaſſe hoc bello obtenturi ſint. Palatinus probare viſus eſt hoc meum conſilium, idque vt quaſi a memet deferrem ad Legatum Belgicum, voluit.

Die X. — Legatum Belgicum conueni, qui ſe diu multumque cum Suecis egiſſe ſuper mediatione narrabat. Certe ideo ſe ab Ordinibus Belgii, etiam volente Rege ac Republica Poloniae, huc ablegatum eſſe, non vt ſpectatorem duntaxat ageret, ſed vt operam ſtudiumque ad conciliandam pacem conferret. Itaque ſibi mirum videri, qui fiat, vt Poloni mediationem Belgicam non modo non vrgeant apud Suecos, ſed etiam adeo parum curent, vt inceptos abſque illa tractatus magno iam ſtudio proſequantur. Ad haec ego: Videri Polonos non prorſus Belgis confidere. Nec e re eſſe illorum, ita, quemadmodum Rex Daniae, cum iis paciſci. Defenſionis ſecuritatisque mutuae cauſſa, foedus eſſe ineundum: tum denique, quid alteri alteris debeant, certo ſciri poſſe. Huic conſilio meo nonnulla Legatus dictu ſpecioſa obuertit. Vanum inter Polonos Belgaſque foedus fore, ſiquidem non poſſent officia mutua ſibi praeſtare. Quid enim bellum Turcicum, Tataricum, Coſacicum, immo et Moſcicum, ad Belgas? Quid his auxilii in milite Polono, diſciplinae omnis impatiente? Vnde Polonis claſſes, quibus Belgas iuuarent ac defenderent? Reſpondi ego ad ſingula: Non extendendum foedus eſſe vltra ea, quae ad res in mari Balthico eiuſque littoribus pertineant: milites Belgis in auxilium mittendos non Polonos, ſed e Germanis ſtipendiarios: ad claſſem parandam cuncta affatim Poloniae ſuppetere. Poſthaec Rigae mentionem inieci. Illam quidem Belgis, ſi ad expugnandam arma ſociarent, certis legibus poſſe a Polonis concedi: quam ſi tenerent, eos ex nauigatione in Duna fluuio multa ac magna commoda; ſin Moſcus illa vrbe potiretur, plurimum damni percepturos. Ceterum quamuis a Belgio Riga eſſet longo terrarum interuallo diſiuncta, breue tamen iter eſſe per mare. Praeſidium quoque e vectigalibus largis et opulentis facile ſuſtentari poſſe. — Haec Legatus pronis auribus excepit, oſtenditque,

Digitized by Google

ditque, ſi a Polonis Commiſſariis talia recte atque ordine in litteras redigerentur, ſe miſſurum illas ad Dominos ſuos, eorumque ſententiam exploraturum. At vero grauiter queſtus eſt, quod nulla Mediationis Belgicae ratio haberetur; quod nimis feſtinarentur tractatus; quod denique Rex Daniae ab illis excluderetur. Reſpondi, Danicum negotium Polonis eſſe periculoſum, niſi hoc ipſo congreſſu ſimul inter Danos ac Suecos pax componeretur. Quod Legatus fieri poſſe negauit: quippe tractatus pacis in Dania iam agitari, auſpicio Regum Galliae ac Britanniae; neque alio transferri poſſe, ſine horum conſenſu. Vtriſque optime conſultum videri, ſi pax vtrimque pariter ad effectum duceretur. Poſthaec commemorauit cauſſas, propter quas Belgis tum Poloniae tum Daniae conſeruatio vtilis eſſet atque optabilis.

Ad veſperam Commiſſarios Brandeburgicos conueni, iiſque ſermones cum Palatino Poſnanienſe ac Legato Belgico habitos retuli. E re eſſe putabant, vt, quae cum Legato diſſeruiſſem, e veſtigio deferrem ad Palatinum et Cancellarium: ſibi ipſis id, quod de exſequenda pace propoſuiſſet Belga, non diſplicere: certe pacificationem eſſe procraſtinandam vſque ad initium veris, exſpectandumque, quid Belgae reipſa praeſtituri eſſent.

Die XI. — Palatinum Poſnanienſem acceſſi, deque his omnibus certiorem feci. Promiſit ille, ſe per Legatum Gallum Suecos admoniturum, vt paci conciliandae Belgam ſinerent intereſſe: id ſi abnuerent, ſe quidem collegaſque ſuos eum inpoſterum adhibituros omnibus ipſorum colloquiis, nec citra eius adſenſum quidquam aut inituros

* De praecedentia, inter Brandeburgicos ac Belgas Legatos controuerſa, dixi in notis ad PASTORII Diarium, p. 98 ſq.

** Quippe Poloni *Excellentiae* titulum eo tempore, non niſi Regiis Legatis tribuebant. Nec Galli eum vſque ad An. 1640. aliis, quam Regiis, dederant, exceptis Venetis. Ait PVFENDORFIVS Rer. Suecic. Lib. XII. §. 88. p. 430. *Galli, qui ſemper auctores erant aliis, vt quam plurimum cederent Belgis, ipſi id non faciebant. Nam neque adire voluit Gallorum apud Venetos Legatus, nec eidem dare* Excellentiae *nomen: neque in Aula Gallica idem honor in introitu et prima admiſſione habebatur Belgis atque Venetis; qui et ipſi exaequationem illam Belgarum ſecum non ferebant. Neque vlli Legato, qui Regius non ſit, Venetis exceptis,* Excellentiae *titulus hactenus tributus fuerat.* Belgis demum Sueci hunc titulum An. 1644. tribuebant. De quo PVFENDORFIVS l. c. §. 89. *Quum*

Digitized by Google

ros conſilii, aut perſequuturos. Sed de praecedentia, prae Brandeburgicis Legatis,° ipſi illi videndum: neque enim ad ſe iſtam controuerſiam pertinere. Etiam ſuper ſollemnibus titulis antea conueniendum: *Illuſtris* ſe illi nomen lubenter daturos, non autem *Excellentiſſimi*, proprium duntaxat Regiis Legatis. °° De his igitur vt cum illo agerem, mihi iniunxit.

Die XII. — In Curia Regia colloquutus ſum cum Inſtigatore Regni. Is adeo rerum omnium ignarus erat, vt, quae coniunctionis inter Poloniam Curoniamque cauſſa et ratio eſſet, et vtrum Curonia ad Poloniam tantum ſpectaret, an vero etiam ad Lithuaniam, ex me curioſius quaereret. Qua ego hominis inſcitia perſpecta, quum ei dilucide rem expoſuiſſem, gratiam ab eo haud mediocrem inii, reſponſumque tuli, ſe quidem rebus noſtris minime defuturum eſſe.

Die XIII. — Pacius, Lithuaniae Supremus Cancellarius, Oliuam me perduxit ad Legatum Mediatorem, quicum ſermones inprimis ſuper Liuonia et Curonia habuimus. Retulit Mediator adfirmare Suecos, Liuoniam Regibus Suecorum conceſſam eſſe a tribus Imperatoribus; Polonos eam iniuſto ſibi titulo vindicaſſe. °°° Quod ſatis vterque refutauimus. Atque ego quidem, vt diplomata Imperialia a Suecis exhiberentur, poſtulaui, negans ſine his rei fidem conſtare. Nobis facillimum eſſe ad demonſtrandum, Curoniam Imperatore haud ignaro Poloniae ac Lithuaniae ſubiectam, atque adeo cum vtraque coniunctam fuiſſe. Quodſi Sueci ab Imperatoribus haberent illa diplomata, quare Curoniam ipſi tam parum curaſſent? quare neque a Moſcis

Quum Excellentiae *titulum vtique tribui ſibi praetenderent, res in vtramque partem in Senatu diſceptabatur. Erant, qui facile circa titulos concedendum contenderent. Belgas vnicos eſſe e liberis Rebuspublicis, vnde ſubſidii quid ſperari poſſit. — — Sed pleriſque placebat, videndum eſſe, quales deinceps erga Succiam ſe exhibituri ſint, ac pro re nata honoris ſigna diſpenſanda. In praeſens tamen titulum* Excellentiae, *et alia Legatis Regiis ſolita non tribuenda. Sequuturos Suecos aliorum Regum exempla. — — Poſt tamen, anno quadrageſimo quarto, tractatibus pacis cum Dano ſuſceptis,* Excellentiae *titulus Hollandorum Legatis primum a Suecis datus.* Conf. Perill. Dn. CAR. FRIDER. MOSERI Hiſtoria tituli Excellentiae, in Eiuſd. *Scriptis Minoribus*, P. II. p. 241 ſq.

°°° Conf. PASTORIVS ad d. XXVI Febr. p. 119 ſq. et quae ad h. l. dixi in not.°°°

Moſcis eam defendiſſent, neque eius cum Polonia coniunctioni olim ſe oppoſuiſſent? — Tradidit Mediator Cancellario Reſponſum Suecorum, (*Replicam*) ad Legationis Polonicae poſtulata. * Quo accepto, in vrbem reuerſi ſumus.

Die XIV. — Dn. Cancellario, quoniam ita voluerat, Mappam Geographicam Liuoniae adtuli, omniaque expoſui diligenter. Ipſe narrabat ineſſe illi Suecorum Reſponſo multa, Principi meo valde grauia atque aduerſa: praeterea negare eos, *neutralitatem* illi a Rege conceſſam eſſe. ** Ego, vt Commiſſarii Poloni haec mihi diluenda permitterent, petii. —

Die XV. — Eadem a Brandeburgicis Commiſſariis relata accepi, ac de *neutralitate* interrogatus, rem iis omnem veriſſime ediſſerui. *** Admonuerunt me, vt ne deſiſterem Ducis reſtitutionem apud Caeſareos, etiam apud ipſum Poloniae Regem, vrgere: ſe, quantum poſſent, operam daturos, ne ad extrema reiiceretur.

Die XVI. — Dn. Palatinus illa Reſponſa mihi omnia reddidit. Per hanc occaſionem ego ei pluribus demonſtraui, quam fallax et incerta Suecorum eſſet declaratio ſuper reſtitutione Principis mei, petiique ab eo, vt ne ſineret eam vſque ad finem tractatuum reiici. — Eodem die Legatus Belgicus me conuenit, ac de Pacificatione Polonica diu multumque diſſeruit, negans ſe, niſi ad mediationem admiſſum, aut Dominorum ſuorum propenſam voluntatem, aut ſuum ipſius ſtudium erga Ducem Curoniae ſatis poſſe teſtificari. — In prandio, cui

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 103.

** In illo Reſponſo Sueci liberationem Ducis ad progreſſum Tractatuum reiiciunt: reparationem damnorum, ac reſtitutionem Actorum Publicorum penitus abnuunt. Vid. LONDORPIVS l. c. p. 656. DIARIVM EVROP. l. c. p. 43. Neutralitatem autem Duci ſe conceſſiſſe, Rex Sueciae iam in *Manifeſto* de An. 1658. apud LONDORPIVM p. 483 ſq. negauerat; itemque in alio, de An. 1659. cuius mentio ſuperius facta, ſumma autem a PVFENDORFIO Comm. de rebus Caroli Guſtaui, Lib. VI. §. 69. perſcripta eſt. Inde lubet, quae ad rem praeſentem faciunt, repetere. *Regnante Chriſtina Curlandum quidem, vt medio eſſe liceret, obtinuiſſe, ſed certis legibus, quae ipſi exacte fuerint implendae. Sed Carolum Guſtauum ſceptro potitum, id pactum confirmare dubitaſſe, quod Vaſallo Regni hoſtilis eiuſmodi beneficium haud temere ſit concedendum, inprimis poſtquam omnes Palatinatus Poloniae et Boruſſiae Regi ſe ſubmiſiſſent, Electore quoque in partes tranſ-*

cui apud Palatinum interfui, multus de Foederatis ſermo, cuius ſumma haec: Abhorrere illos a pace particulari; ſed eam impedire in tanta Poloniae calamitate, tantaque annonae penuria, vtique nefas eſſe.

Die XVII. — Pacio, Supremo Lithuaniae Cancellario, *Informationem ſuper Liuonia* exhibui. ° Simul contendi maximis precibus, darent prima congreſſione operam Excellentiſſimi Commiſſarii Poloni, vt ne Sueci Ducis Ducaliſque familiae reſtitutioni diutius refragarentur. Quodſi nihilominus, vrgentibus fatis, Liuonia Succis eſſet permittenda, ſaltem nihil prius decernerent, quam deſideriis noſtris ſatisfactum eſſet. Id quod Dn. Cancellarius liberaliter promiſit.

Die XVIII. — Supremum Poloniae Cancellarium adii, ab eoque iterum atque iterum haec eadem petii.

Die XIX. — Dedi illam *ſuper Liuonia Informationem*, vna cum Poſtulatis noſtris, etiam Palatino Poſnanienſi. Hic ſibi talia olim ab ipſo Duce Berolinum eſſe miſſa dicebat, poſtquam fama increbuiſſet, ibi de pace actum iri. Quae vbi erant adlata, facile intellexi, ea nec tempori amplius conuenientia, nec magni omnino momenti eſſe; ideoque illius permiſſu velut inutilia retinui, rogans, vt nunc ad haec, quae ipſe adtuliſſem, animum aduerteret, eaque ſuo ſtudio ad optatum exitum perduceret. — Eodem die Dn. Liſolam, poſtea Colovratum Comitem, inuiſi. Quippe ab his putaui ſtimulos addi poſſe Polonis Commiſſariis, ſiquidem reſtitutionem Ducis negligerent, aut

Aaaa 2 nimium

tranſgreſſo. Et quia res cum Moſco, Dano ac Belgis ad pacem ſpectabant, rationis fuiſſe mature deliberare, antequam circa hoc certi quid ſtatueretur. Vnde potius Duci a Regiis fuiſſe Miniſtris propoſitum, vt declararet, Succiae partes, an eidem aduerſas ſequi malit. Sed quia tunc Suecico exercitu Lithuaniam ingreſſo, tractatio circa eam prouinciam ad Regis obſequium adducendam quam maxime feruebat, Ducem inde occaſionem arripuiſſe declarationem ſuam differendi, oſtenſo inſigni ſtudio circa negotium Lithuanicum promouendum, quod tanto cum ſucceſſu fieri non poſſit, ſe in partes concedente. —

*** Et Felkerſamius ipſe olim a Duce in Sueciam miſſus fuerat, vt cum Carolo Guſtauo Rege ageret ſuper neutralitate. Vid. PVFENDORFIVS l. c. Lib. II. §. 49. p. 87. BASNAGIVS Ann. Belgic. T. I. p. 392.

* De qua dixi in notis ad PASTORII Diarium, p. 110. Tabulas ipſas primus edidi, in Actis Publ. Pacific. No. XXXIII. p. 67 ſq.

nimium diu differrent. Et ſtudium vterque ſuum benigniter polliciti ſunt. Praeterea Liſola aiebat, Regem ipſum magnopere vrgere cauſſam noſtram: etiam Imperatorem nouiſſimis litteris mandaſſe, vt ipſi, quanta maxima poſſent induſtria, eam adiuuarent. Neque dubitandum eſſe, quin omnia ex animi ſententia ſint euentura.

Die XX. — Lumbranus, Legatus Gallus, ex improuiſo in Curia Regia obuius mihi factus, ipſe quoque de bono euentu me ſecurum eſſe iuſſit, dicens, Regis Regiique Adminiſtri mandatu noſtram ſe cauſſam eſſe diligentiſſime acturum.

Die XXI. — Retulit mihi, quem conueneram, Cancellarius Lithuaniae, negotium Curonicum videri ſibi iam paene confectum eſſe: Ducem reſtitutum, neque Ducatum a Reipublicae corpore auulſum iri: de Liuonia modo eſſe adhuc diſceptationem.

Die XXII. — Ex Palatino Poſnanienſe comperi, ad accelerandos pacis tractatus propoſitum fuiſſe a Mediatore, vt Legati non ſcripto amplius, verum coram inter ſe agerent. * Item eumdem propoſuiſſe varios modos, quibus pax facilius coalitura videretur. ** Horum vt expeditior eſſet ratio, Dnn. Commiſſariis ex vrbe concedendum fore in pagos; vbi ſtatim ſalutationes vtrimque obire, ac *modum procedendi* conſtituere poſſent. Itaque proxima die Lunae Polonos Commiſſarios in vicinum quemdam Oliuae pagum ſe collaturos: futurum e re noſtra, ſi ego ipſos adſectarer. Id quod me lubentiſſime facturum promiſi, obteſtatus eum denuo, vt ante omnia Principis mei reſtitutio decerneretur.

Die XXIII. — Redii ad Palatinum Poſnanienſem, vt quid inter Legatos actum, quidque ſuper Ducis reſtitutione ab Mediatore reſponſum eſſet, cognoſcerem. Dixerat autem Mediator, compoſita pace omnia minimo negotio ſimul expediri poſſe: ita velle Suecos, ac pertinaciter. Praeterea Palatinus idem repetiit, quod ſuperiore die retulerat, nempe Legatos Polonos mox conceſſuros eſſe in pagum *Striſs*, et opus fore, vt eo me ipſe quoque conferrem.

Die

* Conf. PASTORII Diarium p. 111. et quae dixi in not. ***

** Conf. PASTORIVS ad d. XIX p. 104 ſq.

Die XXIV. — Rurſus inuiſi Palatinum: a quo interrogatus de abitu meo, reſpondi neceſſe eſſe, vt Dn. Mediator me tutum praeſtaret: nam, deficiente Saluo Conductu, a Suecis mihi metuendum eſſe. Nec vanus Palatino hic meus viſus eſt metus. Itaque ſe mea cauſſa cum Mediatore colloquuturum promiſit, deditque mihi conſilium, vt ab eo per Secretarium ipſe quoque peterem commeatum. Sed Cancellarius Lithuanicus, eodem die ab me ſalutatus, et de ſecuritate mea conſultus, non putabat mihi ad eam opus eſſe Mediatoris interuentu; quippe conſtituta iam in vniuerſum omnibus, quibus eſſet cum Legatis aliquid agendum, ad tria milliaria ſecuritate. — Petenti a me pleniorem de tractu Piltenſi narrationem, eam me ipſi ſcripto exhibiturum pollicitus ſum. *

Die XXV. — Dn. Mediatori litteras fiduciarias per Secretarium meum exhibui. Interrogatus ille ſuper ſecuritate mea, reſpondit, rem iam in eo eſſe, vt ad tria milliaria decerneretur communis ſecuritas; eaque etiam me gauiſurum. Satius tamen videri ſibi, ſi et adueniens et abiens comitem me ſemper alicui e Legatis adiungerem. Enimuero talem ſecuritatem indignam videri perſona mea, quae publica eſſet, repoſuit Secretarius meus. Neceſſe eſſe, vt, quemadmodum Commiſſariis ceteris, ſic mihi quoque liber et acceſſus et diſceſſus concederetur. Mediator: Per ſe quidem id licitum fore; ſed rem ad Suecos eſſe deferendam.

Die XXVI. — Colouratus Comes mihi retulit, heri in conſeſſu, Rege ipſo praeſente, decretum eſſe, vt ad maturandam Principis mei reſtitutionem Commiſſarii omnem lapidem mouerent. Addebat non ſine querela, nimium a Polonis feſtinari pacem: Foederatos quidem et ipſos anhelare illam, ſed vniuerſalem. Quodſi particularem inituri eſſent Poloni, magnum inde in eos damnum redundaturum. Nam vno eoque inualido hoſte ſopito, alios plures ac potentiores ſimul exſuſcitatum iri. Omnino melius eſſe, cunctando et extrema perferendo pacem firmam et ſtabilem conficere, quam feſtinatis votis dubiam et incertam protrudere. Ac foederi ſua ſi fides conſtaret, nihil

 admo-

* Cuius ſcripti nulla alia, quod ſciam, exſtat memoria. Nec tamen ab eo exhibitum fuiſſe ambigam. Superſunt eam in rem quaedam alia, ab diuerſis auctoribus

Digitized by Google

admodum Suecos auſuros, neque vniuerſalem pacem detrectaturos. Haec loquutum in Curiam Regiam ſum comitatus: in qua memorabile nihil tunc actum fuit.

Die XXVII. — Leſcinium Palatinum inuiſi, qui Legationis Suecicae Declarationem, heri ab Mediatore ſibi oblatam, * ſimul atque in Conſilio foret perlecta, etiam mecum communicatum iri ſignificauit, addens, necdum pacem adeo propinquam eſſe.

Die XXVIII. — Ad Palatinum reuerſus, nihil prius atque antiquius habui, quam vt cum eo agerem de maturanda reſtitutione Principis mei: ad quem, quia neutrarum partium eſſet, negaui hos tractatus vllo modo pertinere. Palatinus: Eapropter iterum ac ſaepius actum fuiſſe cum Mediatore; ſed vero Suecos rem protrahere; ſe quidem nihil quidquam ſtudii atque operae omiſſurum. Nec tamen negotium pacis praecipitandum eſſe: e Noruagia quippe laetos nuncios aduenifſe de pugna, aduerſus Suecos pugnata; necdum de Moſcis, quid rei eſſet, ſatis conſtare. Certe pacem prouenturam bonam atque optabilem.

MENS. MARTIVS

Die I. — Morſtinio, Regni Referendario, Poſtulata noſtra obtuli, cauſſamque Piltenſem omnem luculenter expoſui: quod ille ſibi pergratum dixit eſſe, praeſertim hoc tempore, quo, de voluntate Legationis Polonae, formulam pacis in litteras redigeret. Se, quanto maximo poſſet ſtudio, rebus ac commodis Celſiſſimi Ducis inſeruiturum.

Die II. — Cancellarium Lithuanicum adii: cuius multae ac graues erant querelae ſuper Suecicarum Poſtulationum et numero et iniquitate. **

Die

ribus compoſita, et a Perill. Dn. NETTELBLADIO olim edita in Anecdotis Curlandiae, praecipue Territorii et Epiſcopatus Piltenſis, p. 69 ſqq.

* Eius exemplum ex Codice Zaluſciano primus edidi, in Actis Publ. Paciſc. No. XXXVII. p. 73.

** Conf. PASTORIVS ad d. IV Martii, p. 131 ſq. et quae nos diximus in notis.

Digitized by Google

Die III. — Palatinus Poſnanienſis in colloquio mecum habito retulit, Suecos non tantum poſtulare iniqua, verum etiam abnuere olim promiſſa. Super reſtitutione Ducis nihil eos certi declaraſſe: reſpondiſſe autem Polonos, eſſe illam, antequam negotium pacis proſequerentur, expediendam. Qua de re cras agendum cum Lumbrano. Ceterum Suecorum clandeſtina conſilia ſe collegaſque ſuos, ex illorum litteris interceptis, perſpexiſſe. Enimuero vana iſta et inania eſſe; vt adeo ipſi neceſſe non haberent Suecos magnopere curare, ſi modo, bene iuuantibus Superis, res aduerſus Moſcos ſuccederet. Itaque ſe pacis negotium rupturos eſſe potius, quam Suecis Curoniam ac Piltenſem tractum, quem iam ſpe deuoraſſent, vmquam ceſſuros.

Eodem die Legatus Neoburgicus me conuenit, mihique narrauit, ſe Ducis cauſſam magno ſtudio apud Commiſſarios Suecicos egiſſe. Illos, Deûm hominumque fidem obteſtatos, mandata Regis obuertiſſe, a quibus ne latum quidem vnguem diſcedere ſibi liceret. At enim pace mox, vt confiderent, compoſita, etiam Ducis reſtitutionem expeditam fore. Ad haec ego: Ex iis litteris, quae interceptae eſſent, patere, ita rem agi, vt neceſſe ſit, pacem adhuc quam longiſſime abeſſe. Reſpondit ille, Suecicos Commiſſarios a Rege ſuo accepiſſe alio tempore alia mandata, et ſecundum ea iam cum Polonis ita ſuper Liuonia tranſegiſſe, vt, quam partem Sueci per inducias Stumdorfienſes poſſediſſent, eam et inpoſterum tenerent. Reliquum eſſe, vt etiam de pecunia, pro deducendis praeſidiis, inter ſe conuenirent. Pacem a Suecis etiam inuitis eſſe concludendam. Quae niſi coiret, deſerendas ab iis vrbes, et praeſidia velut Diis ſuis iratis relinquenda eſſe. Enimuero Suecicos Commiſſarios acerrime queri de nonnullis libellis, per id tempus euulgatis, * quibus vniuerſum nomen Suecanum contumelia adficeretur, nouiſque diſſidiis anſa praeberetur. Repoſui ego, de libellorum iſtorum auctoribus me quidem nihil compertum habere: ceterum ſi falſae Suecorum criminationes, quibus Principis mei et famam foede lacerarent, et fidem apud

* Eo tempore prodierat pro Duce Curoniae libellus, inſcriptus *Fides Suetica, ſiue Plenaria Deductio, qua Proceſſus a Suecis aduerſus Ducem Curlandiae inſtitutus, omnibus ob oculos ponitur,* (1660. 4.) Tales libellos alios indicat HOFFIVS Schediaſm. Litt. de Scriptoribus Hiſt. Pol. §. 37.

apud Regem Poloniae ſuſpectam redderent, quam validiſſime retunderentur, id nullo modo iniquum videri poſſe. Neque deinceps defuturos, qui vera ad poſteritatis memoriam proderent. Facile his adquieuit Neoburgicus, dicens, iſtiuſmodi ſeſe ſcriptiuncularum nunc paucitatem magis, quam copiam mirari; olim inter Monaſterienſes et Oſnabrugenſes tractatus multo maiorem illarum numerum adparuiſſe. Deinde mihi ſignificauit, Magnum Gardium Comitem pacem iam pro concluſa habere, ideoque meam viſitationem praeſtolari. Sed ego me negaui ea prius defungi poſſe, quam pax eſſet ſancita.

Die IV. — Acceſſi Praſinouium, Supremum Poloniae Cancellarium, qui ſtatim profeſſus eſt, Polonos vel inuitis Foederatis pacem confecturos; manſuram penes ipſos Curoniam, ſed Ducem poſt initam demum pacem reſtitutum iri. Erat, quod reponerem: ſed feſtinante illo in Curiam Regiam, ne vnum quidem verbum dicere licuit.

Die V. — Ex Cancellario Lithuaniae cognoui, Suecos deſiiſſe tandem Curoniam petere, ac velle tantummodo eam Lithuaniae partem, quam huc vſque tenuiſſent, vſque ad eum locum, qui dicitur *Eiſs-Schanze*, ſibi ſeruare. Praeterea poſtulare illos certam pecuniae ſummam: Polonos autem eam promittere nec velle, nec poſſe. Ego illi Poſtulata noſtra etiam tunc maximopere commendaui. Quae poſtquam curae ſibi cordique fore promiſerat, de ſtatu praedii *Dondangen* curioſius ex me quaeſiuit. Reſpondi eſſe, quod ego ſciam, hereditarium praedium, ideoque a Bilouio Saxone (*der Sachs Bilau*) vxori teſtamento relictum. Poſthaec rhedam conſcendimus, Curiam Regiam petituri. Quo quum delati eſſemus, retulit mihi Naſſokinus Iunior, patrem ſuum a Czaro ablegatum ad Suecos eſſe, vt pacem aequis iniquis conditionibus iniret: adeo Czarum ſibi a Suecis metuere, vt libenter iis non modo quidquid armis occupatum teneret, reſtituturus, verum etiam inſuper quinquaginta milla aureorum, tamquam pro redimenda vexa, ſit ſoluturus. * Itaque Polonis

* Quae quidem a Naſſokino dicta videntur ad fallendum Felkerſamium. Certe non conueniunt cum iis, quae inter Suecos et Moſcos circa id temporis agitata

Digitized by Google

nis aut pacem cum Suecis anteuertendam eſſe, aut extrema omnia experiunda.

Die VI. — A Palatino Poſnanienſe accepi Declarationem Legationis Suecicae vltimam, vt, quae ad eam reſpondenda viderentur, diligenter ſingulis Articulis adnotarem, et ſi quid cauſſae noſtrae prodeſſet, adiicerem. Pacis quidem negotium aiebat adhucdum extrahendum: de Moſcis enim exſpectandos certiores nuncios eſſe. Interim ſe animi vehementer angi, ex quo Moſcum foedus cum Suecis initurum comperiſſet. Iſtud foedus ego vt oſtenderem Poloniae non vſque adeo metuendum eſſe, his rationibus ſum vſus: quod Regi Sueciae non ſuppetat in Liuonia miles, qui Moſcis auxilio mittatur; quod conſilium illi ſit, omnem vim belli in Danos atque Auſtriacos conuertere; quod ne conueniat quidem rationibus Sueciae, Moſcum, iam ſatis per ſe formidoloſum, nouis e Lithuania Poloniaque incrementis augeri; quod denique indiciis haud obſcuris adpareat, malle hunc Liuoniam ſibi ſeruare, quam Suecis reſtituere. Neque haec vana Palatino ſunt viſa. —

Die VII. — Obtuli Dn. Palatino *Adnotationes* meas ad Declarationem Legationis Suecicae, petens enixis precibus, ne quid rebus noſtris contrarium decerni pateretur, ſed vt reſtitutionem Ducis ante omnia expediendam curaret. Quibus benigniter adnuit.

Die IX. — Eaſdem *Adnotationes* Morſtinio, Regni Referendario, qui eas a me petierat, exhibui, vnde, quae reponeret Suecis, hauriret.

Die X. — Item illas Supremo Lithuaniae Cancellario, quicum pranſus ſum, tradidi, eique iterum expoſui cauſſam omnem Piltenſem, ac Dondangenſem; tum etiam de ſignis illis nauticis, quae Phari (*Feuerbacken*) dicuntur. Negante illo, Piltenſem tractum alio, praeterquam hypothecae iure ad Ducem Curlandiae pertinere, minime id ego tacitus tuli.

Die

tata memorat PVFENDORFIVS §. 79. pag. 595 ſq. et Lib. VII. §. 32. Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VI. pag. 625.

Die XI. — Redii ad Cancellarium Lithuanicum, habens mecum Stephani Regis litteras clientelares primas, Duci Curoniae datas, ex quibus illi *medietatem Dunae* velut ob oculos ponerem. A qua ſe haud receſſurum promiſit. Vtinam, vtinam ſtet promiſſis!

Die XII. — Supremum Regni Cancellarium adii, vt, quo vſque in negotio pacis eſſet peruentum, cognoſcerem. Dicebat ille: Niſi Foederati, cauſſam Danicam adeo vrgentes, ſucceſſibus obicem ponerent, Polonos certe pacem iam concluſuros eſſe. At quomodo, inquam, pacem concluſerint, inconſulto me, neque rebus noſtris compoſitis? Nec enim ſola reſtitutione Ducis nos fore contentos: ius faſque poſtulare, vt eius etiam famae honorique conſuleretur, totiuſque prouinciae damna reſarcirentur. Hoc eſſe inprimis agendum a Commiſſariis Polonis. Hoc fidei et innocentiae Principis optimi, hoc ipſis pactionibus deberi. Quippe Curoniam in tutela clientelaque eſſe Poloniae. Sed ille culpam fere omnem in nos retorquebat. Licuiſſe enim nobis, exemplo Ducis demortui, * cautioribus eſſe: id ſi eſſemus ſequuti, numquam futurum fuiſſe, vt in illam Scyllam incidiſſemus. Haud diſſimulaui, nos, Suecis nimium credulos, egregie deceptos fuiſſe: ſed deceptos etiam Imperatorem, Reges Poloniae ac Daniae, tot vrbes, tot prouincias. Enimuero exemplum Ducis demortui, vt res nunc eſſent, locum non habuiſſe: aliam aetatem mores alios poſtulare. In Polonia tantam rerum omnium fuiſſe perturbationem, vt, quid factu conſultiſſimum nobis, diu animi pependiſſemus. Tandem ſatius nos duxiſſe, neutris partibus adhaerere. Quae res quod infeliciter nobis ceſſiſſet, euentum magis noſtri conſilii, quam conſilium eſſe reprehendendum.

Die XIII. — Narrauit mihi Dn. Palatinus, Poſtulata noſtra loco ſuo inſerta fere ad verbum eſſe. Quumque mihi *Proiectum* ipſum Pacis ** inſpiciendum praebuiſſet, inter alia perſpexi hoc diſertis verbis propo-

* Fridericus, Gotthardi Kettleri, primi Ducis Curoniae, filius natu maior, obierat An. 1639. Eum PIASECIVS in Chronicis geſtorum in Europa ſingularium, ad An. 1605. item ad An. 1632. refert Reipublicae in bello Liuonico ſaepius egregiam operam praeſtitiſſe.

** Felkerſamius, in Narratione ſua Theotiſca modo *Reſponſum*, modo *Reſolutionem* Legationis Polonicae adpellat. Satis

Digitized by Google

propoſitum eſſe, vt intra hebdomadas tres Illuſtriſſimus Curoniae Dux reſtitueretur, ac Mitauiam decenti modo reduceretur. Apud eumdem vidi Guarantiae formulam, a Caeſareis ſane quam grauiter perſcriptam. Ceterum ex ſermonibus Palatini clare adparuit, eſſe ipſius adhuc eam ſententiam, *Dunae medietatem* vtriuſque Liuoniae terminum ſtatuendum, neque cis Dunam quidquam Suecorum imperio concedendum eſſe.

Die XV. — Inuiſi Morſtinium, Regni Referendarium, ab eoque iteratis precibus petii, ne, quum ipſe Legationis Polonae *Proiectum* in litteras redigere iuſſus eſſet, ea, quae nuper adnotaſſem ad ſpecimen a Palatino mecum communicatum, praetermitteret. Quod ille ſtatim non modo promiſit, verum etiam fecit.

Die XVI. — A Cancellario Lithuanico accepi, tractatibus non nihil morae iniectum iri propter nuncium, de Regis Suecorum morte adlatum. Neque obſcure indicabat verendum eſſe, non modo ne interpellentur hic loci tractatus, ſed etiam ne Lubecam inde transferantur. Quo cognito, heu, quantus me terror inuaſit! in quantam ſollicitudinem coniectus ſum! Legi deinde in Curia Regia, quo me contuleram cum Dno Cancellario, litteras de obitu Regis Suecorum, quas Morſtinius, Legatus in Dania Polonicus, diligentiſſime ſcripſerat. *

Die XVII. — Adii Supremum Poloniae Cancellarium, ſpe audiendi aliquid de tractatibus vel continuandis vel abrumpendis, inprimiſque de Principis mei reſtitutione. Ille animi et ipſe dubius dicebat, Rege Succiae mortuo, ſimul Procuratoria Commiſſariorum Suecicorum exſpiraſſe: nec ſe, quid partibus diuerſis placiturum ſit, diuinare poſſe; dolere ſibi vehementer, quod nouis iam difficultatibus implicitam reſtitutionem videret. Ego vero: Dubium non eſſe, quin breui tempore noua Commiſſariorum Suecicorum Procuratoria

 eſſent

Satis adparet, indigitari ab eo *Proiectum*, ſiue Specimen Formulae Pacis: cuius exemplum e Codice Zaluſciano protuli in Actis Publ. Pacific. No. XLVIII. pag. 94 ſqq. Nec tamen in eo ſpatium trium hebdomadum conſtitutum eſt. Memorat autem PASTORIVS ad d. XX. Martii, p. 159. poſtulaſſe Legatos Polonos, vt Dux Curoniae intra quatuor hebdomadas reſtitueretur.

* Conf. PASTORII Diarium, p. 143. not. **

eſſent adfutura. Interea ne tempus nihil agendo periret, continuandos eſſe tractatus, ſiquidem Sueci ratihabitionem promitterent, ſecuritatiſque praeſtandae cauſſa et Curoniae Ducem reſtituerent, et Bauſcum, ac quae in Pruſſia tenent loca, euacuarent.* Quod conſilium Cancellarius probare ſe nutu ſignificauit, meque admonuit, vt haec etiam ad Palatinum deferrem.

Die XIX. — Sereniſſimum Regem, data mihi adeundi eius venia, enixiſſimis precibus obſecraui, ne in tractatuum hac ſiue mora ſiue ſciſſione differret amplius Ducis reſtitutionem efficere, Curoniamque totam pacare. Reſpondit Rex, ſe de conſilio meo iam a Cancellario atque Palatino certiorem factum, decreuiſſe illud modis omnibus vrgere, nec ſane vmquam ſe pacem, niſi Duce reſtituto, confecturum. Ideoque mandatum iam Commiſſariis eſſe, vt in tractatuum continuatione hoc inprimis agerent, vt quam primum Curoniae Dux reſtitueretur, Bauſcum redderetur, prouincia tota pacaretur. Quum egiſſem Regi gratias, adductus eſt Ablegatus Moſcicus, qui ei litteras Czari tradidit demiſſiſſimo cultu, proſtratus ad pedes Regis, nec verbum proloquutus. Quo defunctus officio, ſtatim abiit.

Die XX. — Legatus Mediator ad conſeſſum, cum Commiſſariis Polonis ac Foederatis habendum, venit. Principio longam orationem exorſus eſt,** vt famae, quae de obitu Regis Suecorum percrebuiſſet, necdum prorſus fidendum oſtenderet. Poſthaec, Sit ita, inquit, Succiae Rex diem obierit: at certe non ideo ſimul Procuratoria Suecica exſpirarunt, vt pacis negotium aut abrumpendum, aut etiam ſuſpendendum ſit. Quae in huiuſmodi tractationibus ſpectantur, ſunt initium, progreſſus, concluſio, ratificatio. Atqui noſtra haec iam non modo incepta, verum etiam longe progreſſa, quum primum poterit, finienda eſt, praeſertim ſpondentibus Commiſſariis Suecicis, donec pacta ratihabita forent, ſe tamquam obſides hic remanſuros eſſe. Haec Mediator. Noſtri e contrario poſtulabant, vt Curoniae Dux nunc ſtatim Rigam, et pace concluſa, etiam antequam

* Conſ. PASTORII Diarium pag. 146.

** Conſ. PASTORIVS ad h. d. pag. 149 ſqq.

Digitized by Google

quam eius confirmatio facta eſſet, Mitauiam perduceretur; item vt Bauſcum, Mariaeburgum, Elbinga reſtituerentur. Quod vbi factum, ſe quidem coepta libenter proſecuturos. Mediator ad haec nihil, niſi ampliandum eſſe.

Die XXII. — Haec eadem ex Cancellario Lithuanico cognoui. Addidit, exorandos a me Commiſſarios Brandeburgicos eſſe, vt ne pertinacia ſua diutius pacem retardarent. Nam pace dilata, differri etiam reſtitutionem Ducis.

Die XXIII. — Ad horam decimam, Commiſſarii omnes conuenerunt Oliuam: partibus ſingulis ſingula conclauia permiſſa ſunt; mihi quoque peculiare hoſpitium praebitum. — Poſtquam Caeſarei et Electorales ſeſe ad Polonos contulerant, initium tractationis cum Suecis factum eſt, Mediatore inter vtrasque partes commeante. Durauerat iſte conſeſſus iam vſque ad horam ſecundam, quum litterae Suecis adlatae ſunt, obitus Regis ipſorum nunciae: quibus vehementer perculſi, mox diſceſſerunt,* polliciti reditum ad horam diei craſtini matutinam octauam.

Die XXIV. — Reuerſi Oliuam ſumus. Inuitatus a Polonis, conſeſſui Legatorum interfui, vt, ſi noſtris de rebus ageretur, praeſens conſuli ſtatim poſſem. Sed alia omnia tum quidem acta ſunt. Ego vero inſtiti, vt poſt moras tam diuturnas Dux Curoniae tandem aliquando reſtitueretur. Itaque decretum eſt, vt is vna cum familia Ducali intra ſex hebdomadas Rigam, et octiduo, poſtquam pax concluſa ac ſubſcripta eſſet, in Ducatum ſuum omni decenti modo reduceretur. Magnus Gardius litteras commeatus Rigam et Nouogardium, per tubicinem, ſe miſſurum promiſit.

Die XXV. — In Oliuenſi conſeſſu actum eſt, praeter alia, etiam de chirographorum per vim extortorum *caſſatione*: quam vti poſtulaueram, impetraui. Enimuero vbi ventum eſt ad haec: ** *Si quoque Decreta aliqua inter Ducales et Rigenſes a Suecis lata fuerint, caſſen-*

* Conf. DIARIVM SVECICVM ad h. d. pag. 4 ſq.

** Vid. Proiectum Pac. Pol. Art. V. inter Acta Publ. Pacific. p. 97.

Digitized by Google

tur: heu, quantus animorum motus, quanta tempeſtas ſubito exorta! Negabat Mediator: noſtri Commiſſarii, cauſſa ex me, qui adſidebam, penitius cognita, vehementer inſtabant. Ille ad me conuerſus animo irritato, Num tibi licet, inquit, qui Legatus non ſis, in Legatorum conſeſſu locum habere? Quam iniuriam Commiſſarii noſtri etiam ad ſe pertinere rati, eam ſic refutarunt, vt dicerent, me, licet propter captiuitatem Ducis titulo ac dignitate Legati haud ornatum, tamen primarium eius Adminiſtrum eſſe; olim, in binis Lubecae conuentibus, non ſine laude partes geſſiſſe Mediatoris, honoremque, qui tali perſonae deberetur, mihi habitum fuiſſe ab omnibus Legatis: praeterea Curoniae Ducem eſſe in clientela Poloniae, neque adeo illius Adminiſtrum a ſe deſerendum. Ergo, inquit Mediator, ſi Curoniae Dux Vaſallus eſt Regis Poloniae, multo minus decet illius Adminiſtrum Regiis Commiſſariis adſidere. His enimuero Commiſſarii magis quam ante exacerbati, reſpondent, ne tantum ſibi ſumat Mediator, vt, quibus modis Ducem clientelarem eiuſque Adminiſtrum cohoneſtent, ipſis praecipiat. * Ego vero, ad quem iſta iniuria praecipue pertinebat, non potui mihi temperare, quin huiuſmodi verba loquerer. "Numquam putaſſem, Excellentiam Veſtram offenſum iri „praeſentia mea. Nam etiamſi tamquam priuatus adeſſem: tamen „id neque nouum neque indecorum videri poſſet, quum non ſim „Gallus aut Hiſpanus, neque Italus aut Anglus, ſed Coronae filius, „et ciuis Reipublicae. Non igitur, quae hic pro ſalute patriae agun- „tur, me plane latere poſſunt. Nunc vero adſum vocatus ab Illu- „ſtribus DD. Commiſſariis, non tamquam priuatus, ſed tamquam „Conſiliarius publica inſtructus et munitus auctoritate Regis, Domi- „ni mei Clementiſſimi, vt negotia tuear innocentiſſimi et Suecorum „perfidia miſere adflicti Principis mei, informemque Illuſtriſſimos „DD. Commiſſarios, ſicubi eis informatione mea opus fuerit. Ne- „gauit Excellentia Veſtra decere Principis mei, vtpote Vaſalli, „Adminiſtrum Commiſſariis Regiis adſidere. Sed inter Vaſallum et „Vaſallum eſt magna differentia. Illuſtriſſimus Princeps meus liben- „ter fatetur, atque adeo ſibi gratulatur, ſe tanti Regis tantique Regni „Vaſal-

* Conf. PASTORIVS ad h. d. pag. 170 ſq.

„Vaſallum eſſe. Sed eſt Vaſallus ex pacto. Quapropter nihil noui „et inuſitati eſt, Celſiſſimum Ducem Regibus eorumque Miniſtris, „aut me ipſum Principibus et Commiſſariis Regiis adſidere. Non „igitur mereor, multo minus meretur Princeps meus iniuriam et „vilipendium Excellentiae Veſtrae. Interim ſciat Excellentia Veſtra, „manſurum illud nobis alta mente repoſtum: neque aegre feret, ſi „hac de re, ſuo et loco et tempore, grauiter conqueremur. Satis „enim mihi perſuaſum eſſe, Chriſtianiſſimum Regem maiori ho„nore ac veneratione Illuſtriſſimum Principem meum velle adfectum.“ Mediator excuſare factum ſuum: ſed perturbato conſeſſu, conſurreximus, et in vrbem reuerſi ſumus.

Die XXVII. — Detulerunt iſtam rem omnem DD. Commiſſarii, Rege abſente, ad Reginam. Quae valde indignata, Mediatorem, qui ſuperuenerat, haud leuiter ſane reprehendit.

Die XXIX. — DD. Commiſſarii redierunt Oliuam: ego, vt propter diei ſanctitatem cultui diuino vacarem, in vrbe remanſi. Illi quum in tractatibus delati eſſent ad caput de limitibus Liuoniae regundis, (*diſlimitatio*) nil me abſente decreuerunt, ſed cauſſam hanc excutiendam in diem craſtini diſtulerunt: quo die tamen illa nondum eſt diſceptata. —

Die XXXI. — Oliuam iuimus. Negotio pacis paene iam expedito, Sueci praeter omnium opinionem mire cuncta perturbauerant Poſtulato nouo, vt ad refundendos ſumtus quater centena millia florenorum a Polonis ſibi ſoluerentur. Quod iis denegatum eſt prorſus. Itaque alias decem conditiones propoſuerunt, * minati, ſi hae non concederentur, nec ceteris teneri ſe velle, quae iam inter ſe pacti eſſent. Hac re Commiſſarii Poloni pariter ac Foederati vehementer conterriti, alia omnia dicebant ſe exſpectaſſe. Sed quoniam Suecis ita videretur, haberent illi ſuas ſibi rationes: ſe Deo et tempori cauſſam omnem permiſſuros. Atque ita rhedis conſcenſis in vrbem reuerſi, ſtatim Regi ac Reginae totam rem aperuerunt. Quibus

* Vid. DIARIVM SVEC. ad h. d. p. 36. PASTORIVS ad e. d. p. 198.

Digitized by Google

bus mirum quantum animo commotis, ecce, adrepit Anguis iſte Gallicus, (*die Franzöſiſche Schlange*) et quamquam a Regina haud pro ſolita comitate exceptus, tamen aſtutia effecit ſua, vt redintegrandi ſint continuandique tractatus. * Igitur Kalendis Aprilibus conſultando peractis, Commiſſarii die inſequenti Oliuam redierunt: ego propter valetudinem in vrbe remanſi.

MENS. APRILIS

Die I Aprilis. — Impetrata venia Sereniſſimum Poloniae Regem adeundi, primum petii demiſſiſſime, ne quid ſineret Commiſſarios iuribus ac rationibus noſtris contrarium conſtituere; deinde conqueſtus ſum de Braunio, Mitauienſi Praefecto, quod ſine Conſiliariorum Regiminis praeſcitu iam ſextum per totam prouinciam commeatum imperaſſet. Rex me de Commiſſariis quidem ſine cura eſſe, ceteris vero rebus breui medelam a pace ſperare iuſſit.

Die III. — Commiſſarios Oliuam ſum ſequutus. Sed neque hac neque inſequenti die, noſtris de rebus, in commune conſultatum.

Die V. — Tandem decreta eſt Ducis Curoniae reſtitutio. Ego, ne locus eſſet verbis, *nondum vis fracta*, inſtiti acriter, ſed fruſtra. — Poſt meridiem, rurſus de cauſſa noſtra, praecipue de conſtituendis limitibus actum, Suecisque tandem conceſſum eſt, vt etiam, quae cis Dunam huc vſque tenuiſſent, inpoſterum haberent. A quo ego conſilio vt Commiſſarios deducerem, nihil intentatum omiſi. Verum illi ſic volebant, ſic iubebant. —

Die VII. — Rogaui, vt, ſi relinquerentur Suecis huc vſque poſſeſſa, nihil ſaltem iis amplius, praeterquam quod ab antiquo pertinuiſſet ad caſtellum *Dalen*, concederetur; vtque Duci praefectura Baldenenſis integra maneret. Enimuero et hanc Sueci ſine vlla grauiore contentione obtinuerunt. Haec ante meridiem. In conuentu poſt prandium, dixi de *lignatione*, atque, vt hoc tanto onere liberaremur, enixe contendi. Quod antequam Sueci adnuerent nobis, in vtramque partem vehementer diſputatum eſt. —

Die

* Conſ. PASTORIVS l. c. p. 199. et quae dixi in not. **

Digitized by Google

Die XII. — De quinque nauibus, Principi meo ablatis, eſt actum. Ego ad reſarciendum damnum centena millia Vncialium poſcebam, ſtudio quidem multo, ſed irrito atque inani. Neque in pomeridiano conſeſſu, opera mihi reparationem famae totque aliorum damnorum, petenti magis ſucceſſit.

Die XIII. — Sueci egerunt cauſſam Ducis Croyani, vt ei et Polonia ſolueret debitum, et Curoniae Dux reſtitueret hereditatem Doblenſem. * Ibi ego: Si hereditas iſta ſupereſſet, haudquaquam eam a Domino meo impetraturus eſſet Dux Croiae: nunc totam a Duglaſſio ablatam, ab eo repetendam eſſe. Quod autem ad debitum Poloniae adtineret, monere me ac teſtari, magnam illius partem deberi Celſiſſimo Duci Curoniae: prouiderent Commiſſarii, vt ius Domini mei ſartum tectum ſeruaretur. Ceterum Ducem Croyae indemnem praeſtandum eſſe. Quae dicta mea vt in Commentariis publicis perſcriberentur, petii. — Poſt meridiem, vbi rurſus conuentum erat, inſtiti, vt aliquid certi ſuper ruſticorum abductorum vel fugitiuorum reſtitutione decerneretur. Id quod tandem eſt factum.

Die XV. — Secretarius Hiſpanus interfuit conſeſſui: quo finito, Commiſſarii Poloni Carlcouium ſe contulerunt, vt, quae acta eſſent, ad Regem deferrent, et reliquis de rebus in medium conſulerent. Ad Regis audientiam tum et ego admiſſus, maximopere rogaui, vt copiae non modo Pruſſicae abducerentur e Curonia, verum etiam Lithuanicae a finibus remouerentur, atque ita praedationes ac rapinae prohiberentur. Imperabat ſtatim Rex Boguſlao Radziuilio Principi, qui ſimul aderat, Pruſſicarum copiarum abductionem: verum is non auſus imperata facere niſi iuſſu Electoris Brandeburgici, obſequium leniter detrectabat.

Die XVI. — Conditionum pacis omnium, ad Poloniam et Sueciam peculiariter ſpectantium, abſoluta hoc die tractatio eſt.

Die XVII. — DD. Commiſſariis in memoriam reuocaui Mitauienſium *Grauamina:* dixi item de vectigalibus et commerciis. Promiſerunt

* Conf. PASTORIVS ad d. XV. Apr. p. 235.

Digitized by Google

miſerunt omnia largiter. Faxit Deus, vt ne feſtinando promiſſiones in irritum cadant!

Die XIX. — Nunc demum, nec ſine magno labore, de conditionibus certum reſciui. Haud deerant, quae monerem. Sed multa agendo, parum aut nihil omnino profeci. A Mediatore obtinui aegre, vt Art. — de reſtitutione Inſtrumentorum, * infererentur verba, *et priuatorum Ducatus Curlandiae:* itemque, vt Art. — verbis, *Subditi hoc vltimo bello*, adderetur *et in futurum.* ** Quod ad Art. — de vectigalibus et commerciis, operam huc vſque luſi.

Die XX. — DD. Commiſſarii poſtularunt a me iuris, quod Domino meo in debitum illud Pomeranicum competeret, explanationem. Quorum ego voluntati ſatisfacere haud poteram, neceſſariis deſtitutus tabulis, quas cum ipſo *Cancellariae* tabulario Sueci Rigam abduxerunt. Mihi nunc ſuffecerit, hoc Principis mei ius vel indicaſſe tantum: explanationem eius alio loco et tempore dabimus. — Inter haec Ducis Croiani Deputatus obtulit Mediatori Libellum Memorialem: quem Mediator tradidit mihi, vt, ſi quid eſſet, quod reponerem, ſcripto comprehenderem. Exhibui ergo Reſponſum, quod inter *Acta* ſeruatur. Hac ipſa die, quum comperiſſem Eualdum *a Sacken*, Praefectum Piltenſem, id agere magno ſtudio, vt auctoritate Regia tractus Piltenſis a Curonia rurſus auulſus, in priſtinum ſtatum redigeretur, acceſſi Graffenbergium, Regium Secretarium, ex eoque rem curioſius exploraui. Qua penitus percepta, Sackenii rationes friuolas et inanes minimo negotio refutaui, expoſitaque quam veriſſime cauſſa, petii a Secretario, ne pro ſua erga Ducem amicitia pateretur Ducatum, fere ad incitas iam redactum, vlla amplius parte imminui, aut ius et poſſeſſionem Ducis turbari. Quibus precibus meis lubenter adnuit.

Die XXI. — Venit ex Oliuenſi monaſterio Sendza Oborſcius, a Supremo Lithuaniae Cancellario miſſus, qui mihi referret, pleraque

* INSTR. PAC. Art. VI. ** Ibid. Art. V. §. 4.

que nobis ſecundum *Poſtulata* ac *Monita* mea conceſſa eſſe: Mitauienſium *Grauamina* pertinere ad cauſſas minores, a peculiaribus Commiſſariis excutiendas, ne publicis cauſſis obeſſet priuatarum immixtio.

Die XXII. — Exhibui quaſdam Adnotationes meas, cum ad alias obſcuriores pacis conditiones, tum ad illam inprimis de commerciis ac vectigalibus. Sed nulla illarum ratio habita eſt, dicentibus Commiſſariis, eas partim leues eſſe, partim omnino vanas: neque ex iſtis Articulis Pacis Ducem Curoniae quidquam damni perpeſſurum eſſe.

Die XXIII. — Palatinum et Supremum Regni Cancellarium acceſſi, precibuſque enixis obteſtatus ſum, vt Mitauiae et Bauſci euacuationem ac reſtitutionem vrgerent. Illi metuendum eſſe dicebant, ne loca haec, abducto inde praeſidiario milite, occupentur a Moſcis. Adhaec Ducem Curoniae nondum ad ſuos rediiſſe. Ceterum rem ſe ad Conſilium Regium delaturos, ac commoda et ſalutem Celſiſſimi Ducis omnibus modis procuraturos.

Die XXIV. — Carlcouii aulicis officiis vacaui totum diem, vſquedum aduenit Schlippenbachius Comes: cui audientia data ad breue tempus fuit.

Die XXVI. — Koenigſmarkius Comes, e Viſtulomunda ad Regem adductus, et poſt horae quadrantem beneuolentiſſime dimiſſus, in vrbem ſe recepit.

Die XXIX. — Magnus Gardius per aliquot dies exſpectatus, tandem aduenit modico comitatu. Illi Rex tantum honoris, quantum alii nulli, habuit, detectoque capite in conclaui obuiam iuit duobus aut tribus paſſibus. Colloquium ſine arbitro, fere per duas horas, habitum. Poſt illa Reginam acceſſit, ab eaque exceptus pari gratia et honoris ſignificatione, poſt aliquot horarum colloquium humaniſſime dimiſſus, et ad ſcalam vſque reductus eſt.

Die XXX. — In conſeſſu Oliuenſi, inter alia rurſus actum eſt de Ducis Croiani poſtulatione: cui ego, ad Principis mei ius tuendum conſeruandumque, oblato libello interueni.

MENS. MAIVS

Die II. Maii. — Rex et Regina in vrbem reuerſi, prandio ſumto, in Poloniam inde abituri erant. Sed moti precibus Commiſſariorum pariter ac Legati Mediatoris, conſtituerunt manere adhuc dies proximos Solis ac Lunae; intra quod ſpatium pax tandem coalitura ſperabatur. — Eodem die, Regi ac Reginae Legati omnes valedixerunt: item ego non ſine luculenta Regiae, erga Celſiſſimum Ducem ac Domum Ducalem, gratiae ac beneuolentiae ſignificatione ſum admiſſus.

Die III. — Conſeſſus inde a matutino tempore habitus; pax tandem nocte intempeſta confecta eſt. Commiſſariis omnibus templum ſollemni ritu ingreſſis, concentu muſico Hymnus Ambroſianus decantatur, centumque tormenta exploduntur. Paullo poſt Commiſſarii, conſcenſis rhedis, ad ſua quiſque hoſpitia redierunt.

Die IV. — Iidem in vrbem delati, Regi ac Reginae pacem concluſam nunciarunt. Inter haec Mediator et Legati Caeſarei accedunt: Senatus Vrbis gratulatione per Syndicum, qui Latine dicebat, defungitur. Reſponſum eſt Regis nomine a Supremo Cancellario. — Rex cum Regina ad ſollemnia Sacra procedit: Deo gratiae aguntur: dieſque ob Pacem Reducem laetitiis omnibus feſtus celebratur.

IOH.

Digitized by Google

IOH. GOTTLOB BOEHMII

OBSERVATIONVM

AD

IOACHIMI PASTORII

DIARIVM

PACIFICATIONIS

OLIVENSIS

LIBER SINGVLARIS

Digitized by Google

Digitized by Google

IOH. GOTTLOB BOEHMII
OBSERVATIONVM
LIBER SINGVLARIS CONTINVATVS

XIV
Praetermiſſa,
de antiquo Imperii Rom. Germanici iure, in Liuoniam.

Quum de antiquo Imperii, in Liuoniam, iure iam dudum alii, in his praecipue *Ioh. Henricus Boeclerus* ſingulari Libro, (de adquiſito et amiſſo Imperii R. G. in Liuoniam iure, Argent. 1711. 4.) diligenter egerint: nae ego, ſi rem hoc capite omnem repetere vellem, patientia lectorum, atque vel hoc otiolo meo abuterer. Itaque pro conſilii mei ratione et modo tantum ea, quae maxime ad *Boecleri* Diatriben illam vel ſupplendam vel emendandam pertinent, exponam, laetaborque, ſi hanc qualemcumque operam meam viris eruditis, inprimiſque Iuris Publici Germanici doctoribus, haud ingratam eſſe intellexero.

II. Iam primum Liuoniam, poſt ſeculi decimi tertii exortum, in ius poteſtatemque Imperii Germanici veniſſe, indubitatis non ſolum Annalium, ſed etiam chartarum teſtimoniis poſt alios praecipue *Boeclerus*, loc. comm. p. 8 ſqq. comprobauit. Illud autem in eam ius quibus modis partum ſit Germaniae, nemo quiſquam, ac ne *Boeclerus* quidem, aut *Conringius*, (de finibus Imp. Germ. cap. 29.) ita expoſuit, vt doctis rerum harum aeſtimatoribus ſatis ſit factum. Nam profecto nec religio Chriſtiana, in Liuoniam primum illata ab ſacerdotibus Germanis, nec militum Germanorum arma, nullis prouocata iniuriis, cauſſam dominii adquirendi praebere iuſtam potuerunt: quamquam temporibus illis ius in armis ſitum eſſe, et quo vſque Chriſtiana ſacra pertigiſſent, eo vſque Imperii Germanici auctoritatem protendi, vulgo exiſtimabant. Ego igitur, qui non tam alienis opinionibus refellendis, quam ſtabiliendae ſenten-

Digitized by Google

ſententiae meae, diſputationem hanc ingreſſus ſum, ius illud a ſpontanea deditione Alberti, Liuonorum tertii Praeſulis, repetendum eſſe reor. Is quum Liuoniae partem magnam, maiorum ac ſuo ipſius ſtudio tum iam ſacris Chriſtianis initiatam, et poteſtati ſuae haberet ſubiectam, intelligeretque ad perficienda coepta opus ſibi tutamine potenti eſſe: lubens eam ipſe, nec inuitis Liuonis, Imperii Germanici clientelae permiſit, anno quinto ſupra milleſimum ducenteſimum. Cuius rei, ab *Arnoldo Lubecenſi*, ceteriſque illorum temporum ſcriptoribus, praetermiſſae memoriam ſolus ſeruauit Auctor *Chronici Liuonici veteris*, primum ex Bibliothecae Hannoueranae ditiſſimo theſauro in lucem prolati a *Ioh. Dan. Grubero*, viro clariſſimo.* Iuuat illius verba, (p. 46.) neſcio an lecta multis, in hac certe cauſſa ab nemine vllo commemorata, hic ponere. "Epiſcopus Albertus primus „circuiuit in Teutonia per omnes vicos ac plateas et Eccleſias, quae„rendo peregrinantes milites. Et perluſtrata Saxonia, Vueſtphalia, „Friſia, tandem ad Curiam Regis Philippi peruenit, et quum ad „nullum Regem auxilii haberet reſpectum, ad Imperium ſe conuer„tit, et Imperium ſalutat, ac ab eo, *communi Imperatoris ac Statuum* „*ſuffragio*, Liuoniam recipit." Et paucis interiectis, rurſus de eodem loquens, "Liuoniam, inquit, *cum omni dominio et iure*, ab „Imperatore receperat." Quod eius exemplum, velut ſignum aliquod ad bene ſperandum, dein ceteri Praeſules, et Liuonicae Militiae Magiſtri ſequuti ſunt.

III. Itaque Liuonia, quam plerique Germaniae portionem antea iam fuiſſe ſtatuunt,** nouo ei vinculo iuncta, nouum inde dignitatis

* Origenes Liuoniae Sacrae et Ciuiles, ſ. *Chronicon Liuonicum Vetus*, continens res geſtas trium primorum Epiſcoporum vſque ad A. C. N. 1226. e Codice MS. recenſuit, illuſtrauit, Siluamque Documentorum adiecit IOH. DAN. GRVBERVS, Francof. et Lipſ. 1740. f. Germanicam verſionem adſperſis notulis edidit IOH. GODOFR. ARNDIVS, Gymn. Rigenſ. ConR. vir doctiſſimus, Halae Magdeb. 1747. f. ac continuationem ad An. 1561. produxit, ibid. 1753.

** Vid. TACITVS de M. G. c. 45. CLVVERIVS Germ. Ant. III. 46. BOECLERVS loc. comm. p. 2 ſq. alii. Conf. OLAI HERMELINI Diſqu. de origine Liuonorum.

*** Eas plerique referunt ad An. 1226. Vid. PETRI GEORGISCH Regeſta Dipl. T. I. pag. 925. GRVBERVS loc. comm. p. 201. rectius ad An. 1224. Poſtulat tamen ſuſpectae fidei, nullo idoneo argumento. Conf. ARNDIVS loc. comm.

gnitatis honoriſque decus indepta fuit. Etenim per eam prouinciam haud multo poſt Marcis inſtitutis, Albertus Liuonienſis, atque item Hermannus Torpatenſis Epiſcopi, anno milleſimo ducenteſimo viceſimo quarto, ab Henrico VII. Romanorum Rege, relati in Principum Imperii numerum, iuribuſque Principalibus ſunt condecorati. Sed verba ipſa, age, ex litteris clientelaribus Regiis Alberto datis, quales in *Diario Europ.* P. VIII. App. p. 47. apud *Gruberum* loc. comm. p. 201. et *Du-Montium* Corp. Dipl. T. I. P. I. p. 162. exſtant, °°° huc transferamus. “Ad petitionem Alberti, venerabilis „Liuonienſis Epiſcopi, Marchiam vnam per totum eius Epiſcopatum, „per Liuoniam videlicet et Lettiam, Lehale et terras maritimas inſti„tuimus, et eumdem ipſi *Principatum*, *iure aliorum Principum*, muni„ficentia Regali conceſſimus, dantes ei poteſtatem faciendi mone„tam, et fundandi ciuitatem in Riga, et in locis aliis, in quibus eas „fieri oportet. — — Statuimus igitur, et ſub interminatione gra„tiae noſtrae firmiter praecipimus, quatenus Epiſcopo praenominato „de omnibus iuſtitiis et rationibus ad Regalem iurisdictionem perti„nentibus plene reſpondeatur, et per omnia intendatur; ſcituri, „quod ipſum *tamquam dilectum Principem Imperii* ſincere diligimus. „Et cum per eum *Imperiales Termini* dilatentur, et Barbarorum infi„delitas, annuente Domino, Chriſtiano cultui ſubiugetur; nihil eo„rum omittere volumus, quae ipſius commodo conducere potue„runt et honori.“ Eiuſmodi litterae etiam Hermanno primum Vuimpinae exhibitae, apud *Arndium*, virum doctiſſimum, Chron. Liuon. P. I. p. 209. ac paullo poſt repetitae Noribergae, apud *Gruberum*

comm. P. II. pag. 14. n. * Certe Iohannes, Epiſcopus Lubecenſis, Authenticas ſe profitetur vidiſſe, tenuiſſe, palpaſſe, et diligenter inſpexiſſe, *Sigillo rotundo cerae glaucae impreſſo*, *in cordula ſericea rubei et glauci coloris impendente*, *in cuius circumferentia haec verba reperiebantur*, HENRICVS DEI GRATIA ROM. REX SEMPER AVGVSTVS, *in medio vero Sigilli continebatur imago Regis in ſolio regio ſedentis*, *dextera ſceptrum regale*, *ſiniſtra vero manibus pomum gerentis*, *ſanas et integras*, *non vitiatas*, *non cancellatas*, *neque in aliqua ſui parte ſuſpectas*, *ſed omni prorſus vitio et ſuſpicione carentes;* ex iiſque curaſſe exemplum deſcribi ac publicari, d. 3 Maii An. 1519. Quod vid. in MATTH. DOGIELIS Cod. Dipl. Poloniae, P. V. pag. 170 ſq. Authenticae ipſae in Tabulario Reipublicae Polonae, quod in Arce Cracouienſi eſt, adſeruantur.

berum l. c. alioſque legi poſſunt. Atque haec prima in Liuonis dignitatis Principalis veſtigia. Nec tamen erroris omnino arguerim eos, qui Vualterum Plettenbergium demum, Ordinis Liuonici Magiſtrum atque alterum inſtauratorem, ab Carolo V. Imperii Principem creatum autumant, auctoritate innixi *Balth. Ruſſouii*, haud incelebris Liuonicarum rerum ſcriptoris. "Praeclarus hicce Magiſter, „(ita habent verba eius, a *Boeclero* Latine reddita,) per egregia fa-„cta id effecit, vt in numerum Principum Imperii ipſe cum ſucceſ-„ſoribus ſuis fuerit receptus: primuſque fuit, qui vſus eſt *Principis* „titulo, quem ab Imperatore Carolo Quinto accepit." Nec ſane alii cuiquam, ex Magiſtris Liuonici Ordinis, tantum honoris decoriſque antea conceſſum. Conf. *Thuani* Hiſt. ſui temporis Lib. XXI. *Henr. Leonh. Schurzfleiſchii* Hiſt. Enſiferorum, pag. 117. 335 ſq. *Koeleri* Amoenit. Numiſm. P. V. pag. 99. Ab hoc autem tempore interueniſſe illos etiam rebus Imperii, et in Comitiis adfuiſſe, ſatis conſtat.

IV. Sed de natura nexus, qui a Philippi, Regis Romanorum, temporibus inter Germaniam Liuoniamque interceſſit, paullo diligentius diſquirere haud fuerit ſuperuacaneum. Eſt enim, ea in re, varius doctorum hominum error. Neque defuit, qui quamquam talium inprimis ſciens, tamen pro fabula haberet, Liuoniam cum Germania coniunctam fuiſſe. Alii eam in fide tantum et tutela fuiſſe Germaniae, aut obſeruantiam Imperatori, tantum *vt Capiti Temporali Chriſtianitatis*, praeſtitiſſe exiſtimarunt. Quorum ego neutris vt adſentiar, rationibus moueor multis ac grauibus. Nam primum, vt alia omittam a *Boeclero* diſputata, Liuoniam factam eſſe Imperii clientelarem prouinciam, quis, niſi in ſole, vt aiunt, caliget, non ſatis perſpiciat vel ex *Chronici Liuon. Veteris* eo, quod ante adtulimus, teſtimonio? Quod quidem teſtimonium tot litterae clientelares, tot conceſſionum, priuilegiorum tabulae, Liuoniae Praeſulibus et Magiſtris ab Imperatoribus ac Regibus Romanorum rite exhibitae, ſic confirmant, vt refelli non poſſit. Ita Fridericus II. Imp. anno quinto et quadrageſimo ſupra milleſimum ducenteſimum, Magno Magiſtro Teutonici in Pruſſia Ordinis, cui Ordini Liuonicus iun-

ctus

ctus tum erat, Curoniam quoque vicinaſque alias terras armis victricibus occupatas, *velut vetus et debitum ius Imperii*, conceſſit. "Concedentes, inquit ille, et confirmantes eidem Magiſtro, Succeſſoribus ſuis, Domui ſuae in perpetuum et omnes terras, quas in partibus Curlandiae, Ludouiae et Samogittarum, Deo ſauente conquiret, velut vetus et debitum ius Imperii, — — vt eas liberas „ab omni ſeruitio et exactione teneant immunes, et nulli teneantur „inde, niſi Nobis et Succeſſoribus Noſtris, Romanis Principibus, reſpondere." Vid. Priuilegium Friderici II. ſub Aurea Bulla dat. Veronae, m. Iun. An. MCCXLV. in *Ant. Fabri* Noua Collect. Actorum Publ. (*Neue Europ. Staatscanzley*) P. II. p. 92. At enim dominii ſupremi, in Liuonicas inprimiſque Archiepiſcopatus Rigenſis terras, adſunt indicia multo clariora in Caroli IV. litteris, anno milleſimo treceenteſimo ſexageſimo datis ad Archiepiſcopum Rigenſem. In his enim apud *Matth. Dogielem*, Cod. Dipl. Pol. T. V. p. 77. haec leguntur. "Si quae bona, poſſeſſiones ſeu terras Archiepiſcopus praedictus, ſeu Eccleſia ſua ab infidelibus acquiſiuerint, expugnauerint, vel quouis modo obtinuerint, eadem et eaſdem praedicti Archiepiſcopus et Eccleſia libere et perpetuis temporibus *cum vtili dominio* poſſidere et habere; * *directo dominio et Iure Superioritatis* Nobis et Succeſſoribus Noſtris, Imperatoribus et Romanorum Regibus, penitus reſeruato." Quapropter et Vuenceſlaus, Caroli IV. ſucceſſor, "Temporalium diſpoſitionem praefatae Rigenſis Eccleſiae „*ad ſe, tamquam Romanorum Regem, ac neminem alium*, ex primaeua „ipſius Eccleſiae fundatione ſpectare ac pertinere," ait in diplomate, prolato ibidem, p. 188. Itaque animi falſus profecto eſt ipſe ille, quem modo diximus, *Dogiel*, ratus Henningum demum, Rigenſem Antiſtitem, vinculo ſe clientelari obſtrinxiſſe Imperio Romano. Supereſt homagii, quod vocant, Sigiſmundo Imp. per illius procuratores praeſtiti formula, luculentiſſimum non clientelae ſolum, ſed etiam obſequii documentum. Quae quum ad rem hanc noſtram expediendam multo maxime faciat, praecipuam eius partem ex Codice

 Dipl.

* Ita habet exemplum, quod ſequimur. Satis autem adparet, aut legendum eſſe *poſſideant et habeant*, aut ſupplendum *debent*, *poterunt*, vel aliud quid ſimile.

Dipl. Poloniae, loc. comm. p. 131. (nec enim alibi edita eſt,) depromtam hoc loco adiicere, quid vetat? Eſt autem his verbis: "Ego Ia„cobus, et ego Ioannes,* nomine procuratorio iuro ad Sancta Dei „Euangelia, in animam Reuerendi in Chriſto Patris, Domini Hen„ningi, Archiepiſcopi Rigenſis, quod ipſe ab hac die in antea *fide„lis erit et obediens* Vobis, glorioſiſſimo et inuictiſſimo Principi ac Do„mino, Dno Sigiſmundo, Romanorum — Regi, Domino ſuo gra„tioſo, nec non omnibus Romanorum Imperatoribus ſiue Regi„bus, Succeſſoribus Veſtris, et ipſi S. R. Imperio, contra omnem „hominem, et quod auxilium vel conſilium nunquam dabit nec „conſentiet contra ſtatum, vitam, perſonam vel ſalutem Veſtram, „et quod honorem Veſtrum, Succeſſorum Veſtrorum et Sacri Im„perii pro poſſe ſuo fideliter procurabit, —— et omnia alia et ſin„gula erga Sacram Coronam Veſtram generaliter attendet, et effica„citer obſeruabit, *qua fidelis Sacri Imperii Princeps;* ſuo vero Domi„no Romanorum Regi ſeu Imperatori, ſecundum Sacras Leges et „laudabiles conſuetudines iurare et praeſtare tenetur, et quae per an„teceſſores ſuos, Archiepiſcopos Rigenſes, Diuis Imperatoribus et „Regibus Romanorum, Veſtris Praedeceſſoribus, iurari ſunt ſolita „et praeſtari, et quae in Iuramento Fidelitatis, in Corpore Sacra„rum Legum inueniuntur expreſſa." — Atque ita Magiſtros quoque Liuoniae obſequia rite profeſſos eſſe Carolo V. Imp. ſatis cognitum teſtatumque habemus. Quae quum ita ſint, eat nunc *Luduigius*, et dicat, (apud *Arndium* loc. comm. p. 300. n.) "Epiſco„pos Liuoniae in Ciuilibus ſui iuris fuiſſe, neque vllum agnouiſſe „dominum, ſed regnaſſe in ſocietate Prouincialium Ordinum, *cum „omni imperio*: fabulas eſſe inanes, Germanico Imperio addictam „fuiſſe Liuoniam." Eat nunc *Dogiel*, et dicat, (in Praef. ad Cod. Dipl. Pol. T. V.) vni olim Pontifici Romano Liuoniam paruiſſe; Imperatores autem quî potuiſſent ius ſibi in eam ſumere, Oedipo coniectore opus eſſe. Eat nunc *Arndius*, et dicat, (loc. comm. p. 295 ſq.) in Imperii eam tutela tantum fuiſſe; nihil aliud, niſi tutelam, indicare

* In litteris Inueſtiturae, quibus haec formula inſerta eſt, vocantur *Iacobus Gronowe et Ioannes Faulhawer, Preſbyteri, in eadem Eccleſia Rigenſi beneficiati.*

Digitized by Google

indicare *iur Imperii*, *prouinciae* vocabulum, inueſtituras, priuilegia; nullo alio, praeterquam tutelae reſpectu Liuonos obtemperaſſe Imperii legibus, Praeſules et Magiſtros Ordinis ſuffragia in Comitiis tuliſſe. At ſunt et alia Imperialis in Liuoniam iuris documenta, pridem a *Conringio*, *Schuedero*, *Boeclero*, expoſita: quae lubens omitto, haud immemor inſtituti, potius promere indicta aliis, quam repetendo vulgaria actum agere.

V. Itaque et de Moſcicis bellis, dirum in modum illatis Liuoniae, deque pactionibus initis inter Sigiſmundum Auguſtum, Poloniae Regem, ac Gotthardum Kettlerum, Magiſtrum Ordinis Liuonici vltimum, commemorare ſuperſedebo. Tam luculenter haec et talia iam a multis et praeclaris rerum ſcriptoribus ſunt explanata. Vid. Deſcriptio tertii belli Liuonici, apud *Schardium*, Script. Rer. Germ. T. III. p. 1989. *Ruſſouius* l. c. P. II. p. 82. *Dau. Chytraei* Saxonia, p. 495. 519. 528-535. *Thuanus* l. c. Lib. XXVIII. *Koialouii* Hiſt. Lithuan. P. II. p. 447 ſq. *Chriſt. Kelchii* Hiſt. Liuon. P. III. p. 222 ſq. *Boeclerus* p. 57 ſq. Tabulae pactionum nuper ex Reipubl. Polonae tabulariis curatius editae ſunt, in *Dogielis* Codice Dipl. T. V. p. 228. 238 ſq.

VI. Magis conſentaneum eſt negotio ſuſcepto, diſcutere vulgatam de amiſſo Imperii, in Liuoniam, iure ſententiam. Adeo non ſolum exteri, verum etiam noſtri ſcriptores tamquam ex compacto cenſent, hac tanta rerum facta conuerſione illud deſiiſſe. Neque enim Germaniam aut opem tuliſſe Liuoniae ab Moſcis oppreſſae, aut ius ſuum vindicaſſe aduerſus Polonos, Suecos, Danos; ſed in illo velut naufragio iacturam eius aequo animo paſſam eſſe. Haec ita *Conringius* l. c. haec eius ad ſententiam tot Iuris Publici Germanici doctores, non proletarii tantum iſti, ſine doctrina, ſine ingenio, velut formularum cantores, ſed magni nominis viri, *Schuederus*, *Hornius*, *Spenerus*, *Struuius*, *Kemmerichius*, ac praeter alios *Maſcouius*, meus ille venerandus praeceptor. Quae quidem *Boeclerus*, quamquam et ipſe Imperium ratus iure ſuo excidiſſe, tamen vt magnam partem inania redarguit ac refutauit. Non enim profecto a Germanis Liuonia ſic, quemadmodum vulgo tradunt,

auxilio deſtituta, aut eius recuperandae nullum conſilium agitatum, nullus modus tentatus fuit. Hanc Boeclerianae diſputationis ſententiam quae confirment, addam ex Actis Publicis pauca, vix iam a quoquam, harum rerum non ſtudioſiſſimo, animaduerſa. Iam primum igitur inuenio, non tantum ſub Ferdinando I. Imp. [*] ſed etiam iterum iterumque ſub Maximiliano II. eſſe conſultatum Auguſtae Vindelicorum, Spirae, Ratiſbonae, ſuper Liuonia defendenda ac recuperanda. In Auguſtano quidem conuentu, An. MDLXVI. actum eſt vniuerſe de prouinciis ab Imperio auulſis: quo nomine Liuoniam quoque comprehenſam fuiſſe, quis ambigat? Conf. *Ioh. Meichſneri* Narratio de Comitiis Auguſtanis, in Perill. Dn. a *Senkenberg* Collect. Script. inedit. P. I. p. 287 ſq. At vero in Spirenſi conuentu, qui An. MDLXX. habitus eſt, Liuonica cauſſa acriore eſt ſtudio tractata, Ordinumque conſenſu ſplendidiſſima ad Moſcum decreta Legatio, quae et conſuleret honori vtilitatique Imperii, et rem pactione componeret potius, quam bello oſtentato prorſus miſceret ac perturbaret. Quippe vrgentibus Imperii fatis omnia prius, quam incerta belli, experiunda. Nam vbi ſe ipſi mutuo infeſtis armis conficerent, arrepta occaſione Turcum facili negotio vtroſque oppreſſurum eſſe. [**] Nec vero cauſſa illa tantum cum Moſcis, ſed etiam in Stetinenſi Pacificatione, cum Suecis et Danis agitata eſt ab Imperatore, ſic intento vindiciis Liuoniae, vt eum hanc ad rem centies centena millia nummûm in numerato habere fama vulgaſſet. [***] Quod quamquam ex vano hauſtum, tamen permouit Iohannem, Succiae Regem, vt quidquid in Liuonia tenerent Sueci, Imperio ſe reſtituturum, tabulis Pacis promitteret. [****] Nec vero promiſſionis huius

* Vid. REC. IMP. de An. 1559. §. 8. Cf. Ferdinandi I. Ep. ad Sigiſm. Aug. Reg. Pol. in FABRI Act. Publ. l. c. p. 101 ſq.

** PROTOCOLLVM Elect. Rudolphi II. Regis Ro. apud Dn. a SENKENBERG l. c. P. III. p. 67. — *Möchte die Inſtruction vorgenommen und verleſen werden, ſo An. 1570. auf dem Reichstag zu Speyer von gemeinen Reichs Ständen iſt gemacht und geſtellt worden, ungefährlich diß Inhalts: „Dieweil der Moſcowiter vor dieſer Zeit ſich als ein „Freund des Röm. Reichs angeben, und „dann der Türck je länger je mehr zu„nehme an Gewalt, Land und Leuten; „Alſo da zwiſchen dem Reich und Moſco„witer ein neuer Krieg erregt und ge„führt werden ſolte, der Türck ſolche „Gelegenheit bald zu ſeinem Vortheil, „beyde Theil zu unterdrücken, an die „Hand nehmen wurde, derwegen viel „rathſamer, ſich in gutem Verſtändnuß bey-*

huius liberata eſt vmquam a Sueco fides. Moſcicum quoque negotium alia ex aliis impedimenta, et continuae difficultatum veluti tricae, adeo implicauerunt, vt eius tractatio, ne ſaepius quidem per id temporis repetita, Francofurti primum, deinde Mulhuſae, * poſtremo Ratiſbonae, vmquam ſuccederet. Ac Ratiſbonae quidem in conuentu, quem ibi Electores An. MDLXXV. celebrarunt, ſententias variaſſe inuenio, ** "aliis ad Comitia protrahendum, aliis „Caeſari committendum cenſentibus, ſaltem vt formulam deſcribi iu„beat, quam poſtea Electoribus mittat, ad reuidendum et corrigen„dum. Sed vicit tertia eorum, qui Legatos quam primum mitten„dos putarunt cum his mandatis. *Primo*, vt Moſcus reſtituat adem„ta: *Secundo*, vlterius bellum non moueat: *Tertio*, amicitiam co„lat cum Imperio, (*Verſtändnus*). Sed modum Moſcus ipſe pro„ponat: et poſt ad Ordines referatur. — — Quoad ſumtus perſtant „in ſententia, ſcilicet cum ſex ciuitatibus maritimis agendum, vt „pecuniam mutuo dent." Atque haec in Comitiis, altero anno poſt illic habitis, vno velut ore ſunt confirmata. *** Igitur "fuiſſe „adhuc, inquit *Boeclerus* l. c. p. 129. curae cordique Imperio Li„uoniam An. MDLXXVI. docemur ex Receſſu dicti anni, Ratiſbo„nae habito. Decretum enim ibi fuit, ampliſſimam Legationem, „cuius caput Imperii Princeps eſſet, de liberanda Liuonia ad Mo„ſcum mittendam eſſe. Vſque ad iſta ergo tempora, ſi ex ſolis prin„cipiis de derelictione ratiocinandum fuiſſet, ſaluum in portu na„uigaſſet ius Germaniae."

VII. Nec vero hic pedem figam. Iuuat vlterius progredi, et contra quam *Boeclerus* ipſe ſtatuit, oſtendere, ne ab illo quidem tempore Impe-

„*beyſammen zu halten, und alſo dem* „*ſtarcken Feinde mit geſamter Hülſ zu* „*widerſetzen.*" Conf. ACTA in Comitiis Auguſtanis, An. 1582. apud HOFMANNVM Collect. Script. inedit. P. I. p. 279.

*** Vid. Cl. ARKENHOLZII Tentamen Hiſt. Pragm. Pacific. p. 46.

**** Vid. INSTR. PAC. STETIN. item *Hiſt. des Traités de Paix*, T. I. p. 210. Conf. AEG. GIRS Hiſt. Iohannis III. Regis Suec. p. 16 ſq. DALINI Hiſt. Regni Suecani, P. III. T. II. pag. 14 ſq. ARKENHOLZ loc. comm.

* Vid. PROTOCOLLVM Elect. Rudolphi II. loc. comm. p. 44.

** PROTOCOLLVM p. 68 ſq.

*** Vid. REC. IMP. RATISB. de An. 1576. §§. 107-111. in Collect. Nouiſſ. Rec. Imp. T. III. p. 360.

Digitized by Google

Imperium Germanicum de Liuonia recuperanda curam agere deſiiſſe. "Si ad noſtram vſque aetatem, inquit ille, res perducenda ac examinanda eſt, tunc vtique exiſtimamus, quod, quamuis aliquamdiu declarauerit animum retinendi iuris ſui Imperium Romanum, tamen deinceps eum abiecerit. Hodie enim praecipue dicere poſſumus, quod per immemoriale tempus nullam amplius ſignificationem ediderit Germania, — — quod velit aliquid ab iis repetere, vel Liuoniam prouinciam Imperii manere." Sed quae de *immemoriali tempore* diſſerit, vt omnino in tali cauſſa vana ſunt, locum hic tanto minus habent, quanto magis nec inſequenti aetate rerum Liuonicarum immemorem fuiſſe Germaniam, ex hiſtoriarum monimentis adparet. Non ego vtar *Franc. Irenici* teſtimonio, (Colleg. Iur. Publ. P. III. p. 85.) ſuſpectae fidei poſtulato a *Boeclero*, p. 130. Quippe ſuppetunt alia, eaque extra dubitationis aleam poſita. Nam, vt nihil dicam de Comitiis Delectorum, An. MDLXXVII. Francofurti, atque altero poſt Vormatiae celebratis, * ſane Liuonica cauſſa inter Moſcos Suecoſque et Rudolphum II. Imp. tum maxime actitata fuit per litteras: quarum exempla ab talium ſtudioſis legantur in *Ioh. Vuilh. Hofmanni* Collectione Script. inedit. P. I. p. 535-566. Inter haec vero miſſi ab illis Legati, quum acrius inſtarent, Liuoniamque omni iure Imperii exſolui poſtularent; Imperator, vt fit in ſubitis ac magnis, re ad Septemuiros delata, negotium iis dedit, vt prouiderent diligenter, ne quid reſpublica detrimenti caperet. *Si enim iam nihil fortuna poſſet maius praeſtare, ſi tantam tamque praeclaram prouinciam in Imperii poteſtatem non liceret redigere: id certe agendum maximo opere, vt in clientela maneret.* Cetera ad

* ACTA Comit. Auguſt. de An. 1582. apud HOFMANNVM l. c. pag. 279. *Und konnten ſonſten neben dieſem auch nicht underlaſſen, die Stende der Lieflendiſchen Sachen halben mit kurzem ſo viel zu berichten, ob wohl hievon zu Speyer und Regenſpurgk.* auch den volgenden Deputations-Tägen, *auf eine anſehnliche Schickung, ſo in Irer Maj. und des Heyl. Reichs Nahmen ſolcher Provintz halber zum Groſsfurſten in die Moſskow abgefertiget werden ſollen, geſchloſſen.* — Ibid. p. 549. — *Was auch darauf*, auf nechſt gehaltenen beyden Deputations-Tägen, *bedacht worden, Als nemlich, daſs gedachter Königk* (zu Schweden) *des Stettiniſchen Vertrags erinnert und ermahnet werden ſolt.* —

** Litterae Rudolphi II. Imp. ad Principes Electores, perſcriptae Pragae d. 8 Iul.

ad alius temporis opportunitatem ſeponenda. Meliore ſtatu Imperii, meliores quoque tantae rei ſucceſſus ſore. **" Adeo Liuonia etiam tum non pro clientelari tantum prouincia, ſed quae, vt ait Ferdinandus I. in litteris ad Sigiſmundum Auguſtum, Regem Poloniae, ante commemoratis, prorſus eſſet *in obedientia et poteſtate Sacri Imperii*, habita fuit. Atque haec in conuentu Ordinum Auguſtano, An. MDLXXXII. repetita, ſubductiſque rationibus omnibus quantumuis probata, omnino tamen ad auſpicatiora tempora ſunt reiecta. ***

VIII. Circa id tempus autem Magnus Moſcorum Dux, quam tenuerat huc vſque, Liuoniam ceſſit Polonis. Vid. *Reinh. Heidenſteinius*, de bello Moſcouitico, Lib. V. Verum in Germania quanto grauiores, praeter Turcica bella, inteſtini tumultus ingruebant, qui mox late graſſati cuncta miſcuerunt et conturbarunt, hoc magis res Liuonica indies coepit frigere. Adeo vbi quies non ſit domi, parum aut fruſtra in commune conſulitur. Nihilominus tamen Germanos publica iuris ſui profeſſione aliquoties repetita cautum voluiſſe reperio, ne videri poſſent Liuoniae recuperandae vel ſpem vel animum penitus abieciſſe. In quam rem inſignis eſt locus *Tob. Pfanneri*, Hiſt. Comitiorum An. MDCLIII. Ratiſbonae celebratorum, Lib. V. §. 33. p. 658. vbi de Supremo Ordinis Teutonici Magiſtro leguntur haec verba: "Etiam vti ad Pruſſiam Liuoniamque recuperan„dam, iniuſta aliorum poſſeſſione detentam, conſilio, auctoritate, „opibus ſibi adeſſent Proceres, Equites Ordinis Teutonici horum„que Princeps, Leopoldus Guilielmus Auſtrius, petere ſuſtinuit; „non, vti credere par eſt, adſequendi ſpe animoque, ſed vt ne „cauſſam deſeruiſſe videretur, et teſtificando, iuris ſui alienaeque „iniuriae

8 Iul. An. 1579. apud HOFMANNVM l. c. p. 549. — *Haben wir fur nottig geachtet, D. L. wie auch andere dero MitChuſürſten, dieſer Dinge hiemit auch zu berichten, mit dem freundtlichen und gnedigen geſinnen, D. L. wolle der Sachen für ſich ſelbſt nou ferner guthertzigk nachſinnen, und uns Ir wohlmeinend Gutachten, durch was Weg und Mittel ungefehrlich dieſe Ort, wo nicht gar* in des H. Reichs Hand und Subiection *wieder zu bringen, jedoch zum wenigſten* das directum dominium *derſelben, bis zu etwa beſſern Vermögen und Gelegenheit erhalten werden möchte, ohnbeſchwert eröffnen.* —

*** Vid. ACTA in Comitiis Auguſtanis, An. 1582. loc. comm. p. 279. 534 ſq. Conf. Dni a SENKENBERG Collect. Script. inedit. P. II. p. 105.

Digitized by Google

„iniuriae nondum omnem poſuiſſe memoriam, et, vbi caſus ferret, „repetendi animum etiamnum Ordinem retinere.“ Sed magis commemorabile eſt illud, non modo propter ipſam rei ſingularitatem, verum etiam quia vulgo nunc ignoratur, quod paucis annis poſt Electori Brandeburgico, de Imperatoribus, retulit Bartoldus Rautenfelſius, Legatus Polonus. Hunc enim *Puſendorfius* Rer. Brandeb. Lib. V. §. 20. p. 258. narrat dixiſſe: “Per Caeſaris conniuentiam Suecos incumbere tam diu Liuoniae: quae vt Imperio reſtitueretur, Caeſares antea *ſingulis trienniis* proteſtationem interponere ſolitos fuiſſe.“

IX. Enimuero quod ius in Liuoniam Imperatores adhuc, ſi non armis, at verbis certe vindicauerant, id pleriſque in Oliuenſi tandem Pacificatione prorſus neglectum, atque adeo amiſſum eſſe videtur. Qua in opinione tum iam verſabantur ipſi adeo Legati Suecici, maxime quum pacta, ſuper Liuoniae ceſſione ac titulo, etiam a Caeſareis probari viderent ac confirmari. In quo quidem gaudium ſuum gaudet, ac velut triumphat is, qui perſcribendo *Diario Pacificationis Suecico* operam impendit. “Ita Legati Caeſarei, inquit ille, (p. „223.) primi Liuoniae titulum S. R. M. Sueciae, Domino noſtro, „quod felicis ominis eſto! vel inuiti tribuerunt. Bis igitur Roma„num Imperium Liuonia ſe abdicauit, primum quum auxilia verſus „Moſcouitam Crucigeris non ferret; iam quum Imperator ipſe per „Legatos ſuos in ceſſionem, a Polonia Sueciae factam, hoc modo „conſentiat.“ Sic igitur periiſſe Imperio ſuum in Liuoniam ius, inter complures alios *Boeclerus* quoque l. c. p. 130. eſt ratus. “In „diuiſione enim Liuoniae, inquit, de qua inter Sueciae et Poloniae „Reges conuentum in Inſtr. dictae Pacis, Caeſar circa ſupremum do„minium Imperii nihil reſeruauit, nulla tamen, vt diſſimularet, ne„ceſſitate coactus. Ac licet in iſtis tractatibus magis quatenus Ar„chidux Auſtriae, quam tanquam Imperator, contraxiſſe dici queat: „tamen et Domum ſuam non negligere, et iuribus Imperii proſpice„re potuiſſet.“ At primum neque Leopoldus Imp. laudatiſſimus Princeps, tam erat rerum incurioſus Imperii, neque eius Legati, praecipue Inſulanus ille, (*Liſola*) vir prudentiae alacritatisque maximae, adeo in vtramque dormitabant, vt, quam rem agere potuiſſent ac debuiſſent, eius curam ac cogitationem omnem abiectam habe-

Digitized by Google

haberent. Ego itaque aliter ſtatuo, ac ius Imperii ne licuiſſe quidem iis tum perſequi contendo. Nam in Reſponſo, ad Propoſitiones Legationis Caeſareae, quod tum in *Diario Europ.* P. VIII. App. p. 44. tum alibi legitur, poſtulauerant Sueci, vt ne Pacis tractatibus *heterogenea*, id eſt, Imperii res, immiſcerentur, hiſque ac talibus laeti ſucceſſus velut obice poſito impedirentur. Conf. *Paſtorii* Diarium, p. 107. 109 ſq. Immo Caeſareis ipſis e re viſum, quae ad bellum, inter Suecos et Polonos huc vſque geſtum, non pertinerent, ea tamquam *alienas diſſitaſque materias*, (vtar enim ipſo illorum vocabulo,) nec ad pacis negotium iam ſic plenum moleſtiarum, ac difficultatibus multis et variis velut circumſeptum, trahi. Vid. Reſponſum Legat. Caeſ. ad Propoſitiones Legat. Suec. in *Diario Europ.* l. c. p. 56. Adeo Germania vniuerſa, vixdum eluctata ex acerrimi belli tempeſtatibus, anſam nouarum contentionum dare fugiebat; adeo renuerat ferre aduerſus Suecos vel Polonis, vel Electori Brandeburgico, auxilium. Polonos quidem irriſui fuiſſe, quum a Suecis Vueſtphalicam Pacem, cui Polonia incluſa eſſet, violatam arguerent, Brandeburgicus ipſe teſtatur, apud *Pufendorſium*, l. c. Lib. VIII. §. 52. p. 507. Alio item loco, (Lib. VII. §. 46. p. 429.) "Omnes Ordines „ita pacis cupidos fuiſſe, vt nullo habito iuſtitiae reſpectu, aut quo „fine arma ſumta ſint, illum inuaſuri viderentur, a quo initium belli „profectum ſit." His diligenter expenſis, quis non exiſtimet, Oliuae cauſſam Liuonicam et neceſſario diſſimulandam, et citra vllum Imperii intertrimentum diſſimulatam a Leopoldo fuiſſe? "Poteſt enim, „inquit *Strauchius*, Inſtit. Iur. Publ. Lib. I. Tit. 20. p. 104. Ratio „Status exigere, vt ſciens quis diſſimulet iacturam, ne maius malum „ſibi adcumulet, aut eidem periculo reliquas adhuc intactas partes „inuoluat; et interim animum recuperandi nihilominius retineat." Conf. *Boeclerus* l. c. p. 126.

X. Itaque Imperium ne tum quidem ius in Liuoniam ſuum vel amiſit, vel ſic habuit pro amiſſo, vt non ſubinde id tamquam in lucem ac conſpectum hominum produceret. Satis conſtat, inprimis Teutonicum Ordinem noſtra etiam aetate aliquoties poſtulata ſua ſcriptis publicis renouaſſe: ſemel, poſt exſtinctam anno huius ſeculi ſeptimo et triceſimo ſtirpem Kettleriam; iterum, ante hos paucos

 annos

annos, nouo Curoniae Duce conſtituto, CAROLO, eximio Principe, Saxonicae Domus fulgentiſſimo ornamento. Vid. Succincta Demonſtratio priſci et indubitati iuris, quod in Liuoniam Curoniamque Ordini Equitum Teutonicorum, ac S. R. Imperio competit, * in *Ant. Fabri* Noua Collect. Act. Publ. l. c. p. 73-107. Conf. Commentar. de rebus Imperii, (*Reichs-Fama*) P. XXXIII. p. 432 ſq. Imperium autem et ipſum quin etiamnum reſpiciat Liuoniam, priſcam illam prouinciam ſuam, et *inſigne membrum Sacri Rom. Imperii*, ** equidem haud dubitauerim. Quippe conſilium aliquando fuiſſe comperimus, vt pariter ea ac Pruſſia Capitulationis Caeſareae Art. X. inter recuperandas prouincias, ab Imperio diuulſas, diſerte nominaretur. Quod etſi tum perſequi haud licuit: vel ipſam tamen vniuerſalem clauſulam eo etiam protendi, viri docti opinantur. ***

Mihi vero haec nunc ediſſertaſſe ſuffecerit: qui ſi non potui per ingenii tenuitatem iudicibus eruditis placere, obſequutus tamen ſum genio meo, qui mihi ſtudium iuuandae hiſtoriarum ac Iuris Publ. Germanici doctrinae inſtillauit.

XV. *Con-*

* *Kurze Deduction des Ritterlichen Teutſchen Ordens und des Heiligen Römiſchen Reichs auf Liefland und Curland, auch Semigallien hergebrachter, und annoch unwiderſprechlich competirender Iurium.*

** Ita vocatur in Ferdinandi I. Imp. litteris, ad Sigiſmundum Auguſtum, Regem Poloniae, l. c. p. 102.

*** HECT. IOH. MITHOBII Diſſ. de controuerſiis Sueco-Polonicis, ſ. de iure,

XV

Contentio
Sueciae ac Poloniae ſuper Liuonia, ante Pacificationem Oliuenſem.

Igitur illuſtrato Imperii priſco in Liuoniam iure, proximum eſt, idque rei, quam explanandam ſuſcepimus, adprime conueniens, vt tot ſuper Liuonia contentiones, inter Sueciae ac Poloniae Reges agitatae etiam ante Pacificationem Oliuenſem, ſic exponantur opera noſtra, vt ab talium curioſis vno poſſint quaſi obtutu conſpici ac cognoſci. Non eſt autem conſilium mihi, verſanti in hac tali re, extra oleas, quod aiunt, vagari, atque hoc quidem loco dicere

— *Acies, actoſque animis in funera Reges.*

Id agam potius, vt quae compluribus tractatibus varie diſceptata ſunt, ea omnia intra ſcriptionis huius veluti cancellos contraham, et pro inſtituti ratione ediſſeram. Quod meum inſtitutum longe eſſe adparet alienum ab eo, quod in Diſſ. de controuerſiis Sueco-Polonicis proſequutus eſt is, qui ſe, mutato nomine, *Hectorem Ioh. Mithobium* adpellauit. ***

II. Itaque, vt hinc ordiamur, ſunt, qui Liuoniam imperio Suecorum iam ſeculo, poſt Chriſtum natum, nono fuiſſe ſubiectam tradant, auctore inprimis *Remberto*, in Vita S. Anſcharii, c. 27. (edit. Holm. 1677. 4.) p. 108 ſq. "Gens, inquit ille, ab eis longe poſi„ta, vocata *Chori*, Sueonum principatui olim ſubiecta fuerat: ſed „iam tunc diu erat, quod rebellando ei ſubiici dedignabantur. — — „Quod audiens - Rex *Oleph* (Olaus II.) populuſque Sueonum, vo„lentes ſibi nomen adquirere, —. et quia ſibi etiam antea ſubiecti „fuerant, innumerabili congregato exercitu illas adierunt partes."

 Ergo

iure, quod in Sueciam Regi, ad Liuoniam Regno Poloniae nullum competit, Diſſertatio: edita eſt primum ſ. l. An. 1652. 4. recuſa Helmſtadii, 1656. et in CONRINGII Opp. T. V. p. 1060 ſqq. Hunc et verum eius auctorem eſſe, putat VITTENIVS in Diario Biogr. ſed dubitat, non praeter rem, PLACCIVS de Scriptoribus Pſeudonymis, pag. 447.

Ergo quae ille de Choris, (quos nunc eſſe Curonos quis non videt?) memoriae prodidit, omnino ad Liuonos pertinere viri docti opinantur. Neque ego poſt *Rembertum* alios, quos dudum laudauit *Olaus Hermelinus*,* in Veritate a calumniis vindicata, (*Actor. Liuon.* Faſc. III. p. 128 ſq.) in teſtimonium aduocabo. Id autem imperium, armis victricibus ab Olao II. Sueciae Rege firmatum, diu ſtetiſſe aiunt, donec Liuoni, per inteſtinas Suecorum diſſenſiones exuto obſequio, mox in Imperii Germanici ius poteſtatemque conceſſerint. Sed quae deinceps bellis Moſcicis noua inſequuta eſt rerum conuerſio, ea et Suecis rurſus nouam obiecit ſpem atque occaſionem recipiendae Liuoniae, diuerſis animorum ſtudiis vehementer diſtractae, atque ab hoſte immaniſſimo miſerum in modum laceratae. Quin etiam Imperatores ipſi Liuoniam, illo eius tempore, Suecorum tutelae commendarunt. Itaque horum ſingulari virtute inprimis Eſtonia, cum Reualia vrbe, aduerſus Moſcos defenſa eſt. Quo defenſionis titulo vſos poſtea Suecos ius in Liuoniam ſibi poſtulaſſe, ſatis conſtat. Non fuerit ſuperuacaneum, in hanc ſententiam pauca ex *Informatione Suecica, circa Liuoniam*,** huc transferre. "Quum contra Moſcum ab Imperio auxilia fruſtra flagitaſſent Liuoni, Carolus Quintus „An. MDLVI. vniuerſae Prouinciae protectionem detulit Regibus et „Regno Sueciae, prout pacta Gandaui concluſa, et in *Archiuis Regni* „adſeruata perhibent: quae ſubſequentibus deinde annis a Ferdinan„do I. et Maximiliano II. repetita fuerunt. Atque inde primum Re„ualia, Padies, Borckholm, ac deinceps tota Eſtonia, quae Magi„ſtro Liuoniae iuramentum fidelitatis praeſtitum renunciauit, ac Regi „Sue-

* Is enim eſt profecto, vt me olim Ampliſſ. STIERNMANVS per litteras docuit, verus auctor ſcriptionis cum iſtius, tum alterius haud diſſimilis, *Examen cauſſarum, quas copiarum Saxonicarum dux improuiſae in Liuoniam irruptioni praetexere voluit.* Conſtituerat idem ille HERMELINVS ſingularem librum, *de antiquo Suionum in Liuonia imperio*, perſcribere. Vid. ACTA LIVON. l. c. p. 130. Sed id ei per fatorum inuidiam haud licuit.

** In DIARIO EVROP. l. c. p. 47 ſq. Eſſe autem illam perſcriptam in Oliuenſi Pacificatione abs Guldenclouio, Legato Suecico, ſupra oſtendimus, Obſ. VIII. p. 287.

*** CLAVD. ARRHENIVS in Vita Ponti de la Gardie, p. 92. *Dum opera Polonorum Lithuanorumque, huc illucque itantium, inter diſſidentes reſtauratur breui duratura concordia, mire illis placuit ſolum Liuoniae, Curlandiae Semi-*

Digitized by Google

„Sueciae, armis a Moſcorum inuaſione et tyrannide liberata et vindicata, redigitur.“ Conf. *Mithobii* Diſſ. cap. 2.

III. Inter haec vero Poloni, ipſis a Liuonis primum ad diſcordias ciuiles ſopiendas, *** mox contra Moſcos aduocati, poſtquam partem Liuoniae magnam in ditionem poteſtatemque ſuam acceperant, vt et reliqua illi accederet, ac diuulſa prouinciae membra in vnum quaſi corpus redirent, operam dabant. Cum Moſcis quidem res, vt ante diximus, compoſita eſt anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſecundo et octogeſimo, pace ad Zapoliam **** inita. Vid. *Heidenſteinius*, l. c. *Marc. Bielſcii* Chron. Pol. p. 778 ſq. *Claudii Arrhenii* Vita Ponti de la Gardie, p. 168-182. Enimuero cum Suecis acrius ac diutius diſceptatum. Ab his primum Stephanus, Poloniae Rex, Reualiam vrbem certis ſibi conditionibus tradi voluit: ***** dein, compoſito bello Moſcico, Eſtoniam omnino omnem, quaſi inique a Liuonia diuulſam, repetiit. Lubet de hac re verba adiicere *Arrhenii*, ex Vita Ponti de la Gardie, p. 183. "Rex Stephanus hoc „anno (octogeſimo ſecundo) de Sueci in ſe, Liuonia occupata, iniuriis expoſtulatum miſit Legati titulo primum culinae ſuae Magiſtrum, Dominicum Alemanni, Italum, dein haud multo poſt Chriſtophorum Varſeuicium; quorum illum, pro muneris exilitate, velut in ſui contumeliam miſſum, hunc pro legitimo Legato habuit „Rex Sueciae. — — Horum vtrique dederat in mandatis, vt a Iohanne Rege repoſcerent, quae — — ceperat in Liuonia: quum „praeter ea, quae antehac ſui illic iuris fuerant, Moſcus recenti ad „Zapolchiam pace, occupata olim a ſe omnia nunc ceſſerit. Belli „quoque

Semigalliaeque, atque ita adriſit, vt omni arte ſtudioque inde quaeſiuerint earum poſſeſſionem corpori Reipublicae Polonae adiungere, atque in eum finem vltro tuitionem aduerſus Ruſſos alioſque inimicos obtulerint. Ea de re illuſtris eſt locus celebris cuiuſdam eo tempore Stemmatographi, in haec verba: „Sunt „hac occaſione (reficiendae amicitiae) Poloni et Lithuani primum in Liuoniam „adtracti, et illecti, vt poſtea eius patrocinium in ſe ſuſciperent.“

**** Pagus Moſcicus, viginti Pleſcouia milliaribus diſtans.

***** LOCCENIVS Hiſt. Suec. Lib. VII. p. 393. *Ex Polonia Legatus, a Rege Poloniae, Stephano Bathorio, Iohannes Herbrotus de Fulzin aduenit Holmiam, renouatum amicitiam et ſocietatem cum Rege, et deſideratum, Reualiam a Suecia Poloniae ex certa conuentione permittendam in portum et ſtationem nauium Polonicarum, ad prohibendum Ruſſo commeatum in oppidum Naruam.* —

Digitized by Google

„quoque inter ipſos, in Moſcum, ſocietas non in alium trahenda „ſenſum, quam vt Liuonia ſibi in praemium victoriae eſſet ceſſura; „quidquid autem vltra Naruam Moſcus hereditario antiquo iure poſſi-„deret, armis pateret Sueonum. Et ſi non amori in adfinem Re-„gem tributurus eſſet Iohannes, ſaltem daret id aequitati, vt, reddi-„tis a Stephano belli impenſis, capta per Liuoniam omnia, Nar-„uam quoque in Ingria, ipſi traderet, ne qua difficultatum offenſa-„rumque cauſſa naſceretur inter ipſos, quos tam propinqua neceſſi-„tudo ſuaderet viuere quam coniunctiſſimos." Conf. *Ioh. Loccenius* Hiſt. Suec. Lib. VII. p. 400. Quibus poſtulatis Iohannes, Sueciae Rex, vehementer exaſperatus, negauit ſe illis aut poſſe, aut velle concedere. In hanc ſententiam dedit et Legatis ſuis mandata, An. MDLXXXV. Pernauiam miſſis, ad res cum Polonis componendas: * nec ab illa vmquam ne latum quidem vnguem, quod aiunt, ſe dimoueri eſt paſſus. Adeo Liuóniam ſeruari maluit Sueciae, quam cum Liuoniae iactura Sigiſmundum filium a Polonis Regem creari.

IV. Itaque poſt Stephani Battorei obitum, ** quum in Polonia ageretur ſuper electione Sigiſmundi, non modo filium hunc ſuum, ne quid rationibus Regni auiti, in quod natus educatuſque eſſet, aduerſum adnueret, monuit, *** verum etiam Polonis ipſis, eiuſmodi ſe conditionibus numquam adſenſurum, eſt profeſſus. Sed ipſum audiamus, quaſi verba praeeuntem Legatis, quos in Poloniam erat miſſurus. **** "Si Potentiſſima Poloniae Regina (Stephani Regis vidua, „Sigiſmundi matertera) adfirmauerit, hanc actionem eiuſmodi con-„ditionibus tranſigendam, videlicet filio noſtro nihil a Polonis propo-„ſitum iri, quod Regiae ſuae familiae ſit indecens, aut iuſtitiae, Re-„nique Sueciae dignitati et emolumento contrarium: protinus S. D. „Legati inſinuabunt, nos omnem iuriſdictionem, quam debitorum „quorumcumque nomine habemus apud Polonos, filio noſtro tradi-„turos, illique permiſſuros pro beneplacito ſuo in ea procedere. — — „Verum

* Vid. Mandata Iohannis III. Regis, apud ARRHENIVM p. 209. Conf. AEGGIRS loc. comm. p. 102 ſq.

** An. 1586.

*** Vid. *Exegeſis hiſtorica cauſſarum,* quibus Ordines R. S. Sigiſmundum III. Suecano exuerunt diademate, (edit. Holm. 1619. 4.) p. 53.

**** Vid. Inſtructio Legatorum Suec. in *Exegeſi cauſſarum*, - p. 55 ſq.

Digitized by Google

„Verum ſi Regina animaduerterit, Polonos ſententiam et animos mu„taſſe, aut alio modo filium noſtrum in Regem poſtulare, ideoque „intolerabiles conditiones proponere, aut hanc actionem duntaxat „*propter munera et feuda maxima* tranſigere velle, in perniciem atque „detrimentum Regni noſtri: mox Legati noſtri Illuſtriſſimae Reginae „manifeſtabunt, nos ex hac parte nihil prorſus facturos, neque velle, „vt noſter filius peregrinum acceptet Regnum, cum Patriae ſuae per„nicie et detrimento.“ Atqui decreta eſt tamen eius electio, cum aliis grauiſſimis legibus, tum etiam hac, vt loca in Liuonia ab Suecis occupata Rex nouus ei parti, quae in Reipublicae Polonae eſſet poteſtate, adiungeret. Sic enim habet Pactorum Regiorum carmen, in *Vol. Conſtit. Regni*, p. 436. et in *Exegeſi hiſtorica cauſſarum*, — p. 60. “Item illam Liuoniae portionem, quam Sereniſſimus Rex „Sueciae pro tempore occupat, tenebitur Rex electus incorporare et „adiungere parti, ad Regnum Poloniae et Lithuaniae ſpectanti.“ Conf. *Heidenſtenii* Hiſt. Rer. Pol. p. 259. *Ioh. Demetr. Sulicouii* Comment. de Rebus Pol. p. 193. *Ioh. Loccenii* Hiſt. Suec. p. 405. Quae res, dici non poteſt, quantum querelarum in Suecia, quantum moleſtiae, quantum etiam diſcordiae ac rixarum inter Sigiſmundum ac Poloniae Primores, exciuerit. Inter quos eo vſque progreſſum eſt certamen, vt, quemadmodum ait *Paſtorius* in Floro Polonico, Lib. V. p. 320. ipſa Sigiſmundi electio prope irrita redderetur, irritamque ſe hanc malle diceret Sigiſmundus, quam Regnum tali lege ſuſceptum tenere. * Et obnitebatur multo maxime Iohannes Rex, inter alia praetexens etiam hoc, non eſſe integrum ſibi cedere Liuonia, ab Caeſaribus quippe fidei tutelaeque ſuae (*Andr. Olſzouius* ** ait Commendae iure,) commiſſa atque concredita. Tandem negotium hoc totum ſepoſitum in id tempus fuit, quo Sigiſmundus, rerum aliquando in Suecia poſt patrem potitus, de Liuonia quoque liberius poſſet ſtatuere. v. *Ion. Vueruingius*, Hiſt. Sigiſmundi III. et Caroli

* Conf. IOH. SCHEFFERI Lib. memorabilium Sueticae gentis exemplorum, p. 86 ſq.

** In Cenſura Candidatorum Sceptri Polonici: — *Promiſſa inter conditiones de eligendo filio Eſtonia, non erubuit denegare eam prouinciam, cauſſarique a Carolo V. et Maximiliano II. Comitiis Imperialibus* Commendae iure *ſibi commiſſam.*

roli IX. (Holm. 1746. 4.) p. 70 ſq. *Paul. Piaſecius*, in Chronicis, p. 76. 79. *Dau. Chytraeus*, Saxoniae Lib. XXVIII. p. 786 ſq. aliique, ab me ante laudati. Nec ſpem quidem Polonorum, Iohanne vita functo, prorſus fruſtratus eſt. Etenim inteſtinis tumultibus in Suecia agitatus, Eſtoniam in Comitiis Varſauiae habitis An. MDC. permiſit Polonis, vt hac eos veluti eſca ad opem, ſibi aduerſus Suecos ferendam, illiceret. Quod, quum ſupra omiſimus dicere, * ſilentio nunc praetereundum non erat, Annalibus fere incognitum, at liquido teſtatum litteris ipſius Sigiſmundi, eam in rem perſcriptis, ac nuper prolatis a *Dogiele*, loc. comm. p. 350 ſq. Ex his, quamquam dignae ſunt, quae legantur totae, praecipua tantum verba hoc loco ſubiiciam. — "Significamus praeſentibus Literis noſtris, quorum in- „tereſt, vniuerſis et ſingulis. Quia cum identidem ab Ordinibus „Regni et Magni Ducatus Lituaniae de Liuoniae parte, quae Eſtonia „dicitur, Regno Poloniae Magnoque Ducatui Lituaniae reinuiſceran- „da, et reincorporanda appellati fuiſſemus, Nos huic poſtulationi „tanquam iuſtae, et Pactis Conuentis conſentaneae annuentes, in „Nomine Omnipotentis Dei, Sanctae Indiuiduae Trinitatis, ſupra „nominatam Liuoniae partem, Eſtoniam vulgo dictam, nominatim „vero Caſtrum et Vrbem *Reualiam*, Caſtrum et Oppidum *Naruam*, „Caſtrum *Vaiſtein*, Caſtrum *Veſemberg* cum deſerto *Tholſberg*, Ca- „ſtrum *Hapſel* cum Oppido, et ſimiliter cum deſerto *Leal*, atque Ca- „ſtro *Lod*, Monaſterium quoque *Padis*, caeteriſque vniuerſis, qui- „buſcunque nominibus nuncupatis Caſtris et Oppidis, Inſulis, Por- „tubus, — — ad reliquum corpus Liuoniae, tanquam membrum „ſui priſtini et proprii Corporis, reinuiſceramus, ac incorporamus, „dominioque, proprietati, et imperio noſtro, et Succeſſorum no- „ſtrorum Regum Poloniae, ac Regni noſtri Poloniae, ac Magni Du- „catus Lituaniae, auctoritate praeſentium Literarum noſtrarum, „omni meliore forma, via ac modo, quo id de iure fieri debet, aut „poteſt, ſubiicimus, vnimus, perpetuiſque temporibus et in aeuum „deducimus, appropriamus, reinuiſceramus, reincorporamuſque. „Pro-

* Ad PASTORII, Diarium Act. Pac. Oliuenſ. T. I. p. 119. n.*** Fuerat autem *Codicis Pol. Dipl. Tomus V.* eo tempore nondum ad nos perlatus.

Digitized by Google

„Promittentes noſtro, Succeſſorúmque noſtrorum nomine, verbo „noſtro Regis, nunquam nos vel Succeſſores noſtros ſupra nomina-„tam Eſtoniam, vel partem aliquam eius, a commemorato Regno „Poloniae, ac Magno Ducatu Lituaniae noſtro, quacunque etiam „cauſa, arte, colore, ingenio, neceſſitate aut opportunitate repeti-„turos, abſtracturos, ſeparaturos, aut alienaturos, a quoquam abſ-„trahi, ſeparari, aut alienari rurſum paſſuros. — — Quae omnia „ſupraſcripta, quo maius perpetuae atque inuiolabilis firmitudinis ro-„bur habeant, praeſentes manu noſtra ſubſcripſimus, Sigilliſque Re-„gni Poloniae et Magni Ducatus Lituaniae, ac Regni noſtri Haere-„ditarii Sueciae obſignari mandauimus. Datum Varſauiae in Comi-„tiis Generalibus Regni, die duodecimo Menſis Martii, Anno Dni „milleſimo ſexcenteſimo." —

V. Ab hoc tempore Liuonia omnis diu multumque vaſtata ac cruentata eſt diris bellis, inter cognatos Reges eoſque fortiſſimos, vario Marte geſtis. Quae ſi ego longa oratione proſequi inſtituerem, foret hoc meum ſtudium non modo a conſilio noſtro alienum, ſed omnino in iſta ſcriptorum idoneorum copia ſuperuacaneum. In quibus fuerunt, qui de illis data opera exponerent. Vid. Deſcriptio rerum, inter Regnum Poloniae et Sueciae, occaſione Liuonicae inuaſionis a Carolo factae, geſtarum, (ſ. l. 1602. 4.) *Fouleri* Hiſtoria belli Sueco-Polonici, (*The Hiſtory of the Troubles of Suethland and Poland*) Lond. 1656. f. Nos vero ad propoſitum reuertamur.

VI. Iam primum itaque An. MDCII. a Suecis tractatus de pace tentati ſunt, nullo quidem ſucceſſu. Vid. *Exegeſis hiſt. cauſſarum*, — p. 483 ſq. Neque poſtea illi, ad Liuonicam cauſſam, tamquam ad ſcopulum, illiſi, magis proſpere proceſſerunt. * Propoſuerant Sigiſmundo An. MDCXXIV. vt auctor eſt *Piaſecius*, l. c. p. 439. ipſi adeo Primores Lithuani ſuggeſtas ſibi a Guſtaui Adolphi, Regis Suecorum, familiaribus conditiones pacis praecipue has: "Vt, reſtitu-„ta Regno Poloniae Liuonia, vniuerſam Eſtoniam et Finlandiam cum „ſpe ſucceſſionis in Regno Sueciae, ſi Guſtauus decederet ſine prole

 „maſcu-

* Conf. *Vindiciae Liuonicae*, in Actis Pac. Oliuenſ. Publ. T. I. No. XXXII. p. 65. item PASTORII Diarium, loc. cit. pag. 121. n. ***

„maſcula, vnus ex filiis Sigiſmundi Regis haberet; titulo quoque „Regis Sueciae Rex Sigiſmundus vteretur, dummodo Guſtauus cum „eodem titulo Regnum Suecicum ſecure teneret." At longe alia illi mens erat. Quippe Eſtoniam, Sueciam, tam pertinaci ſtudio repetebat, vt habitis in Pruſſia tribus de pace congreſſibus, viceſimo ſexto ac duobus proximis annis, nihil in commune conſuli ac decerni poſſet; fruſtra componendis rebus diligentiſſime operam dante inprimis Azelio Oxenſtierna, primario Regis Sueciae Adminiſtro et Legato. Hunc accepimus Commentarios quoque, de his tractatibus, valde bonos ac diligentes perſcripſiſſe: * quibus nondum in lucem prolatis, adeundi ſunt *Loccenius*, Lib. VIII. p. 554. ac *Lengnichius*, Hiſt. Pruſſ. P. V. p. 190 ſqq. Tandem anno vndetriceſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum induciis ſexennibus initis, pro neceſſitate temporis potius, quam ex Sigiſmundi ſententia conſtitutum, vt quae in Liuonia Sueci occupaſſent, ea omnia hoc induciarum tempore haberent ac poſſiderent. Vid. Formula pactionis, Art. IV. apud *Lengnichium* l. c. App. p. 163 ſq. Quod quidem ei, teſte *Piaſecio*, p. 487. adeo iniucundum ac graue viſum eſt, vt non niſi aegre fortunae, rerum dominae, cederet, pactionemque in Comitiis probaret.

VII. Exierant fere induciae, quum in conuentu Stumdorfiano, quem ſaepe memorauimus, recrudeſceret ſuper Liuonica cauſſa contentio, ac multo acrius, quam ante, agitaretur. Nam ne Eſtoniae quidem titulum, Chriſtinae Reginae in Legatorum ſuorum Procuratorio adſcriptum, Poloni concoquere poterant: eſſe enim eam prouinciam Reipublicae olim a Chriſtinae maioribus, Regibus Sueciae, conceſſam. ** Itaque hanc pariter ac cetera in Liuonia loca, ab Suecis occupata, tandem aliquando reddi ac reſtitui ſibi poſtulabant, inſtabantque ſtudio tanto, vt pacem negarent niſi his talibus conditionibus coalituram. Quippe ab illis inter praecipuas pacis leges

* *Azelii Oxenſtiernae* Hiſtorica Relatio rerum An. 1625. et ſequenti geſtarum, inter Regna Sueciae et Poloniae: — Breuis et ſuccincta Delineatio eorum, quae inter Reges ac Regna Sueciae et Poloniae, inprimis circa Pacis negotium, acta ſunt: — Diarium, vel Protocollum Actorum, ſub inſtituto cum Polonis Pacis tractatu, a die 1. Ianuar. ad d. 14. Mart. An. 1628. continuatum: — memorantur a Cel. STIERMANO in Bibl. Suio-Goth. P. II. p. 42.

** PVFENDORFIVS Rer. Suec. Lib. VII. §. 129. pag. 228. *Proferebant*

ges hoc maxime iactatum: "Vt reſtituerentur Polonis duae prouin„ciae, *Liuonia* et Pruſſia, *et inſuper Eſtonia*, quae ex pactis cum Re„ge Iohanne, Sigiſmundi patre, factis, Polonis tribui debebat." Vid. *Ogerii* Ephem. p. 280. *** Sed vero Sueci, quamquam a reſtitutione Pruſſiae non ita auerſi, tamen a Liuonia reddenda, mirum quantum, abhorrebant. Adeo eam ne immani quidem pretio redimi paſſi ſunt: quod vt fieret, adniſus inprimis erat Auauxius Comes, Legatus Gallus. De quo commemorat *Ogerius*, p. 284. his verbis: "Legatus noſter quum hortaretur Suecos, vt ad pacem ineundam „faciliores ſe praeberent, illique ſe iam toties ſententiam explicaſſe „dicerent, neque Liuoniam ſe reſtituere poſſe adfirmarent: Sit iſtud „ergo fixum, inquit: ne reſtituite nobis Liuoniam, quandoquidem „tanto ſanguine, tantiſque ſumtibus illam comparaſtis, ibique con„ſtituiſtis reditus veſtros: at vendite nobis illam, pecuniamque aliis „vſibus veſtris tam publicis quam priuatis collocate. Numquid iſtud „et pacis perpetuae, et Mediatorum Regum, gratia facere poteſtis? „Quum ſtatim reſpondere vellent; Ne properate, inquit Legatus, „nobis reſponſum dare: ſcribite ad Ordines Sueciae: qui vobis re„ſtituere vetuerunt, non vtique vetuerunt vendere. Quum perſe„uerarent in ſua ſententia, dicerentque Ordines non ita commode „conuocari poſſe, rediit in commune tentorium Legatus." Conf. *Puſendorfius* Rer. Suec. Lib. VII. §. 132. p. 230. His et talibus incaſſum actis, Vladiſlaus IV. Poloniae Rex, ad ſopiendam Liuonicam cauſſam, (neque enim de ceteris dicere nunc adtinet,) hoc tantum voluit ſibi concedi, vt prorogatis induciis, quemadmodum eſt apud laudatum *Ogerium*, p. 322. "vel arx, vel vrbs, vel inſula „aliqua in Liuonia ſibi relinqueretur; vnde fides Liuonibus fieret, „Regem Poloniae illorum recuperandorum ſpem non abieciſſe." Contra vero Succi, quantum in iis erat, ſpem eam omnem incidere,

 neque

bant etiam aliquot vitia in Suecico Procuratorio: velut quod titulus deſignatae Reginae *eſſet nouus: quod Chriſtina* Eſtoniae *titulum ſibi tribuat, quum Sigiſmundus eam prouinciam Poloniae donauerit.* Conf. FOVLERI Hiſt. Pacific. Sueco-Pol. p. 146. 154. Apud OGERIVM loc. comm. Eſtoniam Poloni ſibi ex pactis poſtulant, cum Iohanne Rege, Sigiſmundi patre, initis: de quibus ſupra dixi, §. III. De Sigiſmundi donatione vid. §. IV.

*** Conf. FOVLERVS loc. comm. pag. 158. 166.

neque induciis, in ſex et viginti annos prouehendis, adſtipulari, niſi quae in Liuonia huc vſque tenuiſſent, etiam inpoſterum ipſis ſarta tecta eſſent. Itaque poſt diuturnas ac graues concertationes, tandem conuentum eſt Induciis Stumdorfienſibus, Art. VI. apud *Ogerium*, p. 390. * "Vt in Liuonia vtraque pars, vti praeteritis ſexennalibus „Induciis poſſedit, ita hiſce quoque poſſideret." In iiſdem lis, ſuper ſacris Liuoniae Ro. Catholicis, compoſita fuit. De qua quoniam alio nobis loco ex inſtituto diſſerendum eſt, nunc id tacitum praeteruehamus. Et omnino Liuonicas res, actitatas Stumdorfii, preſſius in hac tanta feſtinatione commemorauimus: quas operae pretium fuerit, ex *Ogerio*, *Foulero*, *Pufendorfio*, praeſtantiſſimis ſcriptoribus, plenius atque adcuratius cognoſcere.

VIII. At enimuero Poloni quanto maiore flagrabant cupidine recipiendae Liuoniae, tanto minus quidquam, quod ad eam rem faceret, intentatum omittebant. Miſſi itaque An. MDCXLVI. ab Rege Vladiſlao Legati ad Vueſtphalicam Pacificationem, vt in hoc velut ampliſſimo theatro deſiderium pacis, etiam inter Polonos ac Suecos perficiendae, oſtentantes, praeter cetera cauſſam Liuonicam agerent, atque ad exitum optatum perducerent. Sed illo quidem tunc caruit hoc quoque conſilium. "Incipiebant circa id tempus, inquit *Pufen*„*dorfius* l. c. Lib. XVIII. §. 156. p. 687. ** Polonici Miniſtri, *Ron*„*calio* et *Cracouius*, diſſerere, vt controuerſia ſui Regis, cum Suecis, „his tractatibus componeretur: — — confirmantes, a Rege ſuo „pacem aeternam adſectari, ipſumque omni iure in Succiam ceſſu„rum, modo parte *Liuoniae* aut Pomeraniae pro ſua Domo potiatur." Neque ab hoc propoſito Iohannes Caſimirus, ad quem Vladiſlao fratre demortuo delatum fuerat Regnum, alienus videbatur. Etenim Chri-

* Conf. LONDORPII Acta Publ. T. IV. pag. 480 ſq. DV MONT Corps Dipl. T. VI. P. I. p. 115. LENGNICHII Hiſt. Pruſſ. Tom. VI. inter *Documenta*, pag. 42.

** Locum integrum dedi ſupra, Act. Pac. Oliuenſ. T. I. Obſ. III. p. 222. vbi et de *Roncalio* et *Cracouio* quaedam dixi, not. *

*** PVFENDORFIVS l. c. §. 20. p. 1006. *Pro Republica poſtularent reſtitutionem totius Liuoniae, cum fructibus hactenus perceptis, vna cum Eſtonia et annexis illi diſtrictibus, tamquam Liuoniae membro.* Conf. §. 33. p. 1012. item RVDAVSCIVS Hiſt. Pol. Lib. III. p. 70.

**** Vid. PVFENDORFIVS §. 33.

Chriſtinae, Reginae Suecorum, An. MDCL. per Fiſcherum Ablegatum proponi iuſſerat, vt, quemadmodum verba habent apud *Pufendorſium*, Lib. XXIII. §. 19. p. 1004. "pro plena abdicatione iuris, in „Regnum Sueciae, ſibi *Liuonia*, vel Pomerania, vel alia prouincia „Suecicae ditionis cederet, vel diſtrictus Torpatenſis in perpetuum, „vel *Liuonia iure feudi*, vel inſignis argenti ſumma traderetur, aut foe„dus ſuper certo auxilii modo ad occupandas aliquas terras iniretur, „quarum prouentu Rex *loco Liuoniae* frui poſſet." Quae res, vtrimque tum negligentius acta, haud multo poſt in Lubecenſi congreſſu, ſubiectis velut nouis igniculis, vehementer incaluit.

IX. In illo cauſſa Liuonica An. MDCLI. Suecos inter atque Polonos agitata eſt ſtudiis tam contrariis, vt citius mare caelo, quam iſta inter ſe, conciliari et coniungi poſſe viderentur. Nam de Liuonia et tractu Torpatenſi, vel iure perpetuo vel clientelari concedendis, tantum aberat, vt Sueci Polonis adnuerent, vt potius in conditionibus pacis primariis iactarent, a Rege et Republica Polona Reginae ac Regno Sueciae Liuoniam integram eſſe permittendam. Vid. *Pufendorſius* l. c. §. 19. et 20. p. 1005 ſq. At vero Poloni rurſus, vt fit, adpetebant immodica; non tantum reſtitutionem Liuoniae vniuerſae, ſed etiam fructus inde copioſiſſime perceptos. °°° "Nemi„nem enim, dicebat Leſcinius, Legationis Polonae princeps, °°°° „in orbe terrarum melius ius ad Liuoniam habere, quam Polonos. „In promtu eſſe commendationes Caeſarum, ceſſiones Crucifero„rum, agnitionem ipſorum Suecorum, qui numquam ante Sigiſmun„di bellum vel verbo eius poſſeſſionem impugnarint." Haud deerant Suecicis Legatis, quae reponerent. °°°°° Quippe neceſſitate compulſos Suecos arma in Liuoniam tranſtuliſſe, quod ſe Poloni litibus immi-

***** PVFENDORFIVS §. 19. p. 1005. *Porro recte reſtitutionem Liuoniae negari hiſce rationibus. Neceſſitate compulſos Suecos arma in Liuoniam tranſtuliſſe. — — Et quamquam Reges Sueciae ad ſedanda illa bella fuerint promiſſimi; Polonos tamen ſemper pacem adſpernatos, Suecoſque indigne habuiſſe. — — Sed nec Polonis quidquam iuris in Liuoniam competere, quum Carolus V. et Ferdinandus I. Caeſares protegendae illius curam, aduerſus Ruſſorum immanitatem, Suecorum Regibus Guſtauo et Erico commendarint: eoque poſſideri hanc prouinciam a Suecis iure belli, ac eodem, quo Poloni iſtam adquiſiuerint. Denique Liuonia obtenta, Sueciam ſuam ſibi ſecuritatem praeſtare poſſe; quum experientia ſatis conſtet, quam parum praeſidii nudis in pactis ſit.*

Digitized by Google

immiſcuiſſent Sigiſmundi Regis, eiuſque cauſſam aduerſus Sueciam egiſſent, atque hoſtilia in Naruam et Reualiam eſſent moliti. Mitto alia. Ad extremum, ſatius rati rem Marti dirimendam permittere, * "Quod ſemel eſt, inquiebant, armis adquiſitum, armis, non ratio„nibus inpoſterum repetatur, neceſſe eſt." Adeo ne inducias quidem, niſi obtenta, quam late patet, Liuonia, prorogari volebant. "Si vtraque pars in Liuonia, inquit *Rudauſcius*, Hiſt. Pol. Lib. III. „p. 70. Suecorum ſubſit iuriſdictioni, vt nunc de facto ſubeſt, ei„que adhuc adiungatur prouincia Curlandiae: eo modo viginti ad„huc annorum inducias cum Polonis paciſci, Sueciae Commiſſarii „nomine Sereniſſimae Chriſtinae, deſignatae Suecorum Reginae, bo„na fide ſpondent." Id ipſum induciarum veluti pretium, teſte *Pufendorfio*, l. c. §. 33. p. 1012. etiam Poloni obſtinatis animis exigebant. "Nam de prorogandis induciis nihil quidem ſe in mandatis „habere: ſi tamen idem futurum ſit praemium, quod quondam in „Pruſſia, vt nempe nunc Liuonia reſtituatur, ſicut tunc Pruſſia, paſ„ſuros ſe id ſibi perſuaderi." — Ita diſceſſum eſt, re infecta, nec, quamquam inſtaurato haud multo poſt conuentu, vltra altercationes vanas et irritas quidquam actum. Vid. *Pufendorfius* loc. cit. §. 34. p. 1013. Lib. XXIV. §. 25 ſq. p. 1028. Lib. XXV. §. 1 ſq. p. 1032 ſq. item *Lengnichius* loc. cit. P. VII. p. 82-84. 101-103.

X. At vero Iohannem Caſimirum Liuoniae iactura in dies magis magiſque vrebat. Nec temperare ſibi poterat, promiſſi conſcientia ſtimulatus, (iurauerat enim, ablata ſe Reipublicae recuperaturum, **) quin etiam ab nouo Suecorum Rege, Carolo Guſtauo, Liuoniae reſtitutionem exigeret. Itaque Legati, An. MDCLV. Holmiam de pace miſſi, hoc agere; in hoc ſtudium induſtriamque intendere: poſtremo Eſtoniam offerre. Vid. *Paſtorius* Flor. Pol. Lib. VII. p. 538. *Rudauſcius* l. c. Lib. V. p. 161. *Pufendorfius* Comm. de rebus Caroli Guſtaui, Lib. II. §. XIII. p. 62. Verum inſtabat iam Poloniae, inſtabat heu! dira bellorum tempeſtas, et ineluctabile fatum.

XVI. *Con-*

* Vid. RVDAVSCIVS loc. cit.

** PVFENDORFIVS loc. cit. Lib. XXIV. §. 25. p. 1028. — *Placebat Regis ſententiam cognoſcere, ac eumdem rogare, vt dato Reipublicae promiſſo, de cedenda in Regnum Sueciae praetenſione, ſtare*

XVI

Contentio
Sueciae ac Poloniae ſuper Liuonia, in Pacificatione Oliuenſi.

Quae tam diu inter Suecos ac Polonos, vt ante commemoraui, et bellorum et in ipſis pacis tractatibus magnarum contentionum cauſſa fuerat Liuonia, etiam Oliuenſem Pacificationem multum diſtinuit atque turbauit. Id quoniam ex *Puſendorfio*, (Comment. de rebus Caroli Guſtaui,) aliiſque rerum auctoribus, ac praecipue ex *Diariis Pacificationis* cum *Suecico*, tum *Polonico* ac *Curonico*, plane cognoſci et intelligi poteſt; vnum tantum et item alterum caput, ab me quidem ſumma veluti manu in notulis adſperſis tactum, nunc penitus explicare conſtitui, vt, quorum mentionem e *Diario Polono MSC.* ſemel atque iterum ſupra inieceram, *Gradibus*, hoc eſt, modis componendae cauſſae Liuonicae, locum facerem. Quod priuſquam exſequar, quaedam mihi paullo altius repetenda ſunt.

II. Bello Danico exorto, An. MDCLVII. quamuis Carolus Guſtauus conficere pacem cum Polonis ſatageret: fixum tamen ei deſtinatumque erat, Liuoniam omnem ſibi ſuoque Regno habere. "Illas „itaque conditiones, inquit ipſe *Puſendorfius*, l. c. Lib. IV. §. 33. p. „283. Rex propoſiturus erat, vt Elector (Brandeburgicus) accipe„ret Pruſſiam Regalem, data Regi viciſſim Vlteriore Pomerania; aut „ſi id adſpernetur, Regi concederet loca ad Memelam, Schalauoniam, „Tilſitam, Ragnitam, ac Mindenſem inſuper Praeſulatum. Poloni „contra ſibi cederent *totam Liuoniam*, Curlandiam et Samogitiam: „Curlandiae Duci pro ſua prouincia Mindenſis ditio daretur." Neque

ſtare dignetur. Ad quod quum Rex reponeret, promiſſo ſuo hanc conditionem additam, ſi prius rite ſibi ſatisfactum fuerit: vnus e Senatoribus adfirmabat, promiſſum purum fuiſſe. Vnde Rex: "Sit „ſane, inquiebat, ſed quia etiam iuraui „me ablata Reipublicae recuperaturum, „de Liuonia nullatenus cedere poſſum."

que multum mutauerat inter noua pacis tentamenta ſententiam, animis etiam a felici aduerſus Danos ſucceſſu ſumtis. "Nam vti Suecia, „inquit ille apud *Puſendorfium*, Lib. V. §. 84. p. 462. prioribus ſexennalibus Induciis, victam Liuoniam cum Mariaeburgo, Elbinga, „Pillauia et Haupto, iure belli retinuerit; ita, poſtquam Polonia va„riis modis viginti ſex annorum Inducias violarit, Regem et Coro„nam Sueciae reparandis acceptis iniuriis damniſque merito exigere „poſſe ceſſionem reliquae Liuoniae, cum Curlandia et Semigallia, „ſaluo iure et ſtatu Ducis Curlandiae. — — A Polonis quoque exi„gendam obligationem, ad recuperandam propriis viribus et ſumti„bus eam Liuoniae partem, quam Moſcus occupauit, Suecoſque in „eius poſſeſſionem immittendos." Conf. ibid. §. 120. p. 504. His et talibus quum vehementer refragarentur Poloni, praeter cetera etiam inflati promiſſione, certis ſibi conditionibus a Magno Moſcorum Duce facta, ipſum nimirum Reipublicae Liuoniam, Iohanni Caſimiro Regnum Sueciae recuperaturum; * mox et Carolus Guſtauus, ne diſtraheretur pluribus bellis, paullulum miteſcere eſt viſus. "Ad ex„tremum enim, vt rurſus auctor eſt *Puſendorfius*, l. c. p. 505. etiam „deſiſtere decreuerat de petenda parte vectigalis in Pruſſia, ac pecu„niaria a Polonis ſatisfactione, ac ne Poloni teneantur partes Liuo„niae a Moſcis occupatas recuperare, ſed ſatis haberent ius ſuum „ad eas in Regem transferre. Ita omnia indulgere Polonis cupiebat „Rex, eo acrius premendae Daniae." At de Liuonia quidem vt quidquam concederet, nondum adduci ſe patiebatur. Vid. *Puſendorfius* l. c. Lib. VI. §. 74. p. 590. — §. 75. p. 591 ſq. Inter haec igitur, ad Oliuenſem Pacificationem peruentum eſt.

III. In illa, quidquid huc vſque multis ac variis tractatibus diſceptatum erat ſuper Liuonia, vtrimque velut agmine facto expeditum eſt. Nam et de adquiſito, in eam, iure controuerſia reſuſcitata: rationeſque, vt ſaepenumero ante, acri inter ſe certamine commiſſae ſunt.

* PVFENDORFIVS Comm. de rebus Caroli Guſtaui, Lib. V. §. 88. p. 467. — *Pollicitus fuerat Czar, ſi ſibi aut filio Corona Poloniae conferatur, ſe Reipublicae Liuoniam, Iohanni Caſimiro Regnum Sueciae redditurum, pace inſuper cum Coſacis conciliata.*

** Vid. PASTORII Diarium, p. 119. ſq. item *Vindiciae Liuonicae*, inter Acta Pac. Oliuenſ. Publica, No. XXXII. pag. 61.

ſunt. [oo] Ac Sueci etiam tunc initi praecipue Caeſarum priuilegiis, toties iam a ſe laudatis illis quidem, ſed numquam in lucem conſpectumque prolatis. Erat enim iam dudum, quod repetentibus Liuoniam Polonis reposuit Sigiſmundus Rex, teſte *Chytraeo*, l. c. p. 790. "Scire ſe, quidquid iuris — in eam prouinciam ſibi adrogarent, id ex „ſola ceſſione Magiſtri Ordinis emanaſſe: quam nullo pacto, nullo„que iure, inuito Feudi domino, Imperio Romano, fieri potuiſſe, „a quo conſenſus teſtimonium, ne litteram quidem proferre Poloni „poſſent. Succos vero, Caroli V. Ferdinandi I. et Maximiliani II. „Impp. litteris, ad Guſtauum, Ericum et Iohannem Reges diuerſis „temporibus ſcriptis, tutelam eius prouinciae ab Imperio ipſis com„mendatam, demonſtraturos eſſe." At minime demonſtrauerunt; ne in Oliuenſi quidem Pacificatione; quamuis authenticas tabulas modo *in Archiuis Regni* adſeruari, [ooo] modo *inter monimenta Ducis Curlandiae*, id eſt, in Principali Tabulario Mitauienſi, repertas [oooo] adſeuerarent, exigeretque illas Felkerſamius, Cancellarius Curonicus. Nam ſine iis, aiebat, rei fidem vacillare. Vid. *Diarium Curonic.* p. 553. Neque poſtilla vmquam, quod ſciam, editae ſunt. Ceterum litteras Caroli V. ad Guſtauum Regem, Gandaui An. MDLVI. Ferdinandi I. duobus annis poſt, eſſe perſcriptas ſatis conſtat. Et has quidem memorat *Dalinus*, vir ſummus, Hiſt. Suec. P. III. T. I. p. 374. [ooooo] atque item *Arndius*, Chron. Liuon. T. II. p. 243.

IV. Verum enimuero Oliuae acerrima fuit ſuper Liuoniae ceſſione contentio. Quae ne diutius diſtineret pacis deſideratiſſimae negotium, variae viae rationeſque a Polonis tentatae ſunt per Chriſtophorum Pacium, Supremum Lithuaniae Cancellarium, cuius fidei ac dexteritati potiſſimum hanc cauſſam commiſerant. Vid. *Paſtorii* Diarium, p. 71. Ab eo itaque non *Vindiciae* ſolum *Liuonicae*, ex *Codice MS. Zaluſciano* primum a me ſupra prolatae, verum etiam *Gradus*, vt vocat, quibus progrediendum in Liuonica cauſſa eſſet,

 ſtudioſe

61. — *Informatio circa Liuoniam Suecica*, in DIARIO EVROP. l. c. p. 47 ſq. et apud LONDORPIVM Act. Publ. T. VIII. pag. 657.

*** Vid. *Informatio circa Liuoniam*, l. c. Verba ipſa adſcripſi ſupra, p. 590.

**** Vid. PASTORIVS loc. comm. pag. 120.

***** Litterae Ferdinandi Imp. ad Regem Guſtauum, Vien. d. 11 Sept. 1558. - Reſp. Guſtaui R. d. 10 Ian. 19 et 20 Febr. item d. 24 Mart. 1559.

Digitized by Google

ſtudioſe ac prudenter litteris ſunt conſignati. Atque hos operae pretium eſt ex eodem *Codice* huc transferre, Latine quidem e Polonico factos a *Mich. Abr. Trotzio*, viro docto, ac patrii ſermonis callentiſſimo. Sunt autem huiuſmodi.

Gradus, in negotio Liuonico tenendi.

"Satis demonſtratum eſt Illuſtriſſimo Legato Gallo, titulum, bonam fidem et longi temporis poſſeſſionem eſſe in Liuonica cauſſa a partibus Regis Regnique Poloniae; neque vllam exſtare ceſſionem, ſeu rei alienae et iuri Suecico ſubiectae alienationem, quae *Reſtitutionis* nomine veniat, ſeu rei propriae, quae *Donationis* ſpeciem referat, et in fauorem Suecorum explicari poſſit. Multo minus autem Liuoniam Sueci inuſitato atque incongruo *Securitatis Pactorum* titulo poſtulare aut poſſidere queunt. Quae quidem omnia quamuis Illuſtriſſimus Legatus, ſubductis ex hiſtoria ac Iuſti et Aequi ſcientia rationibus, liquido perſpecta habeat: tamen ſi Sueci porro ſibi non temperent a repetenda Liuonia, ſequentes *Gradus* tenendi erunt.

1) Quum Liuonia et Pomerania ſatis nos edoceat, quot quantaque incommoda ex Suecorum vicinia prouenerint; ſummo iure petenda videtur reſtitutio Liuoniae Vlterioris, tamquam prouinciae ad Poloniam pertinentis, duarum nempe illarum partium, quas Sueci et Moſci tenent. Nam tertiam illam, quam ante bellum habuimus, per ſe noſtram eſſe exiſtimamus. — 2) Eam igitur partem, quam Moſci occuparunt, vt Sueci recuperaturos nos auxiliis adiuuent; eam vero, quam ipſi poſſident, haud inuiti nobis reſtituant, ſane promittenda iis eſt certa pecuniae ſumma, atque intra vnius vel duorum annorum ſpatium perſoluenda ex teloneis Rigenſibus: vnde decies octies centena millia Imperialium quotannis redeunt. — 3) Sin vero partem Liuoniae, a Moſcis Poloniae ademtam, ab ea, quam ipſi tenent, diuellere recuſent: promittatur iis pro vtraque parte ſumma pecuniae paullo maior, quam quae *ſecundo Gradu* poſita; ea quidem conditione, vt Reſpublica ſolutionem ex iiſdem teloneis praeſtet, neque ea tamen in Suecorum poteſtatem perueniant, ſed in Reipublicae poſſeſſione permaneant. — 4) Si vero dubitent, promiſſam ſummam a nobis recte ſolutum iri: haec telonea vel Batauis vel Hamburgenſibus,

bus, vel Gedanenſibus, vel Rigenſibus, vel ipſis adeo Suecis, vſque ad ſolutionem concedantur. — 5) Atque hoc ipſum ſi ſucceſſu deſtituatur: Liuonia, quam ante bellum tenebant, cedatur iis nomine et iure hypothecae, qua iis ad certam pecuniae ſummam, vires tamen noſtras non exhaurientem, obligemur: quemadmodum quidem Elbinga Electori (Brandenburgico) permiſſa eſt. — 6) Quum Sueci ob ſecuritatem pacis Liuoniam poſtulent, etſi haec lis iam expedita eſt, concedatur tamen iis euictio in eam Liuoniae partem, quam ante bellum habuerunt: eaque euictio tum locum habeat, ſi haec Conuentio violata fuerit, ita vt, quandocumque id contigerit, integrum iis ſit Liuoniam armis repetere, ſaluo tamen iure poſſeſſionis noſtrae. — 7) Et huius quidem rei cauſſa commodius fuerit, ſi iis illae partes, quas ipſi et Moſci vſurpant, pignoris loco atque in pacis ſecuritatem concedantur, verum ad certos tantum annos, longiſſime quidem ad vſque obitum Sereniſſimi Regis Sueciae, (quoniam is veretur, ne pacta inita, atque illa inprimis renunciatio in Sueciam violentur,) hac ratione, vt poſt ſera fata S. R. M. vtraque pars nobis reſtituatur; liberumque ſit Reipublicae, titulo Liuoniae tam durante poſſeſſione Suecica, quam poſtea, vti. — 8) Aut etiam pax non niſi de Suecia et Pruſſia ſanciatur, nulla in Liuoniam facta renunciatione: quo quidem modo ſemper nobis ad eius recuperationem adcingi licebit, ſi id profuturum nobis, et Suecos aliis bellis diſtractos eſſe intellexerimus. Cuius rei nuper admodum exemplum nobis praebuit pax, inter Gallos et Hiſpanos inita: in qua nulla de Regno Nauarrae facta eſt mentio. — 9) Aut compoſitis de Suecia et Pruſſia controuerſiis, Liuonia excipiatur: vti et in illis, inter Hiſpanos et Gallos, pactis excepta eſt Catalaunia. — 10) Pruſſia, quantum eius reliquum eſt, poſtliminii iure recuperata, quod ad Liuoniam adtinet, ſuper ea induciae tantum fiant, vt, quid Moſcica pace futurum ſit, exſpectare poſſimus. — 11) Si vero has propoſitiones omnes repudient: cedatur iis in perpetuum regio a Sinu Finnico vſque ad Pernauiam et Torpatum, et vltra fines Moſcicos ad *Peipum* Lacum: reliquum vero cum Riga vrbe ſit iuriſdictioni Reipublicae ſubiectum. — 12) Sin et hoc nondum ſufficere crediderint: concedatur iis in perpetuum regio vſque ad fluuium *Aa*, a mari vſque ad *Peipum* Lacum, vel ad ciuita-

Digitized by Google

tem *Nachhauſen:* vnde eorum fines ante bellum proferebantur. — 13) Quod ipſum ſi eorum cupiditates et deſideria non expleat: ſeruetur Reipublicae noſtrae Riga, et regio Tranſdunana, cum caſtellis et fortalitiis cis et trans Dunam, vſque ad fluuium *Eueſt*, quo vſque eorum fines olim porrigebantur. Vlterior vero Liuonia ſupra Rigam, et cis flumen *Aa*, in perpetuum iis concedatur. — 14) Quamquam autem Rigae vrbis cauſſa, vt nempe in ditione Reipublicae permaneat, magna pars regionis Tranſdunanae iis addicta eſt: tamen ſi neque hac ratione Riga impetrari poſſit, iſtae duae partes, quas ipſi et Moſci poſſident, feudorum nomine iis offerantur, (nam et Pomeraniam clientelari nexu ab Imperatore tenere, non inconueniens Regiae dignitati viſum eſt,) ſaluo ceteroquin nobis titulo Liuoniae. — 15) Si et hoc reiiciant: Riga quidem cedatur ipſis, ſed dimidia Liuoniae pars, quam Moſci tenent, repetatur. — 16) Aut ea belli aleae committatur ita, vt, quantum quiſque a Moſco armis vindicauerit, ſibi habeat. — 17) Ceterum, ſi plura obtineri non potuerint, poſtulandum eſt, vt, quam cis et trans Dunam poſſident, regionem nobis cedant, cum ea parte, quam ante bellum tenuimus. — 18) Vltimus *Gradus* eſt, vt, ſi nihil amplius obtineri poſſit, relinquantur omnia in eo, quo ante bellum fuerunt, ſtatu, ita tamen, vt Religio Ro. Catholica in vtraque Liuonia ſalua maneat, et Duna fluuius terminus conſtituatur, qui nos, hoc eſt, Lithuaniam et Curoniam ſeparet; vtque res monetaria, telonea, Iudicia Commiſſorialia, titulus Liuoniae, (etiamſi in hoc dari aliquid Suecis poſſit,) ad Regem Poloniae pertineant. Ea vero omnia expediantur ſub conditione foederis offenſiui, contra Moſcum, vt Liuoniam, Magnum Ducatum Lithuaniae, Vcrainam, iunctis viribus recuperemus, et, ſi fieri poſſit, ab ipſis terris Moſcicis aliquid diuellamus: eoque foedere caueatur, ne alterutri parti abſque altera pacem cum Moſcis inire liceat.“ *

V. Hos itaque *Gradus* quum primum in priuato conſeſſu communicaſſet Pacius cum collegis, Legatis Polonis, omnium calculis probati confirmatique ſunt. ** Enimuero haud multo poſt pleriſque longe

* Quod *Pacius* ipſe memorat, in DIARIO POLONO MS. ad diem XIV Februarii.

** DIARIVM MS. ad d. XIX. Febr. et quae inde adtuli ad PASTORII Diarium, p. 110. n. *

longe aliter viſum. Eſſe illos et re grauiores, et numero plures, quam qui in tanta tamque neceſſaria pacis feſtinatione expediri poſſent. Duodeviginti *Gradibus* componendis vix totidem hebdomadas ſufficere. Quum igitur Senatoribus Regni quidem placeret, vt maturandae paci vel tota Liuonia Suecis traderetur; ceteri vero eam cauſſam Reginae Poloniae, ac Pacificatori Gallo, committendam eſſe cenſerent: vnus Pacius, quos nuper probaſſent, *Gradibus* inſiſtendum eſſe contendebat. Cunctando, conſultando, aiebat ille, Liuoniam ſeruari poſſe: feſtinando, omnia in praeceps dari. Praeterea tantae rei curam aliis velle imponere, vt indecorum ipſis, ita ne licitum quidem videri. Ne tamen per tot *Gradus* eundo nimium temporis conſumeretur, curaturum ſe, vt intra iuſtum illi numerum coerceantur. [oo] Et coercuit ſane, Regis ipſius auctoritate. Neque ego, quoniam inſtituti ratio admonuit, exemplum formulae, rurſus a *Trotzio* in Latinum ſermonem verſae, hic praetermittam. Erat enim, quod ſupra ſum profeſſus, praecipuum hoc mihi huius Capitis conſilium, vt haec talia e latebris in conſpectum doctorum hominum proferrem. En igitur illam tibi, *Lector*, formulam!

Reſtrictio Graduum,
Dn. Mediatori in negotio Liuon. proponenda.

"Agendum ergo eſt cum Suecis de ſumma aliqua pecuniae, pro parte Liuoniae ab iis occupata, aut etiam pro vtraque Liuonia, quam Sueci et Moſci tenent: nam tertia pars ante bellum noſtri erat iuris, neque vllam nobis vmquam de hac parte Sueci mouerunt controuerſiam. Praeſtabitur autem ſolutio ex teloneis Rigenſibus, in cuiuſcumque poſſeſſione fuerint, ad tempus pacto definitum. — 2) Reſtituant nobis Sueci ea, quae in Pruſſia et Curonia poſſident: de Liuonia tantum induciae ad quindecim annos fiant, non comprehenſa tamen iis tertia parte Liuoniae, quam ante bellum habuimus. Quum enim pactis Stumdorfianis reſtituerimus Suecis ea, quae ante inducias tenebant; idem vt nobis praeſtetur, contendimus. — 3) Quandoquidem Sueci ſecuritatem pacis quaerunt in Liuoniae poſſeſſione, Reſpublica ſe obſtringit ad euictionem ita, vt Suecis, pace a nobis

nobis violata, Liuoniam armis vindicare liceat. Ceterum Reſpublica poſſeſſionem earum partium, ſaluo nobis titulo, concedet Suecis ad certum tempus, ſcilicet vſque ad mortem Sereniſſimi Regis Sueciae. Poſthaec Liuonia omnis ad nos redibit; vel noui de ea tractatus inſtituentur. — 4) Vti factum eſt olim, Sigiſmundi Auguſti tempore, in cedendis nouem arcibus: ita cedimus nunc quoque has duas partes, iure hypothecae, ad exemtionem certae ſummae. Tertiam vero partem Reipublicae ſeruamus. — 5) Primum Suecis concedendum perpetuo id, quod ſupra Pernauiam iacet vſque ad Torpatum; deinde, quod vſque ad fluuium *Aa;* poſtremo, quod vſque ad ipſam Rigam: quae quidem vrbs, vna cum caſtellis trans Dunam, tertiae parti, quae ad Rempublicam ante bellum pertinebat, adiicienda eſt. — 6) Has duas partes, quas Succi et Moſci tenent, Reſpublica Suecis iure clientelari concedere poteſt, eadem lege, qua Pomeraniam ab Imperatore habent. — 7) Si vero Riga obtineri non poſſit: ſaltem duae illae partes, nempe vna, quam Moſci occuparunt, altera quae trans Dunam ſita eſt, cum ea, quam ante bellum habuimus, in manu ac ditione noſtra permaneant; aut quae poteſtati Moſcicae ſubiecta ſunt, belli aleae committantur, vtri ea, Sueci an Poloni, conſequuturi ſint. — 8) Conſtanter inſiſtendum eſt, vt Kokenhuſa, Aſcherade, Leneward et Kirchholm cum territoriis, in *Inſtructione* expreſſis, huic parti, quam ante bellum poſſedimus, adiungantur."

VI. Haec ille, vt erat ſpectatae virtutis ac dexteritatis, ſolo ductus amore aduerſus patriam, qua nihil in omni vita carius atque ſanctius habuit. Igitur ex vano hauſta nobis videntur ea, quae de Lithuanis Legatis tradidit *Puſendorfius*, Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VII. §. 6. p. 607. "Iam eo res, inquit, deducta erat, „vt Iohannes Caſimirus Sueciae et Liuoniae renuntiare vellet: cui ac„cedere poterat Liuonia Polonica, ſi in promptu pecunia fuiſſet ad „triginta Vncialium millia, quae Lithuanicis Commiſſariis donari po„tuiſſet, quorum vni Elector viginti millia annui reditus obtuliſſe di„cebatur, ſi pacem impediret. Hoc quippe extremum tractatus ſuf„flaminandi remedium Caeſarei et Electorales reſeruauerant, Lithu„anos corrumpere, ne in Liuoniae ceſſionem conſentirent."

VII. Enim-

VII. Enimuero Succi, vt, vnde abii, eo reuertar, nullo ſe modo adduci paſſi ſunt, vt in illa cauſſa per huiuſmodi *Gradus* incederent. Quin potius non Eſtoniam tantum, ſed etiam Curoniam, et omnino Liuoniam, quantam huc vſque poſſediſſent, ſibi ſeruari, ſuaeque poteſtati a Polonis permitti volebant. Nec fuit profecto res alia vlla, quam Liuoniae ceſſio, acrioribus vtrimque ſtudiis agitata. Tandem illa ad modum pactorum Stumdorfienſium compoſita eſt, et Tabulis Pacis (Art. V.) inſerta.

XVII

Contentio de Sacris Liuoniae, in Conuentu Stumdorfiano.

Nondum Liuoniae res, quamquam circa vnas illas nimium diu iam videri poſſumus haeſiſſe, dimittimus. Adeo illae in Oliuenſi Pacificatione vtramque, quod dicitur, paginam faciunt. Ad eas autem penitius cognoſcendas plurimum refert excutere id, quod, in Stumdorfiano Conuentu, Suecos inter atque Polonos actum fuit. Cuius rei conſtituimus ſpecimen aliquod in grauiſſimo argumento, de Sacris Liuoniae Romanis Catholicis, nunc proponere. Nec ſuperuacaneum hoc ſtudium noſtrum fuerit poſt *Herm. Beckeri* libellum, (Liuonia in ſacris ſuis conſiderata, Vuiteb. 1700. 4) tam incultum ac tenuem illum, vt pactionem Stumdorfianam, quae ad rem vel maxime pertinebat, alto inuolutam ſilentio animaduertas.

II. Stumdorfii quum induciae opera et prudentia inprimis Auauxii Comitis, Legati Galli, fere pactae iam eſſent, nouus ecce! ex improuiſo ortus veluti turbo miſcere omnia ac peſſumdare viſus eſt. Tantum religio tunc quoque diſcordiarum, tantum tumultus excire potuit! Conuenerat iam de Liuonia, Suecis induciarum tempore concedenda, quum Zadzikius, Supremus Regni Cancellarius, Epiſcopus Culmenſis, Pomeſanienſis, ac nuper conſtitutus Craconienſis, Legatus Polonus, hanc occaſionem oſtentandi ſui in religionem ſtudii nactus, magno animo, quem ei augebat non collegarum modo, ſed etiam Legati Galli adſenſus, contenderet, Romana ſacra

per Liuoniam ſalua eſſe praeſtanda. "Supererat, inquit *Pufendor-* „*ſius*, Rer. Suec. Lib. VII. §. 136. p. 232. vt pacti formula conciperetur: cui ab vtraque parte lima adhibebatur. Vbi parum aberat, „quin ſubito totum negotium in ipſo velut portu allideretur. Zadzi- „kius, deſignatus Epiſcopus Cracouienſis, obtinendae eo citius Pon- „tificis confirmationi, vbi de relinquenda Suecis Liuonia agebatur, „adnotauerat, vt Catholicis per Liuoniam ſacra ſua exercere conce- „deretur, haud ratus ceteros Senatores ita auide id arrepturos. Idem „inde Legatus Gallicus intempeſtiuo ſuae religionis zelo, contradi- „cente licet Anglo, crebro vrgebat." Et hunc quidem auctor eſt ipſe *Ogerius*, in Epiſt. ad Nicolaum Borbonium, praeſtantem doctrina virum, l. c. p. 491. "quum in ceteris aequiſſimus ſemper fuiſſet, hac quidem in re Polonis ſtudioſiſſime acceſſiſſe, conſtantemque ſe Catholicum profeſſum eſſe."

III. Enimuero Sueci ab illa ſententia longe alieni, neque prece, neque rationibus, neque exemplis facile adduci potuerunt, vt Polonis adſtipularentur. Inuenio apud *Foulerum*, in Hiſt. Pacific. Sueco-Pol. p. 190. Auauxium, quum inter alia Ludouicum XIII. Galliarum Regem, commemoraſſet Lutheranae doctrinae adſeclis vel ſola in Guſtauum Adolphum, Regem Sueciae, beneuolentia liberum religionis cultum permiſiſſe in vrbe ipſa Pariſiorum, ſimul admonuiſſe Suecos, vt hoc tale exemplum, in illuſtri poſitum monimento, nunc ipſi quoque ſequerentur, ſeque Catholicis aeque faciles propitioſque praeberent: ad haec vero Suecos excanduiſſe ira, ac ſemel iterumque dixiſſe, non aliorum ſibi exempla ſequenda eſſe, ſed ipſos aliis velle ſua ad intuendum imitandumque proponere. * Acta autem eſt controuerſia praecipue d. VI. Kalendas Septembr. (An. MDCXXXV.) quo die illa ſic incaluit, vt non haec tantum cauſſa, ſed omnino totum pacis negotium in extremum periculum ſummumque diſcrimen veniret.

* Verba ipſa ſic habent: *The next day being the ſeventh, all parties aſſembling, the former diſpute about the point of Religion in Leifland was continued, wherein the French Ambaſſador employed his whole endeavours, ſharply checking the Suethes for this their cruell, and (as he termed it) unheard of way of proceeding; ſetting before them how that the King his Maſter, at their late Kings conſideration, had granted to the Lutherans, even in Paris, the free exerciſe of their Reli-*

Digitized by Google

veniret. Eam rem omnem tradidit omnium diligentiſſime, qui ipſe interfuit, *Ogerius*, Ephem. p. 362 ſqq. atque ego gratiam, opinor, aliquam apud aequos aeſtimatores iniero, ſi, praeſertim in tanta libri raritate, verba illius, quamuis prolixiora, ſubieccro. "Reditum eſt „ad tractatus, et, quum omnes Mediatores in Polonorum tentorio „conueniſſent, ad eos retulit Legatus noſter, quid cum Suecis ſu„periore die egerat. Loquutus eſt deinde Legatus Angliae, re„tulitque ea, quae tunc de iiſdem Suecis, e quorum tentorio redi„bat, acceperat. Nimirum eos *quatuor rationibus* niti, cur in Liuo„nia Catholicos eſſe non ſinerent: quod pauci ac fere nulli ibi Ca„tholici eſſent; quod leges Succiae in ſuis ditionibus Catholicos eſſe „non paterentur; quod, in ſuperioribus induciis, de iis in Liuonia „permittendis ſermo non fuerat, neque a Polonis poſtulatum; quod, „ſi denique in ea ſacerdotes eſſent, oporteret ab Epiſcopis Polonis „eos mitti ac dependere, ſicque ſubditos ſuos Poteſtatibus ſaltem „Eccleſiaſticis Polonorum obnoxios fore. Ad eas rationes N. Zo„bieſki, ** Regni Senator, qui nuper aduenerat, petita a Cancel„lario venia, ordine reſpondit. Ad *primam* quidem, Regem Rem„que publicam Poloniae tantam, in hac parte, de paucis ac plebe„iis hominibus curam habere, quantam de Optimatibus et plurimis, „quorum animae aeque pretioſae ſunt: quia Deus non eſt perſona„rum acceptor. Ad *ſecundam*, nimirum leges Suecicas nullam in ſuis „prouinciis religionem admittere, quam Confeſſionem Auguſtanam, „reſpondebat, neque etiam Liuoniam eſſe membrum Regni Suecici, „neque illam a Rege Poloniae in perpetuum concedi. Ad *tertiam*, „argumentum Suecorum non valere, quum dicerent, quia in ſexen„nalibus induciis de religione, in Liuonia, conſeruanda nihil cau„tum ſit, idcirco in his induciis, quae viginti quinque annorum ſunt, „nihil caueri debere, quia modicum illud tempus contemni potuit,

 magnum

Religion; which if they ſhould obſtinately perſevere, and that the matter ſo required, he doubted not but he might (by Letters) eaſily diſturb. —

** Iacobus a Sobiez in Sobieſki, Inciſor Regni, Craſnoſtauienſis, Ianorouienſis Praefectus, (quibus titulis inſignitus eſt in prooemio pactorum Stumdorfienſium.) poſtea factus Caſtellanus Cracouienſis: vir vere magnus, vno minor filio, Iohanne III. Rege; etiam doctrina clarus ac ſcriptis. Eius ſunt *Commentarii Chotinenſis belli*, Gedani ſplendidiſſime editi, (An. 1646. 4.)

Digitized by Google

„magnum iſtud non debet. Deinde, in ſexennalibus induciis, ex „parte ſatisfiebat Polonis, quum in tota Pruſſia religio Catholica per„mitteretur: neque tamen tunc de religione in Liuonia conſeruanda „obliti fuerant, ſed maluerant illam conſeruari in prouincia, vbi „erant plures Catholici. Quod ad *quartam* pertinet, nihil a Suecis „timendum eſſe: nam, qui ſacerdotes in Liuoniam mitterentur, tali „praediti eſſent poteſtate, vt amplius Epiſcopis Polonis non ſubeſ„ſent. At, inquit Legatus Anglicus, dummodo nullum Catholicae „religionis exercitium fiat, libertatem conſcientiae permittent Liuo„nibus Sueci. Credo equidem, replicauit Zobieſkius, ſcilicet il„lam, quam homini nemo eripere poteſt, hoc eſt, credere, quod li„buerit, ac in mente Deum adorare. At non eſt illa religio ſuffi„ciens, opuſque eſt cultu externo. — Itaque ſi libertatem conſcien„tiae permittunt, id cum effectu permittendum eſt, nimirum, vt „ſaltem in priuatis aedibus ritus Catholicos excercere poſſint. — — „Nihil tandem relatum eſt ex hoc congreſſu, niſi quod Sueci dicerent, „ſe inquiſitionem non facturos in Catholicos. At hoc Polonis non „ſatisfecit, ſed, vt Suecos ad aliquid explicatius promittendum adi„gerent, hanc ipſi formulam ſcripto conceperunt, quam verbis te„nus apud Legatos profiterentur, nec in pactis ſcriberetur, ſed tan„tum fide Commiſſariorum conſtaret; verumtamen iſtius ſtipula„tionis atteſtationem Polonis darent. Formula haec fuit. *Homines* „*Catholicae religionis, in Liuonia, libertate conſcientiae gaudebunt; et ſi* „*qui inueniantur, qui cultu ac ritu Catholico vſi fuerint, id illis noxae et* „*fraudi non erit.* * Hanc formulam Legatus Galliae cum Brande„burgicis ad Suecos tulit: at illi, ne in iſto ſermone caperentur, ſub„eſſetque aliqua fraus ac decipula, nihil prorſus reſpondere voluerunt, „niſi illud, quod Comes Brahe repetiit ſaepius: *Non inquiretur.* — — „Quumque iterum a Commiſſariis quaeſiuiſſet, num aliquid in gra„tiam Legatorum facere vellent, ac ſe magis explicare ſuper illa ſti„pulatione, renuerunt, egredientemque tentorio Legatum, cui Mar„chio

* Eadem legitur apud PVFENDORFIVM loc. comm. FOVLERVS p. 190. hanc adfert: *Sueci hominibus Catholicis in Liuonia, toto induciarum tempore, cultum et ritum in priuato permiſſuri, nullamque in eos inquiſitionem, vt hactenus,*

Digitized by Google

„chio Sigiſmundus ** adhaerebat, comitari ſpreuerunt. Quum ſe „ad Polonos contuliſſent illi, referrentque Succorum pertinaciam, „ecce! derepente Sueci imperant tympana tubaſque pulſari, vt exi„rent, Legatis inſalutatis. Tum vero excandeſcere Poloni, conte„ſtarique iniuriam ſibi fieri; dum adhuc cum Mediatoribus deliberant, „hunc obtrudi ſtrepitum. Prior Palatinus Belzenſis, vir alioquin ſa„pientiſſimus ac humaniſſimus, in has Gallicas voces erupit: *Mort-„Dieu! nous penſent-ils eſtonner par ces tintamarres? Nous leur en rendrons „bien d' autres.* Quem Zobieſkius excipiens, Puerorum, inquit, iſta „terriculamenta: talis eſt noſtra muſica, cui ab ineunte aetate innu„triti ſumus: bellum volunt Sueci, bellum habeant. Permulti illa „die, quod moris non erat, etiam ex gregariis militibus, in tento„ria ſe intruſerant, credo, quia de hoc religionis negotio, quod „omnes adficit, agebatur: erupere iſti, tumultumque inter Huſſaros „et Coſacos, qui promiſcui erant, fecerunt: quumque plurimi vino „incaluiſſent, oblatam irae occaſionem facile ſuſceperunt, ac in ali„quot obuios Suecos irruerunt." Hactenus ille. *** Eadem a *Foulero* l. c. p. 192. *Aitzema* Comm. de rebus Belgicis, T. II. p. 259. *Puſendorſio*, l. c. tradita ſunt: itemque inter recentiores, a *Baſnagio*, Ann. Belgic. T. I. p. 326 ſq. et *Lengnichio*, l. c. T. VI. p. 70 ſq. Praebuiſſe autem anſam tumultus ipſum Auauxium, vnus, quod ſciam, prodidit *Puſendorſius*, cuius haec ſunt verba: "Quum „Suecos, priori declarationi inhaerentes, Gallus ſuper concedendo „priuato cultu vrgeret, et illi rem vtique eodem redire reponerent, „nec ſe amplius quid largiri poſſe, aut praeſcriptam formulam admit„tere; Gallus commotior, Nec ego, inquit, quidquam aliud dicam: „valeant, nec reuertar. Quum igitur Mediatores diu nullum a Po„lonis reſponſum adferrent, Suecis die iam in veſperam inclinante, „et maturandae diſceptationi, placebat equos curribus iungere, et „per tubicines diſceſſus ſignum dare; quod et antea factum erat. Eo „ipſo momento in Polonorum tentorio quaeſtio, de ſacris, a Gallo aliiſ-

 „que

hactenus, facturi, neminique, qui religionem Catholicam profeſſus fuerit, id ipſi noxae futurum.

** Sigiſmundus, Marchio Brandeburgicus, Legationis Brandeburgicae princeps.

*** Conf. *Eiuſd.* Epiſt. ad Borbonium, loc. comm. p. 492 ſq.

„que acriter diſceptabatur: et quia Gallus Suecorum declarationem „paullo aſperius retulerat, velut vtique bellum mallent, quam iſta „concedere, Iacobus Sobieſkius, Regni Inciſor, exclamabat: *Ergo* „*bellum!* quod vocabulum ſtatim inter adſiſtentes Legatorum mini„ſtros diditur.“ —

IV. Poſtquam reſederat tantus ille animorum motus, a Pacificatoribus denuo tentata res, eoque tandem perducta eſt, vt Catholicae religionis priuatum, in Liuonia, exercitium Sueci concederent. In quam ſententiam plures ac diuerſae formulae tum a Polonis, tum a Suecis perſcriptae, exſtant apud *Foulerum*, p. 197 ſq. At Vladiſlaus, Poloniae Rex, cui videbatur non ſatis cautum Catholicis eſſe, permiſſa *libertate conſcientiarum et religionis*, addi etiam *deuotionis* vocabulum volebat: * atque adeo ipſe formulam adornauit, quam hoc loco vnam ſubiicere ſuffecerit. *Homines Catholici in Liuonia, toto hoc induciarum tempore, libertate conſcientiarum et religionis deuotioniſque gaudebunt, nullaque in eos inquiſitio et animaduerſio eo nomine fiet.* ** Atque in hanc demum Suecos, quantumuis inuitos, tamen conſenſiſſe conſtat. “Vltima die Auguſti, inquit *Ogerius*, p. 370. diuiſerunt ſe Commiſ„ſarii; duo cum Generali de la Garde ad Legatum Galliae venerunt, „duo ad Legatum Angliae: quibus reſponderunt, ſe in formulam, *a* „*Rege Poloniae conceptam*, conſentire non poſſe, ſeque adduci per Sue„ciae Leges in diſcrimen capitis, ſi Catholicae religionis exercitium „in Liuonia permitterent. Introgreſſus ego in conclaue, vbi cum „Legato noſtro colloquebantur, dixi, hanc ſententiam eos ſine ſum„ma iniquitate tueri non poſſe, quorum doctores, ceterique Germa„niae Euangelici ac Reformati in Chriſtianiſſimos Reges Galliae ſcri„pſerant, eo quod libertatem conſcientiarum in Gallia pati nolebant. „Reſpondit mihi Oxenſtierna, id a Germanis potuiſſe ſcribi, a Sue„cis

* Ita OGERIVS p. 370. FOVLERVS p. 197. At PVFENDORFIVS loc. comm. imputat Zadzikio: de quo ſic ait: *Zadzikius poſtea, tantillam controuerſiam tanto feruore agitatam poenitens, vt honeſte ſe inde extricaret, ita demum verba temperabat, vt priuatae* deuotionis *libertatem iſtis hominibus permitti vellet.* Et fuit is forte Vladiſlao Regi auctor ſuaſorque iſtius formulae.

** Vid. FOVLERVS p. 199.

*** L. c. - *Quo vocabulo Gallus negabat ius ſacerdotes in Liuoniam introducendi, aut celebrandi Miſſas, comprehendi.*

**** Vid. ad PASTORII Diarium, pag. 210. n. **

„cis numquam; ac per ſuas leges ſolam Confeſſionem Auguſtanam „eſſe permiſſam. Replicauit Illuſtriſſimus Legatus: Cur ergo, ſuperiori die, ſibi ceteriſque Legatis conſentiendi in formulam ſpem fecerant? Quum nullum aliud congruum reſponſum dediſſent, diſceſſerunt: ſtatimque omnes Legati conſilium recedendi Dantiſcum in „ſequentem diem ſumſerunt. Quod quum intellexiſſent Commiſſarii „Sueci, ac ſtatim a prandio omnes Legatos in caſtellum venire viderent, vt veniam abeundi peterent, in formulam conſenſerunt; conuerſuſque ad me Comes Brahe, quem ſatis de illo Articulo ſollicitum per hos dies animaduerteram, dixit: Liuoniae Catholici antea „libertate conſcientiarum de facto gauiſi ſunt, nunc gaudebunt ex noſtra conceſſione.“ Vnum ſupererat, quod dubios ſollicitoſque redderet Suecos, ne *deuotionis* illud vocabulum Poloni ſic interpretarentur, quaſi etiam *Miſſae* celebrandae, ac ſacerdotum introducendorum libertas illo comprehenſa foret. Id quod diſertis verbis negatum ab Galliae Legato, *Puſendorfius* quidem memorat. ooo Contra *Ogerius*, p. 371. “Petierunt, inquit, a Legatis ſuam atteſtationem, quod non intelligebant illi, per dictam formulam, vllam „permiſſionem celebrandae in Liuonia *Miſſae* admittendorumque ſacerdotum cedere. Recuſauit Legatus noſter, relinquendumque „verbis formulae ſuum ſenſum atque intellectum dixit.“

V. Iam vero formula illa in Actis quidem Pacificationis perſcripta, oooo non ipſis pactionis Tabulis inſerta eſt, aut peculiari, vt fieri adſolet, ſcripto a Suecis confirmata. Conuenerat autem, vt rei, quae acta eſſet, Mediatores Legati teſtimonium ſollemnibus litteris perhiberent. ooooo Quarum exemplum Latinum apud *Aitzemam*, l. c. T. II. pag. 266. vnde in Oliuenſi quoque Conuentu aliquando repetebant, oooooo legitur, adeo incognitum illud viris doctis, vt, quem-

***** PVFENDORFIVS l. c. *Sueci — tandem abrumpendo inutili litigio laxioribus verbis declarabant, ſe conſentire, ſicut antea ſcripto et ſermone factum, hac lege, vt Mediatores teſtentur, quae ſua mens circa eam ceſſionem fuerit. Quam ſuperficiariam declarationem lubenter Mediatores admittebant.* Conf. OGERIVS p. 365. FOVLFRVS p. 209. 211.

****** Vid. PASTORII Diarium ad d. IV Aprilis. Eo loco indicatur AITZEMAE T. IV. p. 17. (173) et 185. nempe ſecundum primam, eamque rariorem editionem, quae T. XIV. 4. prodiit Hagae-Comitum, An. 1655-1671.

Digitized by Google

quemadmodum alibi diximus, (ad *Diarium Suecicum* p. 49.) *Londorpius* ac *Dumontius* non niſi Theotiſcam interpretationem in medium adferrent. Illud itaque, age, hoc loco ponamus.

Formula Atteſtationis Leg. Mediatorum.

"Nos infra ſcripti Sereniſſimorum Regum ac Principum in praeſenti Pacis Tractatu Mediatorum Legati notum omnibus, quorum intereſt, facimus, ac praeſenti ſcripto atteſtamur, Illuſtriſſimos Dnn. Commiſſarios Sereniſſimae Reginae Regnique Sueciae circa praeſentem Pacis tractationem *bona fide et ſtipulata manu* promiſiſſe: "Homines Catholicos in Liuonia, toto Induciarum tempore, libertate „conſcientiarum, religionis deuotioniſque Catholicae in priuato ga„uiſuros, nullamque in eos inquiſitionem et animaduerſionem eo no„mine factum iri." Quam quidem atteſtationem facimus de expreſſo conſenſu praedictorum Commiſſariorum Sueciae. In cuius rei fidem, praeſentes manibus noſtris ſubſcriptis, ſigillis itidem obſignari fecimus. Datum Stumſdorfii, die 12 menſis Septembris Anno Domini 1635."

Sereniſſ. Magnae Britanniae etc. Regis Legatus,

Georgius Douglas.

Celſorum ac Praepotentium D. D. Ordinum Generalium Foederatarum Belgicarum Prouinc. Legati,

Rochus van den Honaert.
Andreas Bicker.
Ioachim. Andree.

VI. Ad hanc formulam ſaepenumero in Oliuenſi Pacificatione prouocatum: ad hanc formatus a Suecis, de Catholicae religionis exercitio, Articulus. Qui quamuis multifariam recuſus, poſtremo tamen in priſtinam fere formam reſtitutus, ac Pacis Tabulis (Art. IV. §. 2.) additus eſt, Liuoniae Euangelicae columen ac praeſidium.

XVIII. *De*

Digitized by Google

XVIII

De Sigiſmundo Guldenſternio, L. B. ab Lundholm, Caſtellano Gedanenſi.

Tandem poſt tot tantarumque contentionum ſalebras, e quibus et ipſa aliquid noſtra oratio videtur traxiſſe, ventum eſt ad hanc velut hilarioris frontis narrationem, quam de Sigiſmundi Guldenſternii, viri magni, ac praeluſtri virtutum laude conſpicui, vita, ingenio, moribuſque ſuſcepimus. Quod vt faceremus, inuitauit atque impulit nos, praeter ipſius viri memoriam, in Actis Tabuliſque Pacis Oliuenſis aliquoties laudati, etiam incredibilis noſtra et in Ciuitatem Gedanenſem, quam ille praeclariſſime illuſtrauit, voluntas, et Gentis omnino Polonae, ſummorum virorum parentis atque altricis, admiratio. Igitur, quae ſupra (ad *Paſtorii* Diarium, p. 216.) tantum indice digito monſtrauimus, nunc propius ac curioſius intueamur.

II. Gens Guldenſternia, * hoc eſt, *de Stella Aurea*, inde ab antiquiſſimis temporibus plurimum inter Danos et nobilitate, et illuſtribus factis, et munerum ſplendore, enituit. Ex illis Regni Mareſchalci, Noruagiae Proreges aliquando delecti: complures ſupremis dignitatibus aliis condecorati ſunt. Pars in Sueciam ſeculo quinto decimo delati, nouam quaſi rerum ſeriem orſi videntur, ex quo Ericus, Erici filius, Nicolai nepos, Chriſtinae, Caroli VIII. Suecorum Regis filiae, matrimonio eſt iunctus. ** Hic vir eſt, a quo Guldenſternii in Suecia ſati; a quo ipſe Sigiſmundus genus duxit. Is enim, quemadmodum ad me olim *Stiernmanus*, talium adprime gnarus, ſcripſit, "a praedicto Erico Erici, in recta linea deſcendente, quintus „in ordine numeratur." Patre natus eſt Iohanne, praeclaro viro, qui Sigiſmundi III. Regis partes amplexus, eumdemque in Poloniam ſequutus, hanc velut alteram patriam habuit. Mater Sigfridis, e Comitibus Braheis, laudatiſſima femina. Verum haec diligentius perſequi nunc non vacat. Haud praeterierim tamen promiſſi memor

ea,

* Danis, Suecis *Gyllenſtierna*, *Gyllenſtiernii*.

** An. 1446. Conf. Dn. a STIERNMAN *Swia och Götha Höfdinge Minne*, Tom. I. p. 325. DALINI Hiſt. Regni Suec. T. II. pag. 546.

ea, quae illam in rem breuiter nec indiſerte ad Sigiſmundi Gulden-
ſternii filios perſcripſit *Paſtorius*, in Stella Aurea, c. 5. (ed. Ien.
1664. 8.) p. 30 ſq. "Originem illa (gens Guldenſternia) primum ex
„Dania traxit, in qua multis retro ſeculis ampliſſime floruit, ſic vt
„iſtic Guldenſternios ſupremis Regni muneribus honoratos legamus.
„Inter alios *Ericus*, Nili (Nicolai) filius, Regni Mareſchalcus fuit.
„Nec poſterioribus temporibus exoleuit ibidem familiae decus. Nam
„Tychonis Brahe, nobiliſſimi Aſtronomi aeuo, *Axilius*, vel, vt alii,
„*Axelius Guldenſternius* Noruegiae Prorex fuit; cuius mentionem in Vi-
„ta Tychonis facit praeclarus Mathematicus, Petrus Gaſſendus. Pri-
„mus e Dania in Sueciam nomen iſtud *Ericus Guldenſternius* intulit;
„cuius viri eximias virtutes vel inde aeſtimare licet, quod Caroli VIII.
„Suecorum Regis, Principis virtute quam fortuna maioris, gener, et
„iuxta Vicarius eſſe meruit. Regni enim Archidapifer (vulgo *Trot-*
„*zet*) fuit; quae dignitas vni Regiae ibi ſecunda eſt. Eius *Erici* ex
„*Chriſtina*, Caroli VIII. genita, filii et nepotes inter Regni patrii Se-
„natores locum habuere; pronepotes vltra progreſſi. Nam vnus eo-
„rum *Georgius* Regni Archithalaſſus, alter *Nicolaus* * trium Regum
„Cancellarius, et tandem pariter Archidapifer, adeoque Regni Pri-
„mas fuit. Familiae porro Regiae eumdem nouo vinculo vxor *Ebba*
„*Bielkia* illigauit, ſoror Gunillae, quae poſtrema Sereniſſimi Iohan-
„nis, Suecorum Regis, coniux fuit. Ex Bielkia *Nicolaus* filios tres,
„et in iis auum Veſtrum, *Iohannem*, progenuit: qui, ſua et maiorum
„virtute illuſtris, nouum decus genti ſuae intulit, ducta in matri-
„monium *Sigfridi*, Petri Brahei, Comitis in Viſingſburg, Regni Sue-
„ciae

* Conf. IOH. MESSENII Theatrum Nobilit. Suec. p. 141. quo loco HASLOBII carmen non inelegans, ad Nicolaum Guldenſternium, legitur: quod repetiit PASTORIVS l. c. cap. 9. p. 45 ſq.

** Conf. Stemma Baronum *de Stella Aurea*, apud MESSENIVM l. c. p. 60. Latius explicuit STIERNMANVS, qui in Epiſt. ad me ſcripta, *Completam*, inquit, *Gyllenſtierniorum familiam quindecim folia fere abſoluunt. — Virtutes et vitia non reticentur.*

*** THAMNITIVS in Stella Aurea Sigiſm. Guldenſternii, (Thorunii, 1649. 4.) — *Quum poſt feliciſſimos in ſtadiis priuatis decurſus, lubido te inceſſiſſet publice quoque in Militia Litterata tirocinium facere, et rudimenta tentare, delecta eſt cultu, ciuilitate, comitate cultiſſima vrbs — Thorunium: dediſti id Gymnaſii vltra vaſtiſſimi atque ampliſſimi Regni limites maxime celebris laudi, vt illuſtris tuae induſtriae arbitros non alios, quam qui hic loci docentium munere*

„ciae Mareſchalci, filia, femina eximiis ornamentis illuſtri. Matrem „ea habuit Beatam a Stenbock, ſororem Catharinae, quae Guſtaui I. „Regis Sueciae, tertia coniux fuit. Auia eidem Sigfridi contigerat „Margaretha, Regii itidem ſanguinis, quippe Guſtaui ſoror. Tot „tantiſque vinculis regnatrici Domui aliiſque praecipuis innexus auus „veſter, vir ſua indole haud ſpernendus, ad ſumma haud dubie „in patria emergere potuiſſet, niſi Sigiſmundi Regis partes amplexus, eumdemque in Poloniam, cum binis fratribus, ſequutus eſſet.“ °° —

III. Hac tali ortus proſapia Sigiſmundus, de quo dicere coepimus, atque ab ineunte aetate velut Muſarum manibus per litterarum atque artium ampliſſima ductus ſpatia, facile ad maiorum decus ac laudem peruenit. E Thorunienſi Gymnaſio, vbi pueritiam egerat, °°° in Argentoratenſem delatus Academiam, Matthiae Berneggeri, viri praeclare docti, fama pulcerrime tum illam florentem, ita huius diſciplinae ſe dedidit, ita ciuilis prudentiae ſtudiis induſtriam addixit, vt hoc ipſo duce partem Politicorum *Lipſii* inſignem, magna cum ingenii ac doctrinae gloria, ab aduerſariorum reprehenſionibus ac dubitationibus vindicaret. °°°° Adiit populos per omnem Europam cultiſſimos, Britannos, Italos, Gallos, in Belgiumque reuerſus, aliquamdiu in contubernio, vt ait *Paſtorius* l. c. p. 32. Mauritii, Principis Auriaci, egregii imperatoris, fuit. °°°°° Nec poſtea, quamquam aptior togae, durum Martem ſequi detrectauit. Sed in peregrinatione illa, praeter rerum vſum etiam omnium paene, quas Europa nouit, linguarum notitiam indefeſſa ſibi opera comparauit,

nere ſumma cum laude fungebantur, deligeres.

°°°° IVSTI LIPSII Liber III. in quo de Conſiliariis et Adminiſtris Principis diſſeritur: in Aphoriſmos reſolutus a *Sigiſm. Gyllenſtierna*, praeſide *Bernеggero*, (Argent. 1616. 4.) laudatur ab Ampliſſ. STIERNMANO, Bibl. Suio-Goth. P. II. pag. 313. Ceterum Berneggerum quanti fecerit Sigiſmundus, teſtis eſt PASTORIVS in Epiſt. Stellae Aureae praemiſſa: *Porro ſapientiae doctoribus quantum ſemper honorem habuit? Nec iis tantum, quorum magiſterio cultum animi ſui debet. Nam iſtorum ſane eruditionem ac merita gratiſſima ſemper memoria proſequitur: aliorum etiam gloriae ita fauens, vt, ipſos laudando, ſibi quodammodo delicias facere videatur. Quod ipſe toties praeſens comperi, quum inprimis virum, ſuo merito clariſſimum, Matth. Berneggerum, Prof. olim Argentoratenſem, occaſio aliqua ſermoni inſeruit.*

°°°°° Conf. THAMNITIVS l. c.

Digitized by Google

vt, quidquid eſſet vſquam excogitatum prudenter, eleganterque ſcriptum, intelligeret. °

IV. Non defuere itaque tali ac tanto viro magna atque illuſtria praemia. Nam a Vladiſlao IV. Rege Poloniae, primum Nobilitatis Indigenae iure cohoneſtatus An. MDCXXXIII. °° non multo poſt Praefectus Stumenſis, porro Fiſci Regii Mariaeburgenſis Procurator, (*Oeconomum* vocant,) conſtitutus eſt; denique ad Caſtellani Gedanenſis dignitatem, quam Staniſlaus Kobierzycius, rerum Polonarum nobiliſſimus auctor, huc vſque ornauerat, peruenit. °°° Alia, vt Theſaurarii Pruſſiae officium, praeter exſpectationem ſibi oblatum, conſtanter recuſauit; °°°° quamquam publicae rei erat tum callentiſſimus, tum ſtudioſiſſimus. Nam vt ſaepe alias, ita in Colloquio quoque, ad ſtabiliendam confirmandamque Religionum concordiam Thorunii habito, partibus ſibi demandatis egregie functus eſt, ac, quibus praeſedit, doctrinae Lutheranae ſocios conſilio, ſtudio, auctoritate validiſſime ſuſtinuit. °°°°° Nec legationem de pace ad Suecos, quum ad eam obeundam inter primariae nobilitatis dignitatiſque viros commendatus eſſet in Comitiis, An. MDCXLIX. Varſauiae celebratis, declinandam putauit: °°°°°° ſed illa quidem tum, ingenti Reipublicae damno, euentum non habuit. Egit multa alia praeclariſſime: ideoque celeriter Vladiſlao Regi, ingeniorum et virtutis acerrimo iudici,

* Vid. PASTORII Epiſt. l. c.

** PASTORIVS in Stella Aurea, c. 5. p. 33. *Vladiſlai porro Regis cura effectum eſt, vt, quotquot ex iis, qui Sigiſmundum* (Regem) *ſequuti erant, in Polonia ſupereſſent, inque illis adeo praeluſtris parens veſter, cum omni poſteritate ſua, in Comitiis publicis, illis ſcilicet, quibus anno ineunte* 1633. *Vladiſlaus Regium diadema ſuſcepit, ius Indigenatus Polonici, et ſic ad quoſuis Regni honores aditum, acciperent.* Conf. CONSTIT. REGNI Art. *Indygenat Guldeſterow*, p. 60.

*** Vid. LENGNICHII Hiſt. Pruſſ. P. VII. p. 192. In PASTORII Siluis, Lib. IV. p. 26. exſtat Carmen, honori Illuſtriſſimi Dn. Sigiſm. Guldenſternii dicatum, quum ſenatoriam Caſtellani Gedanenſis dignitatem adiret.

**** PASTORIVS l. c. — *Ad maiora, quae meruit, identidem deſtinatus, et certo peruenturus, niſi Fortunae ornamenta ſua comiter offerenti toties repulſam dediſſet, toties adhuc daret.* Conf. LENGNICHIVS l. c. p. 284.

***** Vid. PASTORIVS Flor. Pol. Lib. VI. p. 462. item Hiſt. Pol. Plen. P. I. p. 66.

****** PASTORIVS Hiſt. Plen. l. c. p. 169. *Poſthaec de legationibus, ad exteros Principes expediendis, Magnus Regni Cancellarius Oſſolinſcius diſſeruit, nominans ſimul, quos mittendos indicaret.* -- *Ad*

Digitized by Google

dici, carus acceptuſque fuit, et prorſus in familiaritatem adſcitus. *
Neque minore floruit gratia apud Iohannem Caſimirum, Vladiſlai fratrem et ſucceſſorem: cuius auſpicio, in Pacificatione Oliuenſi, diligentiſſime ipſius cauſſa eſt acta. De ea, pro inſtituti ratione, paucis abſoluam.

V. Tenuerat Guldenſterniorum gens in Sueciae Regno ampliſſima praedia: in quibus fuiſſe haud ambigam Lundholmiam, Fugleuicum, ** vnde nomen illis inditum erat *Lib. Baronum de Lundholm et Fuglewik:* nam illud *a Stella Aurea* deinde acceſſit. Sed poſtquam Iohannes, Sigiſmundi pater, alienus a Caroli IX. Regis Sueciae partibus, in Poloniam conceſſerat, auitis bonis ille omnibus in Hallandia exutus eſt. His iam reciperandis intentus Sigiſmundus, a Iohanne Caſimiro Legatiſque Polonis magno ſtudio adiuuabatur: ac ne *Paſtorius* quidem, pro ſuo ſummo in illum amore, quidquam in ſe paſſus eſt deſiderari. *** Atque illi habitus is honos fuit, vt in ipſis Pacis Oliuenſis Tabulis (Art. XXI.) eius cauſſa Suecis commendaretur, in proximis Comitiis expedienda. Sed expeditam equidem haud ſatis comperi. Interim ei alia iam fortunae fauor in Pruſſia dederat, fundis quoque dotalibus aucta atque amplificata.

VI. Vxorem Sigiſmundus An. MDCCXXXVI. duxerat e nobiliſſima Cemarum, (*von Zehmen*) quos in Pruſſiam olim ex Germania

— — *Ad paciſcendum cum Suecis, deſignabat Iohannem Leſczynium Comitem in Leſzno, Caſtellanum tum Gneſnenſem, Zbygneum Goraiſcium, Caſtellanum tum Chelmenſem, Boguſlaum Comitem de Leſzno, Maioris Poloniae Generalem, Sigiſmundum Guldenſternium, L. B. Praefectum Stumenſem, tum et Mariaeburgenſem Oeconomum.* Cf. LENGNICHIVS l. c. p. 74.

* PASTORIVS l. c. p. 86. — *Sigiſmundus Guldenſternius L. B. Praefectus Stumenſis, et Aulae Regiae intimus familiaris.* — THAMNITIVS l. c. *Glorioſiſſimi ergo huius Triumphatoris diuino iudicio, Aureae tuae Stellae ſplendor illuſtriſſimus habitus eſt, virtuteſque tales, quae Regium adplauſum mererentur. Intimis te Diuus Triumphator adhibuit, quod intimas tuas virtutes maxime perſpectas haberet.*

** *Lundholmia* ſita eſt prope Nycopiam in Sudermannia, diuerſa illa ab cognomine villa, haud procul Norcopia, in Oſtro-Gothis: *Fugleuicum*, prope Iunecopiam, in Smalandia.

*** PASTORIVS in Epiſt. ad Sigiſ. Guldenſternium inedita: — *Si interim res iuſſerit iis* (tractatibus Pacis) *intereſſe: curae mihi erunt, ita vt decet atque oportet, illa, quae Illuſtriſſima Exc. Veſtra mihi commendat.*

veniſſe conſtat, familia, vnicam Fabiani, Culmenſis Caſtellani, et Leſciniae filiam, ſexus ſui ornamentum ſplendidiſſimum. * Ex ea, vt de his tantum dicam, filios duos, Vladiſlaum Caſimirum, et Iohannem Raphaelem, quibus Stellam Auream *Paſtorius* inſcripſit, fauſto ſidere tulerat. Vir magnus profecto, in quo praeclarae virtutes omnes cumulatiſſime inerant, inprimis autem ſtudium religionis, (nec enim, vt ad me *Stiernmanus* ſcripſerat, Romana ſacra amplexus eſt,) ſapientiae vis, orationis diſertiſſimae copia, litterarum maximus domi militiaeque amor. Neque deerant tot immortalibus meritis facundi laudatores, *Conradus Thamnitius*, ** ac praecipue *Paſtorius*, qui, quod vnum laudationis genus ſatis non eſſe iudicaret, memoriam illorum et ſoluta oratione, et ſaepius etiam pulcerrimis carminibus celebrauit. *** Ex his, nihil abs re, neque Muſarum cultoribus ingratum, me facturum putaui, ſi vnum elegidion, ad illum, olim perſcriptum **** hic ſubiiciam.

Aurea praeluſtri fulgeſcit Stella nitore,
Et ſeptemgeminum ſpargit honora iubar.
Lumina prima iacit ſplendor ſublimis auorum,
Et Gothico Regum ſanguine clara domus.
Ingenii ſequitur fulgor, cui multa Mineruae
Vis, et par ſummis rebus acumen ineſt.
Pectus Apollinea reſplendet luce, loquelas
Europae cunctas lingua diſerta ſonat.
Huic comes eſt vſu prudentia nata magiſtro,
Sortis et ad varias mens bene culta vices.

Acceſſit

* PASTORIVS in Stella Aurea, l. c. *Quodſi materni quoque generis veſtri decora explicare vellem, lucem luci addere viderer. Magnus enim Cemarum, quorum vltimus ſanguis Illuſtriſſima genetrix veſtra eſt, ſplendor in hoc Regno a multis ſeculis fuit, idemque in Palatinorum Caſtellanorumque dignitatibus, quas ii ſerie inabrupta geſſerunt, adprime fulſit. Iam Leſciniorum, quos eadem inter maternos progenitores numerat, quae eminentia ſit, quae generis altitudo, dictum a nobis alibi eſt.* Conf. LENGNICHIVS l. c. T. VI. p. 96.

** Vid. Stella Aurea Illuſtriſſ. Herois ac Domini, *Sigiſmundi Guldenſtern* L. B. in

Acceſſit recti tenor indeflexus et aequi,
Cura bonique memor, puraque labe fides.[§]
Iuncta voluptatum fraenata licentia fulget,
Dignaque praeclaris ſobria vita viris.
Denique lucet apex laudum, reuerentia Caeli,
Inque ſuum pietas tota reflexa Deum.
Muſa, tot illuſtri radiantes ſidere flammas
Adſpicis, inque vna tot ſimul aſtra face?
Pulcrius an terris vſquam nitet omnibus aurum?
Pulcrior an noſtro ſtella reperta polo?
Fulgeat illa diu! Lucent quum talia, portant
In ſecli media ſidera nocte diem.

VII. Obiit anno ſuperioris ſeculi ſexto et ſexageſimo,[*****] ſepultuſque eſt in Aede Gedanenſi primaria, vbi monimentum, quod ſibi poſteriſque fecerat, adhucdum viſitur. Titulum, qui volent, apud *Paſtorium* Siluar. Lib. VI. p. 43. legant: nam a *Curico* quidem, Chron. Gedanenſ. Lib. IV. vitioſe editus eſt.

XIX. *De*

in Fogelvick et Lundholm, S. R. M. Pol. et Suec. ab intimis Conſiliis, Gubernatoris Stumenſis; Domini in Grunet Lichtenfeld etc. auctore C. THAMNITIO Thorunien. —

*** In eius honorem ſcripſit *Stellam Auream*, ſ. Facem virtutis ex natura ſtellarum accenſam. — Item carmina complura, quae *Siluarum Libris*, ac *Peplo Sarmatico* ſunt inſerta.

**** Ad Illuſtriſſ. Dn. Sigiſmundum Guldenſternium, *Camerae Regiae intimum familiarem*, Praefectum Stumenſem, Oeconomiae Regiae Mariaeburgenſem Adminiſtratorem, — in PASTORII Siluis, Lib. III. p. 75.

***** Vid. LENGNICHIVS l. c. P. VII. pag. 315.

Digitized by Google

XIX

De S. Brigittae bonis, et Iure Patronatus, in Pacific. Oliuenſi controuerſis.

Quum primum inducerem animum de S. Brigittae bonis, in Pacificatione Oliuenſi diſceptatis, exponere; ſperabam equidem fore, vt rei, denſiſſimis tenebris obductae, poſſem aliquid mea opera atque induſtria lucis adfundere. Sed ea ſpe, (fatebor enim,) tantum non penitus deiectus ſum, poſtquam, fruſtra excuſſis Annalium monimentis, etiam ceterae ſuppetiae parum opis adtulerunt. Haud enim omiſimus inprimis *Nettelbladios*, *Stiernmanos*, *Arkenholzios*, at quales et quantos viros, quam peritos rerum Suecicarum, quam noſtri ſtudioſos, conſulere. Neque tamen rem iſtam prorſus intactam relinquere nobis viſum eſt. Quo facilius huic leui opellae ab aequis arbitris venia dabitur.

II. Igitur S. Brigittam (quo nomine pleriſque dicitur, aliis, idque fortaſſe rectius, Birgitta,) ortu in Suecis nobiliſſimam conſtat fuiſſe. ° Nata eſt patre Birgero, anno quarto ſupra milleſimum treceteſimum; nubili aetate Vlphoni Gudmaro, Nericiae Praefecto, (*Lagman*) in matrimonium collocata. Moribus per omnem vitam ſanctiſſimis inclita, etiam adhuc pia veneratione colitur inter Diuas, quibus defunctam Romae anno eiuſdem ſeculi tertio et ſeptuageſimo, adſcripſit Bonifacius IX. P. M. Fuit liberalitate ac beneficentia tanta, vt vſibus ſacris praedia, pecunias, omnia ſua impenderet atque dedicaret. Nam et Vadſtenae in Suecia Coenobium, et in ipſa Vrbe Roma Xenodochium aedificauit, ſuo vtrumque vocabulo, quo plura dein

° Vid. MESSENIVS l. c. p. 44 ſq. 133-135. item MARGARETHAE, Abb. Vadſt. de S. Brigitta Chronicon, (ex Suecico verſum ab ERICO BENZELIO Vpſal. 1710. 4.) p. 26.

°° Vid. OLAI CELSII Diſſertationes de Coenobiis Birgittinis, Vpſal. 1714. 1717. 8. Perill. Dn. a NETTELBLA *Chr. Fil.* de Coenobiis Brigittinis, extra Sueciam, narratio, Francof. ad Moenum, 1764. 4.

°°° Illorum iacturam, etiam propter hanc cauſſam, dolet Ampliſſ. STIERNMANVS in Epiſt. ad me olim miſſa: *De bonis S. Brigittae Suecicae, et controuerſia ſuper illis exorta, haud ſine indigna-*

dein alia nobilitata ſunt, inſignitum. °° Sed de vita, moribus, inſtitutis S. Brigittae dudum a tot rerum auctoribus ſatis, et fortaſſe nimium ſatis, eſt dictum. Conf. *Margarethae*, Abbatiſſae Vadſtenenſis, de S. Brigitta Chronicon: *Vaſtonii* Vitis Aquilonica: *Erici Benzelii* Diarium Vazſtenenſe: *Andr. Olai Rhyzelii* Monaſteriologia Suio-Gothica. — Nos igitur, his ac talibus praetermiſſis, ad propoſitum veniamus.

III. Diu iam in Oliuenſi conuentu actum erat pacis negotium, quum primum a Polonis bonorum S. Brigittae mentio iniiceretur. Eam rem omnem paucis complexus eſt *Pufendorfius*, Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VII. §. 7. p. 608. "Extrema, inquit, declaratio Polonorum haec erat: Iohannem Caſimirum titulo aduerſus „Succiam abſtenturum. — Contra *bona Diuae Brigittae in Suecia ſita* ſibi redderentur; quae Pontifici oblaturus ſit in vſum templi, „quod Romae iſti Diuae poſitum eſt. — Ad quae Sueci: — Bona Brigittae nulla ibi exſtare." Credibile autem eſt, haec illum hauſiſſe ex Actis Diurnis Legatorum iis, quae in Holmienſi incendio abſorpta periiſſe alibi memorauimus. °°° In his enim, quae ad nos peruenerunt, nulla iſtius cauſſae mentio. Ac fuit omnino Poloniae Regum, e gente Vuaſiaca, ſingularis quaedam in S. Brigittam reuerentia, adeo vt, quem fama vulgarat geſtatum ab illa eſſe, annulum Sigiſmundus III. ingenti pretio redemerit. °°°° Nihil de illius reliquiis, quondam Vadſtenae ſeruatis, dicam. °°°°° Nec enim, vt has ipſas bonorum, apud *Pufendorfium*, nomine indigitari crederem, adduci me paſſus ſum. Verum bona illa ſi praedia quaedam fuiſſe aiam, Coenobio Vadſtenenſi olim donata, haud multum videar a vero aberraſſe. Quippe Coenobio per ſacrorum in Suecia conuerſionem exaugurato, ea ſibi Iohannes Caſimirus, qui ad Brigittam genus referebat,

dignatione confiteor me nihil plane habere, quod ad te perſcribere auſim. Huc ſpectantia omnia igne perierunt, vna cum Protocollis Pacis Oliuenſis.

**** OGERIVS Ephem. p. 164. de Monialibus S. Brigittae Gedanenſibus: *Habent ſingulae*, inquit, *annulum, quo profitentes religionem quoque deſponſantur Chriſto. Eum habebant, quem ipſa S. Brigitta tulerat: quem ſibi habere Rex Poloniae Sigiſmundus, pater huius Vladiſlai*, (IV.) *voluit, caroque emit.*

***** Conf. VERVINGII Hiſt. Sigiſmundi III. Regis, P. I. p. 431.

rebat, * velut gentilitio iure debita repoſcebat. Sed enim de his alii peritiores iudicent. Ceterum poſtulationem illam, a Suecis reiectam, mox et Poloni deſeruerunt.

IV. Ventum eſt ad aliam, haud prorſus diſſimilem, de S. Brigittae Iure Patronatus: quam a *Puſendorſio*, atque ab ipſo *Paſtorio* praetermiſſam, *Diaria* illa cum *Suecicum*, tum *Polonum MS.* commemorant. Ius autem illud Patronatus nihil aliud profecto, quam fidei tutelaeque ius ac poteſtas in Domum S. Brigittae: quo nomine Brigittinum in Vrbe Xenodochium, cuius ante memini, adpellatum eſt. ** Monaſterium falſo vocant plerique recentiores: ea propter iam reprehenſi ab *Olao Celſio*, Diſſ. II. de Coenobiis Birgittinis, §. VI. p. 29. "Monaſterium S. Birgittae Romanum, inquit, a quibuſ„dam minus recte dicitur: numquam enim moniales aliquae, vel „monachi, heic ſecundum Regulae obſeruantiam vixerunt, ſed re„ceptaculum fuit ordinarium monachorum, Vadſtena iterum atque „iterum Romam ablegatorum, vt grauioribus Coenobii negotiis a„pud Sedem Romanam, Procuratorum Coenobii Vadſtenenſis no„mine, inuigilarent." Hanc Domum Hoſpitalem Brigitta, quamquam longe a *Floralibus* auerſa, ad *Campum* quidem *Florae*, (nunc a Farneſiorum palatio *Forum Farneſianum* vocatur,) ipſa olim condiderat: hanc Romae habuerat gratiſſimum habitaculum, et quaſi vltimam rerum humanarum ſtationem, vita ibi, quam et multis et magnis pietatis operibus illuſtrarat, defuncta. Acceſſit inſequenti aetate his ipſis aedibus nouum, idque inſigne decus, templum illius memoriae dicatum: quod, vna cum aedibus, temporis diuturnitate adeſum, bis inſtauratum eſt, ſemel ſub Leone X. iterum ſub Alexandro VIII.

V. Atque huius Domus tutelam eodem ſibi iure, quo S. Brigittae bona, Iohannes Caſimirus Rex adrogabat. Itaque Oliuae res aliquoties a Legato Gallo propoſita: tandem ſic confecta eſt, vt Sueci ſe neque Regi Poloniae quidquam impedimenti obiecturos, neque Chriſtinam Reginam, ſi quid tale moliretur, adiuturos promitterent. Vid.

* Vid. MESSENIVS l. c. p. 45.

** DIARIVM VAZSTENENSE (ex MS. editum, Bullis, Diplomatibus ac notis illuſtratum ab ERICO BENZELIO Vpſal. 1721. 4.) p. 39. 104. 162. *Domus S. Birgittae in Roma:* p. 164 ſq. 168. 178. *Domus matris noſtrae S. Birgittae.*

Digitized by Google

Vid. *Diarium Suecicum*, p. 103. Huius autem pactionis memoriam certis de cauſſis, quemadmodum eſt apud *Diarii Poloni MS.* auctorem, (ad d. XIV Apr.) inſeri Pacis Tabulis noluerunt: ſatis eſſe dictitantes, ſi Legati Galli teſtimonio confirmata foret. Quod quidem an perſcriptum exhibitumque fuerit, haud ſatis ſcio. Ceterum ex eo tempore S. Brigittae Domus in patrocinio ac iure Iohannis Caſimiri eſſe coepit.

VI. Poſt eius obitum, illa a Clemente X. Pont. Ro. Chriſtinae Reginae, quae Regni pertaeſa dudum Romae vitam degebat, concredita eſt. Id quod plenius cognoſcere licebit ex Illuſtr. *Arkenholzii* Commentariis, de rebus Chriſtinae, Tom. III. pag. 466 ſq. Verba illius haec ſunt: "Enfin, *Galdenblad* rapporte dans ſon Re„cueil, que Chriſtine peu de tems avant ſa mort l'avoit fait venir, „et lui avoit dit, qu'elle rejouiſſoit fort toutes les fois, qu'elle ap„prenoit la converſion des Suédois, et qu'elle penſoit aux moyens „d'établir quelque choſe de fixe pour leur ſoûtien. Par deux Lettres „au Pape, ſans date, on voit, que les nouveaux Convertis tiroient „leurs penſions des Revenus *du Monaſtére de Ste Brigitte, Princeſſe de „Suéde*, à Rome; que la Reine par la mort du Roi Caſimir de Polo„gne, et en vertu d'un Bref du Pape Clement X. étoit devenue *Pro„tectrice* de ce Monaſtere, et en avoit l'adminiſtration, comme une „Reine Catholique de la Nation des Goths; que le gouvernement „de ce ſaint lieu de Rome avoit été donné par la Ste Mére Brigitte „aux Religieuſes de Vadſténe en Suéde; que ce Monaſtére devoit „auſſi reſter ſous la protection Royale du Roi et de la Couronne de „Suéde, tant que ce ſeroit un Sujet Catholique; qu'autrement il „ſeroit ſous celle du Cardinal Protecteur de cette Egliſe. — En„ſuite du ſousdit Bref du Pape Clément X. les Revenus de ce Mona„ſtére furent-ils, du tems de Chriſtine, appliqués à l'entretien de „Suédois convertis, ou pauvres." Enimuero male actum illis temporibus cum Brigittina Domo fuiſſe, ſat certum habeo ex iis, quae

Kkkk 2 benigni-

gittae. — OLAVS CELSIVS Diſſ. II. p. 29. *Templum Domui Suecorum ſumtibus eſt adpoſitum, quod ſub Pontifice Leone X. inſtauratum, ſequentia verba ſupra portam lectoribus hodienum oſtendit:* "Domus S. Brigittae Vatſten. de regno Suetiae, inſtaurata anno Domini „1513."

benigniter ad me iuſſit perſcribi Eminentiſſimus Cardinalis, ALEX. ALBANI, eximium aeui noſtri decus: penes quem nunc eſt illius patrocinium. Sed haec, aliena ab inſtituto noſtro, aliis narranda relinquimus.

XX
De vectigalibus Pomeranicis, inter Suecos atque Electorem Brandeburgicum diſceptatis.

In grauioribus cauſſis, Oliuae agitatis, etiam vectigalia fuiſſe Pomeranica, Hylan illum toties dictum, ex *Diario Paſtorii*, item ex *Suecico*, et *Polono MS.* ſatis adparet. Quam rem vt, qui velint, plenius et adcuratius cognoſcant, eam nos inde ab initio repetemus.

II. Inſtituerant Sueci bello tricennali, quo, vt fit, quiduis et facere et pati ius faſque videbatur, noua et per Megapolin, et per Pomeraniam vectigalia, (*Licenten*) non ſolum incolis grauia illa, ſed omnino commerciis pernicioſiſſima. Quo magis, vt ea penitus tollerentur atque abolerentur, Pomerani, (nam de Megapoli nunc nihil dicam,) adnitebantur per Marcum Eikſtadium, ac Frid. Rungium, prudentiſſimos viros, quos ad Pacificationem Vueſtphalicam miſerant. * Qui profecto diem, quo ſuper hac cauſſa non egiſſent inprimis cum Oxenſtirnio atque Saluio, Legatis Suecicis, ſe perdidiſſe exiſtimabant. Quod ſingulare ſtudium illorum plane teſtatum perſpectumque habeo ex Commentariis Rerum Quotidianarum, ab iis diligenter perſcriptis: ** quos, in ſcriniis ſeruatos, mecum humaniſſime communicauit *Aug. a Balthaſar*, clari nominis ICtus, et in Curia Regia Suprema Viſmariae Adſeſſor. In illo autem conuentu, quum

* Conf. Dni a MEIERN Narrationes, de vita et factis Legatorum ad Pacificationem Vueſtphalicam: praemiſſae Indici Actorum Pacis, pag. 101 ſq.

** *Relation der beiden Pommeriſchen, nach Oſnabrüg abgeordneten Deputirten, als Marx von Eickſtedt, und Frid. Rungii, von allem, was bey dem Friedens-Congreſs wegen Pommern vorgegangen, vom Octobr. 1645. — 1647.* Qui quidem Commentarii non ſunt diuerſi ab iis, quos laudat Cl. OELRICHESIVS in Symbolis Hiſt. et Litt. p. 57 ſq.

Digitized by Google

quum praecipua conſiliorum vis atque auctoritas fere eſſet penes Suecos, facile hi quidem obtinuerunt, praeſertim iuuantibus Gallis, * vt vectigalia, quae huc vſque habuiſſent, (*moderna* vocantur in Tabulis Pacis,) et in poſterum retinerent. Sed nos verba ipſa Pacis, Art. X. §. 13. hic ſubiiciamus. "Ad haec concedit eidem (Regiae Maie-„ſtati Sueciae) *moderna vectigalia*, vulgo *Licenten* vocata, ad littora „portuſque Pomeraniae atque Megapoleos, iure perpetuo; ſed ad e-„am taxae moderationem reducenda, ne commercia in iis locis in-„tercidant. "

III. Iam vero haec, etſi ad loca tantum pertinerent Sueciae tradita, eo tamen valere contendebant Sueci, vt omnia omnino vectigalia comprehenderent, etiam quae in Pomeraniae Vlterioris, ſ. Brandeburgicae, littoribus ac portubus inſtituta eſſent. Suecis itaque illa retinentibus, magnarum litium noua materies exſtitit. Ac principio Elector Brandeburgicus tanto maiore animo obnitebatur, quod et Imperii Ordines, et Caeſar ipſe, Pacis iſta interpretamenta reſpuerent. Etenim, vt ait *Pufendorfius*, Rer. Brandeb. Lib. III. §. 57. p. 186. „in hoc negotio Caeſar atque Ordines cenſebant, Suecis ad iſta vecti-„galia neque a Tabulis Pacis, neque aliunde, quidquam iuris com-„petere. Ac Caeſarei Legati, qui Oſnabrugae fuerant, teſtabantur, „ſibi numquam in mentem veniſſe, Suecis vectigalia ad totum littus „Maris Baltici concedere: ſed quia in praecedente *§pho pr.* vectigalia „antiqua duntaxat ipſis indulta fuerint, ac iidem *§pho ſq.* poſtularint, „etiam noua vectigalia, a ſe inſtituta ad oram Mecklenburgi et Po-„meraniae, addi, ſe pacis cauſſa illa adnuiſſe *iis in locis*, *quae Sueciae* „*ceſſa ſint*, et amplius nihil: per Articulum autem nonum Inſtr. Pa-„cis, noua vectigalia aliis in locis abolita eſſe." Quae quamuis ita „ſe haberent: mox Brandeburgico tamen ſatius viſum eſt, totam rem „tranſactione componere.

 IV. Ab

* In vniuerſum de cauſſa Pomeranica, ſcribit CHRIST. FORSTNERVS in Epiſt. negotium Pacis Oſnabrugo-Monaſterienſis concernentibus, (Montiſpel. 1670. 12.) p. 96. *Hic fuit exitus negotii difficillimi, Claudii Memmii praecipue, (quod grata poſteritas agnoſcat!) opera, induſtria, diligentiaque prope incredibili confecti.* Vnde et PFANNERVS Hiſt. Pac. Vueſtph. Lib. IV. §. 6. p. 423. *Memmium*, Legatum Gallum, vocat *praecipuum Conuentionis auctorem.* Conf. PVFENDORFIVS de Reb. Suec. Lib. XIX. §. 85. 86. p. 738 ſqq.

IV. Ab hoc conſilio quum ne Sueci quidem abhorerrent, conditiones vtrimque in medium prolatae ſunt; a Brandeburgicis variae atque diuerſae, a Suecis vna illa vectigalium communio. „Noſtri, inquit *Puſendorfius*, l. c. §. 56. p. 185. circa vectigalia vnum atque alterum temperamentum proponebant, ac primo quidem, vt Sueci ea tantiſper retinerent, quoad ſuper hiſce tranſactum ſit: inde vt ad ſexennium iis fruerentur, prouincia protinus reſtituta. Sed Sueci omnem temporariam tranſactionem adſpernabantur, velut quibus perſuaſum erat, Electorem, vbi ſemel prouincia ſua potitus ſit, id negotium ad deciſionem Caeſaris pertracturum, qui ſine dubio, ſecundum ipſum, litem daturus erat. Mox et per Ducem Croiae centum Vncialium millia offerebantur, redimendae liti. Nam vt directe id faceret, haud congruebat, ne, quod hactenus impugnatum fuerat, ius agnoſci videretur. Ac in Aula Caeſarea haec vis litem componendi promtiſſima habita fuerat. Sed Sueci et hoc reiecto demum adſerebant, ſe Electorem ad dimidiae partis communionem admiſſuros: id quod huic multis nominibus diſplicebat. Nam et ipſa communio, litium genetrix, moleſta erat; et inhumanum videbatur, Reginam, ob tantillum emolumentum, tantum ipſius dignitati ac ſupremo iuri praeiudicium inferre velle, quod illibatum eidem in Vlteriorem Pomeraniam competebat: inprimis, vbi iſta directionem vectigalium ſibi adrogaret, eaque pro lubitu intendere, aut remittere, merceſque taxare inſtitueret. Quo admiſſo, commercia prouinciae alienae libidini obnoxia futura erant, ſibique tolerandum, vt Suecici publicani ciuibus ſuis inſultarent.“ E contrario Sueci, ſolliciti nimirum, ne Brandeburgicus Elector vectigalibus iis ſolus potitus, anſam adriperet commercia Citerioris Pomeraniae intercipiendi, * illam communionem, tamquam vnum idque praeſentiſſimum rei expediendae medium, iterum iterumque proponebant: nec deſtiterunt ante, quam in illa etiam Elector adquieſceret.

V. Itaque in conuentu eo, qui a Suecicis Brandeburgiiſque Stetini habitus eſt regundis vtriuſque Pomeraniae finibus, tandem An. MDCLIII.

* Vid. PVFENDORFIVS Comm. de Rebus Suecic. Lib. XXV. §. 30. pag. 1043.

** Primum editus eſt An. 1663. Stralſundae, non, vt alibi ſecundum alios dictum eſt, Stetini: recuſus in DIARIO

MDCLIII. ſuper vectigalibus quoque inita pactio fuit. Quippe "Elector, (verba ſunt *Puſendorfii*, l. c. §. 57. p. 186.) quum ſtatum „Germaniae ac vicinorum trutinaſſet, tum vt ciues ſuos exterorum „oppreſſioni ſubduceret, demum in participationem dimidii vectigalis conſentire decreuit ea lege, vt Sueci Vlteriorem Pomeraniam citra moram reſtituant, ac ipſius Poſtulato in Comitiis ſuffragentur, „vt ſibi ſatisfiat de eo, quod per ductum limitis, et ob detentam per „triennium prouinciam deceſſit." Sed nos, morem noſtrum ſequuti, formulam ipſam pactionis, ex Receſſu, vt vocant, Limitaneo, **) cui inſerta eſt Art. XXX. hoc loco repetamus. „Cum item Reginae „Regibuſque ac Regno Sueciae a S. Caeſ. Maieſtate atque Imperio „moderna vectigalia ad littora portuſque Pomeraniae ac Megapoleos „iure perpetuo conceſſa ſint, ac eam conceſſionem, vtpote in ſatisfactionem Regiam factam, ex vi vocum generalium ac indeterminatarum Inſtr. Pac. ad littora portuſque tam Vlterioris quam Citerioris „Pomeraniae extenſam voluiſſet S. R. Maieſtas, Sereniſſimus vero Elector ad loca Regno Sueciae non euentualiter, ſed de praeſenti ceſſa, „excluſis, donec caſus aperturae extiterit, littoribus portubuſque reliquae Pomeraniae ſibi ceſſae, reſtringi debere exiſtimaſſet, eaque res „acri animorum concertatione diu multumque diſceptata eſſet: Tandem Dei auxilio, amicabili tranſactione res ita compoſita eſt, ut S. R. „Maieſtas augendae firmandaeque amicitiae, ac bonae vicinitatis, „nec non conteſtandi affectus ſui cauſſa erga S. Ser. Elect. propinquo „ſanguinis nexu ſibi iunctam, pluresque alios ob reſpectus Sereniſſ. „Dnum Electorem in perceptionem, pro parte dimidia, communium vectigalium, in portubus Vlterioris Pomeraniae Electoralis exigendorum, (exceptis vectigalibus antiquis, quorum plena ac indiuiſa perceptio Ser. S. Elect. vigore Inſtr. Pac. ex iure territoriali debita permanebit,) nec non emolumentorum in iiſdem portubus, „ex confiſcatione circa ea reſultantium, ex fauore admiſerit, vti adeo hiſce admittit, eam vero admiſſionem certis conditionibus, ſuper quibus peculiari conuentione tranſactum eſt, determinari paſſa „eſt.

EVROP. P. VIII. p. 612. in LONDORPII Actis Publ. T. VIII. p. 851. et apud GASTELIVM de ſtatu publico Europae nouiſſimo, p. 601.

Digitized by Google

„eſt.“ Conf. *Puſendorfius* l. c. §. 58. p. 187. item Rer. Suec. l. c. *Pfannerus* Hiſt. Comit. Ratiſb. Lib. I. §. 7. ſqq. p. 9. — II. §. 37. pag. 201 ſq. —

VI. In haec itaque verba tum conuentum. At vero Elector mox conqueri de onere, ſibi praeter ius faſque impoſito; eique vt ſubduceret ſe, omnia ſedulo moliri. Quapropter in Oliuenſi Pacificatione iniunxerat Legatis, poſtularent, vt aboleretur vectigalium illud in Vlteriore Pomerania conſortium, ſuaque ſibi iura integra atque illibata ſeruarentur. Vid. *Puſendorfius* Rer. Brandeb. Lib. VIII. §. 46. p. 501. Quod quidem actum eſt aliquoties, ſtudio atque opera Mediatoris Galli: ſed nullo plane ſucceſſu. Nam Sueci modo reiicere totam rem ad Imperii negotia, quae nunc agere nihil adtineret: modo negare ſe mandatis inſtructos: modo immenſam pecuniae vim, ac tres inſuper haud incelebres ciuitates, in redhoſtimentum poſcere. Tam enim proficua iſta ſibi vectigalia eſſe, vt octoginta Florenûm millia (ſic *Paſtorius* refert, contra *Puſendorfius* tantum octo Vncialium millia numerat, *) quotannis conficiant. “E vectigalibus „Pomeraniae, inquit *Puſendorfius* l. c. §. 69. p. 520. octo Vncialium „millia annua ſibi redire: quae non niſi quadringentis Polonicorum „Florenorum millibus, ac tribus inſuper in Pomerania oppidis, redi„mi poſſint.“ Verum quidquid huius rei tum fuerit, cauſſa tota clarius patet ex *Diario Paſtorii*, p. 241. 258. itemque ex *Suecico*, p. 188.

VII. Ceterum, quae Oliuae ad alius temporis opportunitatem ſepoſita eſt cauſſa vectigalium, Electori tandem An. MDCLXXIX. ex voto ceſſit, pace ad Fanum S. Germani ad Layam (*S. Germain en Laye*) ſancita. Secundum hanc, Art. IX. communio vectigalium abolita eſt. Vid. *Puſendorfius* l. c. Lib. XVII. §. 79. 80. p. 1358 ſqq.

XXI. *De*

* Haud ſatis adcurate. Crediderim PVFENDORFIVM ſcripſiſſe, *octoginta* Vncialium millia: quae ſumma in Diario Pol. MS. diſertis verbis memoratur, ad d. XIX. Apr.

Digitized by Google

XXI
De ſubſcriptione Pacis Oliuenſis.

In hoc Capite explicando, non eſt profecto, quod multum operae atque temporis conſumam. Eſt enim res ipſa in *Diario Suecico*, pag. 334. tam plane prodita ac diligenter, vt nihil magis. Quo igitur, dicet aliquis, haec talis diſputatio? Nempe, vt quae vulgo de ſubſcriptione Oliuenſis Pacis perperam tradita ſunt, in medium adlata leuiter corrigamus, ſolo veritatis ſtudio, quo nihil prius atque antiquius nobis vmquam erit.

II. Poſt longas moras, tandem concluſa Oliuae pax, die tertia Maii. Tradunt plerique, tum et ſubſcriptionem a Legatis peractam eſſe, Tabulaſque ipſas commutatas. Longum foret, in ſcenam ſingulos producere: paucis, iiſque haud ignobilibus, defungar exemplis. Primum in his dabimus locum *Ge. Reinh. Curico*, rerum Gedanenſium idoneo auctori: cuius in Additionibus, ad Chronicon, p. 382. haec leguntur: — "Erlangete dieſer Friedens-Werk, vermittelſt „Göttlicher Hülſe, endlich ſeine Richtigkeit, und ward ſelbiger den „3 May, ſt. n. und 23 April. ſt. v. in der Nacht, zwiſchen 1 und 2 „Uhr geſchloſſen, auch allerſeits unterſchrieben. Gleich denſelben „Augenblick nach Unterſchreibung des Friedens-Inſtruments, wurde „daſſelbe durch die Secretarien bey jeglicher Geſandtſchafft, und „auf Vermittelung des Franzöſiſchen Ambaſſadeur alſobald gegen „einander auffgewechſelt. — — Der Herr *de Lumbres* nahm von ei„nem jeglichen in einem Augenblick die unterſchriebenen Friedens„Inſtrumenta, legete die Hände Creuzweiſſ über einander, und ver„wechſelte alſo zugleich, faſt in einem Nun, den von einem jeglichen „Theil gemachten Friedenſchluſſ." — Ad eumdem modum commemorauit rem *Ioh. Chriſt. Lunigius*, Theſ. Cerem. T. I. p. 856. ſq. Quem locum, velut e longinquo monſtratum a nobis alibi, (v. *Diarium Suecicum*, p. 302. n.°) hic quidem oculis eorum, qui ſint talium non incurioſi, propius conſpiciendum praebebo. „Endlich wur„de der Friede, nach ſo vielen Schwierigkeiten, am 23 April. An. „1660. Nachts um halb 12 Vhr geſchloſſen. Die Vnterſchrifft deſſel-

Digitized by Google

„ben ſolte erſtlich in der Kirche geſchehen: zu welchem Ende ſchon „in derſelben Tiſche für die Schweden, Polen und ihre Alliirten ge-„ſetzet waren. Weil aber die Kaiſerlichen Gevollmächtigten, ſo „doch nur von einer Neben-Parthey, den Vorgang vor den Polen, „als einer Haupt-Parthey, bey dieſem Congreſſ haben, und gleich-„ſam ein Directorium führen, auch *Mr. de l' Ombres* nicht zugegen „haben wollten; ſo wurden die Tiſche gegen Abend wieder wegge-„ſchaffet, und die Vnterſchrifft geſchah folgender maſſen. Anfangs „wurden die Exemplaria, ſo unterſchrieben werden ſolten, in derje-„nigen Laube, durch welche man aus dem Schwediſchen nach dem „Polniſchen Zimmer gieng, durch den Secretaire des H. *de l' Ombres* „öffentlich gegen einander verwechſelt, und in Gegenwart einer „groſſen Menge Volcks — laut abgeleſen. Dieſes währte bis in die „ſpäte Nacht; ſo daſs erſt Abends um 10 Uhr die Unterſchrifft voll-„zogen wurde. — — Als nun die Unterſchrifft und Unterſiegelung „auf ſolche Art geſchehen; ſo kamen die Secretarii in oben gemeld-„ter Laube wieder zuſammen. Der H. Mediator ſtund in der Mitten, „und die beyden Secretarien traten zugleich jeder von ſeinem Orte „dahin, machten faſt keine Ceremonien, und der H. Mediator nahm „von einem jeglichen in einem Augenblick die unterſchriebenen Frie-„dens-Inſtrumenta, legte damit die Hände der Secretarien Creuz-„weiſs über einander, und verwechſelte alſo dieſelben faſt in einem Au-„genblik. Der Schwediſche Secretarius ſagte nichts mehr, als: *Felix „fauſtumque!*" — Atque his vulgatis ea, quae in Excerptis Epiſt. Gallic. dudum ad me perſcripſit *Ioſephus Barrius*, immortalis nominis vir, Academiae Pariſinae olim Cancellarius, addere lubitum eſt, vt, Manibus Patroni Optimi velut inferiis redditis, beneuolentiam illius erga me ſingularem grata memoria recolam. Sic iſta autem habent: „Les differends entre la Pologne et la Suede, et ceux de l' Empereur „et de l' Electeur de Brandebourg, furent terminés le 3 du May 1660. „Le Traité fut ſigné vers les onze heures du ſoir par les Commiſſaires „et les Mediateurs, et auſſitôt on chanta le *Te Deum* dans l' Egliſe „d'Oliva." —

III. Quodſi quis haec et talia cum iis contendat, quae in *Diario Suecico* diligentiſſime veriſſimeque expoſita leguntur, facile, vt eſt in

Digitized by Google

in prouerbio, quid aera diſtent lupinis, animaduertet. Nam etſi Articulis omnibus, vt quiſque confectus erat, ſtatim ſubſcripſerunt Secretarii Legationum: Tabulae tamen Pacis illo tempore nondum in vnum redactae corpus, nondum Legatorum ipſorum firmatae manibus, et, vt moris eſt, mutuo inter eos exhibitae fuerunt. Nec nobis obuertat quiſquam, quod illae dicantur (Art. vlt. P. Ol.) manibus ſigilliſque propriis Legatorum ac Commiſſariorum, item Pacificatoris Galli, munitae, firmatae, datae Oliuae *die tertia Maii*, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo. Scio equidem, nec ſententiam tamen muto. Eſt enim tempus ſubſcriptionis, ſubſignationis, commutationiſque retractum ad hanc Maii diem tertiam, qua pax ſancita, atque Articulus, quem vocant, Promulgatorius commutatus. Vid. *Diarium Suecicum*, p. 297. 300 — 304. Quippe maturanti abitum Regi hoc datum eſt merito, vt, Tabulis licet nondum perfectis, pacis tamen certus in Poloniam reuerteretur.

IV. Ab hoc tempore adornandis Tabulis indefeſſum ſtudium inſumtum eſt; iiſque tandem a. d. X Maii, ſollemni ritu ſubſcriptum. Quam earum ſubſcriptionem, longe ab illa Articuli Promulgatorii diuerſam, recte atque ordine memorat *Puſendorſius*, Comm. de rebus Caroli Guſtaui Lib. VII. §. 14. p. 612. et, qui eum pede preſſo ſequitur, *Lengnichius*, l. c. P. VII. p. 238 ſq. Nos igitur illum audiamus. „Sollemnis promulgatio pacis *pridie Kal. Maias* (ſt. v.) fiebat, poſtquam ſuper iis, quae ante ſubſcriptionem adhuc perficienda forent, „inter quae et Formulae Ratificationum erant, plene conuentum, ac „ſubſcriptio ab omnibus facta eſt, — — hoc modo. — Initio exemplaria ſubſcribenda in porticu, quae e Suecico conclaui ad Polonicum ducebat, per Secretarium Lumbrani publice commutabantur, „et clara voce praelegebantur, magna hominum turba circumfuſa, quae „Gedano huc excurrerat. Quae res in ſeram noctem extracta eſt, „ſic vt hora decima demum ſubſcriptio ſuſciperetur. Quia autem „ſubſcriptio ab altera parte, praeſentibus in eodem conclaui Polonis, „Caeſareis, et Brandeburgicis, fieri debebat; Sequeſter autem, quem „Caeſarei agnoſcere nolebant, quoties Caeſarei adeſſent, nunquam „Polonos et Electorales adibat: id temperamentum inuentum eſt, vt, „peracta recitatione, Secretarii in Sequeſtris conclaue ſe conferrent,

LIll 2 ac

Digitized by Google

„ac exempla ad ſubſcriptionem ipſi offerrent. Quo facto Sequeſter „Polonicum, Caeſareum et Brandeburgicum Inſtrumentum Suecico „Secretario, Suecica Inſtrumenta Polonico, Caeſareo, et Brandebur„gico Secretario tradebat, qui haec Suecis ſubſcribenda offerebat, „dum Suecicus Secretarius eadem Polonis et Foederatis ſubſcribenda „offert. Eo peracto, Poloni Caeſareis, tum et Electoralibus, pecu„liaria exempla ſubſcribenda obtulerunt, quod vtrique Gallum Seque„ſtrem non agnoſcerent, eoque ſimul cum Polonis et Gallo ſubſcri„bere nollent. Vnde in autographo Inſtrumento, Caeſareis tradito, „in Epilogo Mediatoris mentio facta non eſt. Quod autem Electora„les peculiare Inſtrumentum tradère debuerint, vtut iam cum Polo„nis prius ſubſcripſiſſent, cauſſa erat, quod in exemplo Polonis tra„dito tituli mutilati, in aliis autem tituli integri ponerentur. Hoc „modo facta ſubſcriptione et ſigillatione, quilibet Secretariorum ſuis „Superioribus commutata Inſtrumenta tradidit.“ Atque haec paene cum puluiſculo, vt aiunt, ſumſit *Puſendorſius* e *Diario Suecico*, id temporis adhuc inedito: quod nunc publici a me iuris factum, euoluatur l. c.

V. Hanc ſubſcriptionem miſcent cum altera illa praecipue ii, quos ſupra memoraui; tanto facilius inducti in errorem, quanto magis inſolitum, pacem promulgare, nondum concinnatis Tabulis atque expeditis. Et ſunt in iſta Oliuenſis Pacis ſubſcriptione quaedam alia ſingularia: veluti, quod “Autographa, quemadmodum ait *Puſen„dorſius*, l. c. p. 613. tunc chartae inſcribebantur, poſt cum perga„menae inſcriptis permutanda, quia haec longiorem ad deſcriben„dum moram poſtularent, ac Poloni diſceſſum valde feſtinarent.“ Conf. *Diarium Suecicum*, p. 338. Ceterum hoc leue, quod de Schlippenbachio Comite relatum reperi, calamos ſibi eum, quibus in ſubſcribendis Pacis Tabulis vſi Legati eſſent, collectos ſeruaſſe. Tales quippe complures conquiſiuiſſe, ac magni theſauri inſtar habuiſſe. Res digna ſcilicet, quae inſeratur *Ackeri* Hiſtoriae Pennarum.

Digitized by Google

XXII
Pacis Oliuenſis atque Vueſtphalicae Collatio.

Sit igitur Caput hoc datum Pacis Oliuenſis ac Vueſtphalicae Collationi: quam ſi eruditis arbitris nihil admodum aliud, rei certe nouitas, (quis enim ante molitus eſt?) commendet. Me quidem ad hanc Collationem inſtituendam impulit, quod viderem Pacem Vueſtphalicam non modo in Actis Oliuenſis Pacis ſaepenumero laudari, ſed omnino huius totius praecipuum fuiſſe exemplar. Quod vt plane adpareat, ſunt primo loco res, deinde formulae, inter ſe comparandae.

II. In Oliuenſi conuentu ſemel iterumque poſtulauerant Sueci, vt Paci Vueſtphalicae Imperator nouum robur ac firmamentum adderet, et, quod reliquum eſſet, exſecutioni mandaret. Vid. Propoſitio Legat. Suecic. in negotio Pacis, cum Legatis Caeſareis, in *Diario Europ.* l. c. p. 34. — Conf. *Puſendorfius* de Reb. Caroli Guſtaui, Lib. VII. §. 5. p. 607 §. 13. p. 611 ſq. item de Reb. Brandeb. Lib. VIII. §. 57. p. 510. §. 68. p. 519. Sed hoc quidem Suecorum poſtulatum Caeſarei, tamquam abſonum et ab illis tractatibus abhorrens, omnino reiecerunt. Neque tamen idcirco in aliis cauſſis minus tum viſa eſt Pacis Vueſtphalicae ratio habenda. Nam, vt inde ordiar, vnde Tabulae ipſae incipiunt, ad eius formam compoſitum eſſe Articulum, quem vocant, Amicitiae, et *Paſtorius* teſtatur in Diario, p. 261. et res ipſa docet. Ac praecipue in clauſula volebant Sueci, de pactis prioribus vel ſtabiliendis vel abolendis, Pacis Vueſtphalicae modum ſeruari. Vid. *Paſtorius* l. c. p. 236 — 39. 244. *Diarium Suecicum*, p. 122. 130. 192. Seruatuſque is eſt in Amneſtiae Articulo.

III. Porro in exercitio Religionis Ro. Catholicae apud Liuonos ordinando, ipſi Legati Suecici profitentur ſequutos ſe eſſe non modo Stumdorfienſium Induciarum, ſed etiam Pacis Vueſtphalicae, exemplum. Vid. *Diarium Suec.* p. 359. Quippe in ea quoque (Art. V. §. 34.) ſancitum, „vt et Catholici Aug. Confeſs. Statuum ſubditi,

„qui An. MDCXXIV. publicum vel etiam priuatum religionis ſuae „exercitium nulla anni parte habuerunt, — patienter tolerentur, *et „conſcientia libera domi deuotioni ſuae, ſine inquiſitione aut turbatione, „priuatim vacare — non prohibeantur.*“ Secundum eamdem Pacem fuit, quod in Liuonia modo Sueci *Ius Reformandi* ſibi adrogabant, modo Poloni eccleſias aliquot pro Catholicis poſtulabant, ſicut Lutheranis nonnullae in Sileſia eſſent conceſſae. Vid. *Diarium Suecicum*, p. 27. *Paſtorius* p. 191. Mitto alia plura, minus his grauia: ſiquidem pro inſtituti ratione nobis ſuffecerit, ſimilitudinem in magnis tantum rebus et memoria dignis oſtendere. Atque illa clariſſime cernitur in Guarantiae Articulo, ſiue ſponſione Pacis: quam, vt ait *Paſtorius*, p. 240. Polonis talem placuit fieri, qualis in Tractatu Oſnabrugenſi facta ſit. Ab hac etſi principio Sueci, mira quadam animorum conſiliorumque varietate, (nam ipſi eamdem Oſnabrugae olim propoſuerant,) alieniores fuerunt, ad extremum tamen adſenſi ſunt. Vid *Diarium Suecicum*, p. 196 — 205. Itaque ad Pacis Vueſtphalicae exemplum etiam Oliuenſis illius ſponſio conſtituta, et, vt hoc addam, ad ſecuritatem ac firmamentum pactionis ſatis valida ipſa per ſe viſa eſt, nullo accedente iureiurando, etſi a Suecis id exigendum Brandeburgici cenſuerant. Etenim, inquiebant Poloni, nec Pax Oſnabrugenſis eiuſmodi iureiurando eſt corroborata. Vid. *Paſtorius* pag. 265.

IV. At ſimilitudo vtriuſque Inſtrumenti multo maxime in formulis ipſis conſpicitur. Nam primum totius orationis habitus in Oliuenſi iuxta atque in Oſnabrugenſi varius eſt, et, vt veteri vtar verbo, male conſutus. Id quod in Oſnabrugenſi vel ipſum, qui ei conficiendo ſtudium contulerat, falſe riſiſſe Saluium, Legatum Suecicum, memorat *Iobus Ludolfus*, in Epiſt. ad Leibnitium, quae ab *Aug. Benedicto Michaelis*, Viro Doctiſſimo, inſerta eſt illorum Commercio Epiſtolico, (Gottingae, 1755. 8.) p. 19 ſq. Et ridebunt, qui legerint. Itaque totam narratiunculam huc transferamus. „Satis agnoſco, inquit ille, plurimis difficultatibus atque dubiis ſubiectum fore opus.— Facile contingere poſſet, vt cento fieret potius, „— vel caſeus Suecicus, quem illi *Plokooſt* (*Sammelkäſe*) vocant: „de quo mihi retulit Dn. Biörnklov, Secretarius Regius in Tractati-

„bus

„bus Oſnabrugenſibus, Comitem Gabrielem Oxenſtiernam, poſtea „Cancellarium, tunc temporis vero Studioſum ex Academiis reducem, et in Latinitate bene verſatum, interrogaſſe Saluium, vnde „tanta diuerſitas ſtili in Inſtrumento Pacis? Reſpondit ille: Rem meli„us comparari non poſſe, quam cum caſeo Suecico modo memorato. „Etenim, certo anni tempore, lac concretum a Parochianis vicatim „habitantibus in Parochi aedes congeri, et in magno caldario con„fundi, et poſtea exprimi, vt caſeus ingens fiat, qui poſt aliquod „tempus diſſectus, alibi flauus, alibi caeruleus, alibi viridis adpareat, „atque diuerſiſſimi ſaporis ſit. Ita ſe habere Inſtrumentum Pacis. „Quemlibet enim ex Ordinibus, pro ſuo modo ſuoque ſtilo, ſche„dulas inſerendas ad Legatos miſiſſe, quas illi ſine alia cenſura inſe„ruerint."

IV. Verum ſingulatim recenſeamus, non omnia, (longum enim id foret,) ſed pauca tantum extantiora, quaſi exempli cauſſa: etſi nos vtrumque Inſtrumentum ita diligenter contulimus, vt ex omnibus, quae ad inſtitutum ſpectarent, nihil facile inobſeruatum praetermiſerimus. Quo quidem ſtudio noſtro factum eſt, vt ad aliquot plagulas recenſio illa excreuerit: quae, ſi videbitur aliquid eſſe, in *Bibliotheca Zaluſciana*, cui eam dicauimus, reponetur. Tenebimus autem hanc rationem, vt, quae quibuſque ſimilia ſunt loca, ex Pace Oliuenſi primum, deinde ex Oſnabrugenſi adferamus.

Prooem. Pac. Oliuenſ.

"Notum ſit vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, aut quo „modolibet intereſſe poteſt. Poſtquam a multis annis bella diſſidiaque „inter — — orta: — — vnde multa Chriſtiani ſanguinis effu„ſio, cum plurimarum prouinciarum deſolatione, ſequuta eſt: Tan„dem Diuina bonitate factum, vt vtrinque de pace vniuerſali — ſuſ„cepta ſit cogitatio. — — In eum ergo finem, ex mutua Partium „conuentione, conſtitutus eſt dies — — Congreſſui Plenipotentiario„rum Oliuae inſtituendo. Comparentes igitur ſtatuto tempore et lo„co omnium Paciſcentium legitime conſtituti Legati Plenipotentiarii, „a parte quidem, — — poſt inuocati Diuini Numinis auxilium, „mutuaſque Plenipotentiarum Tabulas rite commutatas, — — ad Diui-

Digitized by Google

„Diuini Numinis gloriam et Chriſtianae Reipublicae ſalutem, Parſes „omnes in mutuas Pacis et Amicitiae leges conuenerunt, tenore ſe„quenti.“

Prooem. Pac. Oſnabr.

[“Notum ſit vniuerſis et ſingulis, quorum intereſt, et quomodolibet intereſſe poteſt. Poſtquam a multis annis orta —— diſſidia —— vnde multa Chriſtiani ſanguinis effuſio cum plurimarum prouinciarum deſolatione ſecuta eſt: Tandem Diuina bonitate factum eſt, vt vtrinque de pace vniuerſali ſuſcepta ſit cogitatio, —— in eumque finem ex mutua Partium conuentione —— conſtituta ſit dies —— Congreſſui Plenipotentiariorum Oſnabrugis et Monaſterii Vueſtphalorum inſtituendo. Comparentes igitur ſtatuto tempore et loco vtrinque legitime conſtituti Legati Plenipotentiarii, a parte quidem —— Poſt inuocati Diuini Numinis auxilium, mutuaſque Plenipotentiarum Tabulas —— rite commutatas — ad Diuini Numinis gloriam et Chriſtianae Reipublicae ſalutem, in mutuas Pacis & Amicitiae Leges conſenſerunt & conuenerunt, tenore ſequenti.“]

Art. I. Pac. Oliuenſ.

„Sit pax vniuerſalis ac perpetua, et vera ſinceraque amicitia inter „—— atque eiuſdem — Confoederatos, inprimis — Ita vt altera „Pars alteri poſthac nihil hoſtilitatis aut inimicitiae *clam aut palam*, *di„recte vel indirecte*, inferat, —— Sed vtraque Pars alterius vtilitatem, „honorem ac commodum promoueat, et fidam inuicem vicinitatem, „pacem et amicitiam ſerio colat. “— Conf. Art. XXIV.

Art. I. Pac. Oſnabr.

[“Pax ſit Chriſtiana, vniuerſalis, perpetua, veraque et ſincera amicitia inter —— omneſque eius Foederatos, —— inprimis —— Eaque ita ſincere ſerioque ſeruetur et colatur, vt vtraque Pars alterius vtilitatem, honorem ac commodum promoueat, omnique ex parte —— fida vicinitas, et ſecura ſtudiorum pacis atque amicitiae cultura, reuireſcant ac refloreſcant.“]

Art. II. §. 1. Pac. Oliuenſ.

„Sit vtrinque perpetua obliuio et Amneſtia eorum omnium, quae „quocunque loco modoque, a quacunque Paciſcentium parte, —— „hoſtiliter facta ſunt, ita vt nec eorum, nec vllius alterius rei cauſſa

„vel

Digitized by Google

„vel praetextu, vlla pars alteri poſthac quicquam hoſtilitatis aut ini-
„micitiae, ſpecie iuris aut via facti inferat, aut per ſuos alioſue in-
„ferri faciat." — Conſ. Art. XXIV. §. 3.

Art. II. Pac. Oſnabr.

["Sit vtrinque perpetua obliuio et Amneſtia omnium eorum, quae — — quocunque loco modoue, ab vna vel altera Parte — — hoſtiliter facta ſunt, ita vt nec eorum, nec vllius alterius rei cauſſa vel praetextu, alter alteri poſthac quicquam hoſtilitatis aut inimicitiae — — quoad perſonas, ſtatum, bona vel ſecuritatem, per ſe, vel per alios, *clam aut palam, directe vel indirecte*, ſpecie iuris aut via facti — — inferat, vel inferri faciat."]

Art. V. §. 2. Pac. Oliuenſ.

"Quod Religionem Catholicam — attinet, omnes — illi Religi-
„oni addicti — conſcientia libera, religione deuotioneque ſua do-
„mi, ſine inquiſitione vel animaduerſione, priuatim vtantur."

Art. V. §. 34. Pac. Oſnabr.

[Vid. paullo ſuperius p. 638.]

Art. XXXIII. Pac. Oliuenſ.

„Denique omnium Belligerantium in Imperio Partium copiae et ex-
„ercitus, poſt reſtitutionem locorum, ab omnibus Partibus Paciſcen-
„tibus dimittantur et exauctorentur, eo tantum numero in ſuos cu-
„iuſque proprios Status traducto, quem quaeque Pars pro ſua ſecuri-
„tate iudicauerit neceſſarium."

Art. XVI. §. 19. Pac. Oſnabr.

["Denique omnium Belligerantium in Imperio Partium copiae et exercitus dimittantur et exauctorentur, eo tantum numero in ſuos cuiuſque Status traducto, quem quaeque Pars pro ſua ſecuritate iudicauerit neceſſarium."]

VI. Similiter et Guarantiae et Ratificationis Articuli, et maxime Epilogus vtriuſque Inſtrumenti, inter ſe conueniunt. In vniuerſum, quo vocabulo in quaque re aliquid cautum eſt in Inſtr. Pacis Oſnabr. eodem vocabulo in eadem re idem cauetur in Inſtr. Pacis Oliuenſis: tutiſſimum ratis omnibus, praecipue Suecis, vt ait Supremus Regni

Digitized by Google

Theſaurarius, in *Diario Suecico*, p. 192. "manere in terminis Inſtr. „Oſnabrugenſis, qui iam totius mundi adprobationem meruerint.

Ego vero, (vt hanc velut coronidem in fine Operis ſuſpendam,) Deum Optimum Maximum, Salutis ac Quietis Publicae datorem ac conſeruatorem, precibus ardentiſſimis oro atque obteſtor, vt nutu ſuo vtramque Pacem, et Vueſtphalicam et Oliuenſem, inter tot et tantos Populos ſtabilem atque perpetuam eſſe iubeat.

— Pax vna triumphis
Innumeris potior: pax conſeruare ſalutem,
Et ciues aequare potens.

XXIII
Miſcella.

Extremum hunc laborem Variis impendemus, eaque in vnum congeſta, velut lancem ſaturam, vtinam non nauſeantibus, adponemus. Quidquid enim in recenſendis illuſtrandiſque Actis Oliuenſibus, aut omiſſum a nobis humana, vt fit, incuria, aut ſtudio tum quidem irrito indagatum animaduertimus, id omne in hoc Capite retractandum putauimus. Supererunt et ſic alia, in quibus exquirendis, quos nobis negauit fortuna proſperos ſucceſſus, aliis talium intelligentioribus dabit. Nos nunc inſtitutum noſtrum perſequamur.

T. I. p. 10. n.* Scriptoribus laudatis add. *Paſtorius*, Flor. Pol. Lib. VII. p. 316 ſq. item Hiſt. Polon. Plen. P. II. p. 286 ſq.

— p. 48 ſq. n.° Et *Somnitium* ab Electore Brandeburgico miſſum dixi Thorunium, ad Praeliminaria conſtituenda. Perperam. Ait enim *Pufendorfius*, Rer. Brandeb. Lib. VII. §. 47. p. 502. "Houerbe„quius — ſolus Thorunium praemittebatur."

— p. 69. n.° Naruſſeuicio, de quo dixi, praenomen *Danielis* adſcribit *Paſtorius*, Flor. Pol. Lib. VII. p. 532. et *Pufendorfius*, de Reb. Caroli Guſtaui, Lib. II. §. 13. p. 61. Rectius *Alexandrum* Naruſſeui-

ſeuicium vocat *Kochouius*, Clim. II. p. 16. quo nomine ipſe ille vtitur in litteris, apud *Rudauſcium*, Lib. V. p. 162.

— p. 73. Poſt verba, *Suecos ipſos concedere*, quaedam omiſſa ſunt, quae ex Autographo *Paſtorii* huc transferam. "Authentica quidem ſe lubenter ab vtraque parte accepturum. Sed quia in iis haud dubie erunt aliqua aculeata et offenſura, optare ſe, vt, talibus amputatis, eſſentialia tantum offerre liceat partibus, ſine ſubſcriptione."

— p. 91. n. °° Poſt verba, *diſerte teſtatur Kochouius, Clim. II. p. 427.* addatur: Ceterum de praecipuis Arianis, qui Suecos tunc ſectabantur, vid. *Chriſtoph. Chr. Sandius*, in Biblioth. Anti-Trinit. p. 265 ſq. et *Lengnichius* l. c. p. 266.

— p. 95. Ad illuſtranda ea, quae ibi dicta ſunt de Vladislai IV. Regis Poloniae poſtulato, in Pacificatione Monaſterienſi, facit inſignis locus *Pufendorfii*, Rer. Suec. Lib. XVIII. §. 63. p. 648. "Rex Poloniae ex vetuſtis monimentis demonſtraturum ſe ferebat, tum alia Vlterioris Pomeraniae loca, tum inprimis Stolpenſem, Rugenualdenſem, et Schlagenſem diſtrictum quondam ad Poloniam ſpectaſſe. „Vnde, ſub exitum ſuperioris anni, ad Contarenum ſcripſerat, vt „illae partes Pomeraniae intactae maneant, ne ſibi ac Reipublicae ſua „iura tuendi neceſſitas imponatur. Miſſus et poſtea Monaſterium „ab eodem Miniſter omnes prenſabat, ne Suecis tota Pomerania con„cedatur: quod is ferre non poſſit, Suecos ſibi ex vtroque latere, in „Liuonia et Pomerania, vicinos fieri." Cf. §. 156. p. 687. item Rer. „Brandeb. Lib. II. §. 45. p. 92.

— p. 169. lin. 19. Legendum: ſuper limitibus *Liuoniae.*

— p. 184. n. ° — Ius Depoſitorii, vulgo *Stempelrecht.* Ita exemplum *Diarii Suecici*, ad me miſſum, habebat, loco *Stapelrecht:* id quod deinceps in ſedem ſuam reſtitui, monente Amico quodam meo, Viro Doctiſſimo. Vid. *Diarium Suecicum*, p. 15.

— p. 201. n. °° De *Spemanno*, cuius in aedibus magnifice exſtructis, atque a Petro Hendrichio tum habitatis, Legati Poloni cum Caeſareis et Brandeburgicis conuenerunt, minime tacendum eſt, eum

Digitized by Google

Vrbis patriae non modo Senatorem, ſed poſtea etiam Conſulem fuiſſe. Nam diſerte Conſulem vocat *Andr. Cellarius*, in Noua Deſcr. Regni Pol. p. 461. "Anno MDCXXIII. Rex Sigiſmundus III. Dan„tiſcum venit, — exceptus ſplendido conuiuio a *Conſule Vrbis Spe„manno:* cuius etiam balneo vſus eſt, operibuſque hydraulicis, ac flo„rum et aquarum odoratarum ſuauitate ſe vehementer delectauit."

— p. 220. lin. 6. Legendum: "Titulum Liuoniae *Regi noſtro, ratione Liuoniae* Auſtralis —

— p. 296 ſq. Nomen Legati Pontificii, qui a Iohanne Caſimiro Rege ad dignitatem Cardinalitiam fuerat commendatus, neque a *Paſtorio* editum, neque a me tum vſquam inuentum, indicauit mihi deinde *Andr. Schottus*, Scabinus Gedanenſis, vita nuper functus, ex Libro Singulari, "de Nunciis in Polonia et Pruſſia Apoſtolicis, honore Cardinalitio illuſtribus," quem ipſe a ſe conſcriptum in ſcriniis ſeruabat. Fuit igitur illi nomen *Petro Vidono*: de quo expoſuit *Ioſephus Eggs*, in Purpura Docta, Lib. VI. p. 462 ſq. Inter alia ſic ait: „Rexit etiam Prolegatus Flaminiam, atque Vicepraefectus Firmum „cum Praefectura Marchiae prouinciae. Hiſce muneribus egregie et „cum publica laude perfunctus, dignus habitus eſt, qui ante alios „ſpectatae virtutis viros Laudenſis Eccleſiae regimini admoueretur. — „At dum populum ſibi commiſſum ſumma vigilantia regeret, Inſulae„que decus, qua par eſt, maieſtate eximiaque prudentia ſuſtineret, „Innocentius X. illum Romam euocauit, eidemque, vti viro ad res „magnas gerendas maxime idoneo, Legationem Polonicam commi„ſit. Qua in prouincia quum ex bene geſtis ſummam Iohannis Caſi„miri Regis gratiam, Procerumque Polonorum exiſtimationem na„ctus ſit, ab Alexandro VII. Innocentii ſucceſſore, ſacram purpu„ram Regia denominatione obtinuit. Quemadmodum publicae lit„terae, ab Alexandro Pont. in euulgatione Cardinalatus ad ipſum „datae, teſtatum faciunt."

— Obſ. I. p. 205 ſqq. De Paſtorio etſi mihi viſus eram nihil memoratu dignum praeteriiſſe: tamen ſunt, quae tum oculis ſeſe noſtris ſubduxerint. Haec deinde nobis inueſtigata, nunc et in aliorum notitiam

titiam venire voluimus. Igitur quanto in honore atque aeſtimatione Paſtorius fuerit penes Venceſlaum Leſcinium, documento praeter alia illud eſt, quod ab eo fuit ſtipendio annuo auctus. Vid. *Thom. Treterus* de Epiſcopatu, et Epiſcopis Eccleſiae Varmienſis, p. 162. Tali etiam a Friderico Vuilhelmo, Electore Brandeburgico, eum ſcribit *Oelricheſius*, Comm. de Hiſtoriogr. Brandeb. p. 46. cohoneſtatum fuiſſe, addito Hiſtorici Brandeburgici elogio. Quippe Princeps, immortali laude digniſſimus, non ſatis habuit agere omnia ſapienter ac fortiter: illud quoque ſtuduit cura ac liberalitate ſua efficere, vt praeclara facinora a viris doctis et diſertis bene dicerentur, atque ad poſteritatis memoriam commendarentur. In amicis autem Paſtorii, non eſt mihi hoc loco praetermittendus Auguſtus Buchnerus, Academiae Vuittebergenſis lucidum quondam decus: cuius ad eum epiſtola edita eſt, inter ipſius Epiſtolas, P. I. p. 288. Quae quoniam ad laudem famamque Paſtorii inprimis pertinet, iuuat praecipua inde verba repetere. "Adfectum, quo te iam olim inter lumina decora- „que ſeculi colui hactenus, et veneratus tacite ſum, aut apud amicos, „quum tui fieret mentio, nunc in ipſius tuum effundo ſinum, trium- „phans propemodum, Buchnerum diligi abs te; amicumque cogno- „ſci illi viro, cui omnes iam olim Muſae cum vniuerſo peculio ſuo „ſe dediderunt, quemque non per Boruſſiam tantum Sarmatiamque, „ſed ceteras etiam nobiliores Europae partes, clarum celeberrimum- „que reddiderunt." Nec deſunt doctrinae virtutiſque, in illo conſpicuae, alia luculenta teſtimonia. Huiuſmodi eſt *Idyllion, Hiſtoria Lamentans*, in illius obitum a *Chriſtophoro Behrio*, viro non indocto, perſcriptum, vulgatumque. (Gedani, 1681. 12.)

— VIII. p. 263. Lubomierſcium anno MDCLXVII. conceſſiſſe fatis retuli, ſcriptores ſequutus diligentes ac fide dignos. At *Caſparus Nieſicius*, in Stemm. Nobil. ſcribit exſtinctum anno proxime antecedente. Contra in Epitaphio, quod illius memoriae dicatum eſt Viſnicii, et ab *Andr. Maximiliano Fredro*, in Tr. Vir Conſilii, p. 92 ſq. prolatum, annus ſexageſimus octauus indicatur. — "Obiit „Anno Domini MDCLXVIII. die XXX Ianuarii; Aetatis ſuae An- „no L." In tanto diſſenſu quid ſequendum, viderint alii.

Digitized by Google

— p. 267. In elogio Pacii video me ſemel iterumque a vero aberraſſe. Non enim *Alberto*, ſed *Staniſlao* Radziuilio factis functo, Supremus Lithuaniae Cancellarius conſtitutus eſt. Deinde Praefectura exercitus Lithuanici non penes eum, ſed penes *Michaelem* Pacium fuit, qui res aduerſus Moſcos ac Turcas praeclare geſſit.

— p. 270. lin. 2. In anno mortis Vladiſlai Regis, neſcio qui factum, vt tam ſupine erratum ſit. Obiit anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum *tertio et octogeſimo.*

— p. 275. Scribenti mihi elogium Ioh. Houerbequii, Legati Brandeburgici, nondum innotuerat illius laudatio funebris, (Caſtrum Doloris et Honoris, virtutibus Dn. Ioh. ab Hoverbecke — exſtructum a *Frid. Iac. Bartholdi*, Francof. ad Viadr. f.) quam nuper mecum communicauit *Ge. Godofr. Kuſterus*, Vir Clariſſimus, idemque mihi amiciſſimus. Illa igitur, inſcriptionis ad inſtar compoſita, multa habet ſane acute, plura frigide dicta: vtrum vere omnia, nunc non diſquiram. Initium quidem tale eſt: "Ingredere Doloris Caſtrum, „quiſquis es! —— Dolendi cauſas conſequeris, in occaſu *Richelii* „*Brandeburgici, Mazarini Marchici*, qui vere ex vtroque, parum dixi, „ex omnibus omnia, omnium meretur moerorem." Vt igitur illo ſcripto indicatur, natus eſt Houerbequius anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexto, inſtitutuſque a tenera aetate litteris, in Gedanenſi Gymnaſio. Linguarum in eo ſtudium prorſus admirabile. Duodenas ſic calluit, vt earum quauis expedite loquens, oris rotundi gloriam tueretur. Namque, vt ait illius laudator, "cum admiratione „audientium diſſerebat: Hollandiae, Hiſpaniae, Galliae, Italiae, An„gliae, Germaniaeque mores ipſis illis idiomatibus enarrabat: prae„terea Latinae, Graecae, Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae ac Polo„nicae linguae adeo peritus, vt cum indigenis earum nationum expe„dite loqui paratus, natus quaſi in illis regionibus iudicaretur. Ma„xime autem in Polonicis negotiis ac lingua eruditus, — ſemiſeculi „Conſiliarius, Legatus et Hoſpes in Polonia." Exceſſit annorum ſeptuaginta quinque ſenex Hohenſteinii, (ditionis Halberſtadienſis oppidum eſt,) cuius praefecturam tenebat.

— p. 278.

— p. 278 ſq. Quam vellem, vt de Alberti Oſtauii quoque vita mihi nunc aliquid amplius datum eſſet exponere. Fabiani quidem Oſtauii Memoriam, ab Academia Regiomontana celebratam, (An. 1645. 4.) ad me perhumaniter miſit Cl. *Kuſterus*, talium promus condus: ex qua Oſtauiorum gentem inde a ſeculo XV. in Pruſſis claruiſſe cognoui. Qui primus fortunarum ibi ſedem ſtatuit, *Ioh. ab Oſtau*, propter ſingularem virtutem carus Paullo Ruſdorfio, Supremo Ordinis Magiſtro, eiuſque Vexillifer lectus fuit. Sed de Alberto ne is quidem, qui, in *Soteriis Polonico-Pruſſico-Brandeburgicis*, Pacis Oliuenſis bona et Pacificatores Polonos ac Brandeburgicos laudibus praedicauit, *Iac. Zetzkius*, quidquam dictu dignum adtulit. Inter Conſiliarios Supremi, in Pruſſia, Prouocationum Iudicii cooptatum illum fuiſſe anno MDCLVIII. non ambigitur. Vid. *Pruſſ. Illuſtr.* T. II. p. 164 ſq.

T. II. p. 124 ſq. n. * Pacis Stetinenſis formula, non a Legatis Latine facta, ſed poſtea a *Ioh. Meſſenio* Latine e Germanico verſa, prodiit Holmiae, 1611. 4. hoc titulo: "Tranſactio Stetinenſis inter Sue-„cos Danoſque, An. MDLXX. inita, ex mandato Sereniſſimi Sueco-„rum Regis, Caroli IX. nunc Latinitate donata a *Ioh. Meſſenio*, „Supr. Sued. Dicaſt. Aſſeſſore." Vid. *Stiernmani* Biblioth. Suio-Goth. P. II. p. 134. *Sibbern* Biblioth. Dano-Noru. p. 190.

— p. 570. Quae ad conſeruandum Ducis Curoniae ius, in tractum Piltenſem, tum quoque diſſeruit Felkerſamius, tandem ſucceſſus optatos habuerunt. Nam illud Duci a Iohanne Caſimiro Rege confirmatum eſt ſollemnibus litteris, Gedani d. XXX Apr. An. MDCLX. perſcriptis, quae exhibentur in Perill. Dn. *Nettelbladii* Anecdotis Curlandiae, p. 165 ſq. Ex illis verba, age, praecipua huc transferamus. "Dum ob conſtantem nulliſque allicimentis hoſtium motam, „erga Nos et Rempublicam praedicti Illuſtriſſimi Ducis fidem ac amo-„rem, Reſtitutionem ipſius priſtinae dignitati ac iuri, cura et ſollici-„tudine noſtra promouemus, indemnitati eiuſdem interea proſpicere „muneris etiam noſtri ducimus, atque cum omnia iura Illuſtriſſimi „Ducis ad Ducatum Curlandiae eiuſque diſtrictus et adiacentias, at-

„que

Digitized by Google

„que adeo ipſam poſſeſſionem, ſalua, integra firmaque in genere, au-
„ctoritate noſtra manutenemus, tum in ſpecie ius ad Diſtrictum Pil-
„tenſem et poſſeſſionem, prout ſeſe antea legitime extendebat, atque
„mediante conſenſu noſtro praedictus Illuſtriſſimus Curlandiae Dux
„pacifice fruebatur. nulli dubietati aut diſcrimini ſubiacere poſſe prae-
„ſentibus declaramus, iiſdem inſimul, ſi quidpiam in praeiudicium
„legitimi iuris et poſſeſſionis ſaepe dicti Ducis, ad nominatum Diſtri-
„ctum, vel eius partem, immunitateſque et vtilitates incolarum eiuſ-
„dem, cuiuſcunque ſtatus et conditionis, a quopiam vel priuato motu
„et praetextu haud aequo, vel etiam vigore gratiae noſtrae male im-
„petratae, publicique Inſtrumenti e Cancellaria Regni exportati, pe-
„tatur aut praetendatur, iniuſtam et temeram quamque praetenſio-
„nem ſeponere inhibemus, Inſtrumenta et Reſcripta a nobis obtenta
„ſuſpendimus, et nullitati ſubeſſe volumus, plene ac integre eundem
„Illuſtriſſimum Ducem circa ius et poſſeſſionem dicti Diſtrictus,
„tam in genere, quam ſpecie conſeruantes, et conſeruari ſerio man-
„dantes.“ Haec hactenus.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM MEMORABILIVM

A

Akakia, Legationis Gallicae Secretarius. 32. ſq. 40. aegrotante Lumbrano, pacis negotium procurat. 63. nomine Regis ac Reginae Poloniae, Suecos adit. 199. donatur a Suecis. 472. Felkerſamium ſalutat, et rerum ſtatum edocet. 541. ſq. Ducis Curlandiae reſtitutionem, in ipſo pacis negotio, expediri poſſe exiſtimat. 542.

Amicitia: circa hunc Articulum parum difficultatis fore Lumbranus arbitratur. 8. in eo conficiendo quam difficultatem moueant Sueci? 12. quid ei inſeri cupiant Foederati? *ib.* ad exemplum Pacis Vueſtphalicae conſtituendus. 12. 122. 130. inter Suecos et Caeſarianos ventilatus. 163 - 166. item inter Electorales et Suecos. 189. ſq. inter Polonos et Suecos ſuper eadem re diſputatio. 191. ſq. inter Suecos et Foederatos qua formula tandem conuentum? 207 ſq. ſimiliterque inter Brandeburgicos et Suecos. 213.

Amneſtia: generalis petitur. 5. eam ad ciuitates Pruſſicas Poloni nolunt extendere. 6. inprimis ad Elbingam. 6. 8. 12. Foederati amneſtiae particularis mentionem fieri volunt. 122. 144. vtramque et generalem et particularem requiri aiunt Sueci. 123. de eius formula actum. 144 - 150. 155 - 158. 166. Suecorum conceptum. 168 - 170. Foederatorum ad id monita. 178. ſubſcribitur tandem. 179. eius formula. 179 - 182. de amneſtia particulari eorum, qui durante bello partes hoſtiles ſequuti ſunt, inter Suecos et Polonos conuenit. 264. ſq. itemque inter Suecos et Brandeburgicos. 265. ſq. 276.

Angli, v. Britanni.

Archiua, repetunt Poloni. 82. non refragantur Sueci. 83. 85. tempus reſtitutionis definitum. 86. qua formula? 93. pars nec ſine mora a Suecis reſtituitur. 407. 410. plurima et optima retinentur. 412. redduntur plura. 416. Paſtorio traduntur. 477.

Ariani: eorum cauſſa Schlippenbachius pacem Suecos remorari non poſſe exiſtimat. 136.

Armiſtitium, proponitur a Lumbrano. 141. ſq. repudiatur a Foederatis. 200. a Suecis iterum proponitur. 287. qua formula in id conuenerit? 289 - 300. quibus caerimoniis indictum? 303. n. *

Auaugurius Comes, ad Carolum Guſtauum ablegatus, pacis conſilia tentat. 32. n. * moritur Lubecae. 33. n. *

Auauxius Comes, Legatus Gallicus in conuentu Stumdorfiano, Liuoniam grandi pecunia a Suecis redemtum iri

iri declarat. 597. litibus, in eodem conuentu, religionis cauſſa ortis anſam praebet. 610. 613.

B

Bataui, v. Belgae.

Bauſcum, ciuitas Curlandiae: de eius reſtitutione actum inter Suecos et Polonos. 53. 565.

Behmius a Behmenfeld, (Michael) Scabinus Ciuitatis Gedanenſis. 439. n. *

Belgae Foederati, pacem promouere cupiunt. 543. eorum mediatio Polonis non adeo accepta. 551. ſeq. ad ſponſionem pacis inuitatio. v. Guarantia.

Bidgoſſiana pacta, Sueci perhibent aduerſari commodis Sueciae. 5. 30. ad Oliuenſes tractatus non pertinere. 8. eorum confirmationem non eſſe de dignitate Regis ſui. 12. ea Poloni volunt, ſaluis Elbingae iuribus, rata haberi. 16. Sueci ſe confirmare poſſe plane negant. 16. 22. 124. in Inſtrumento diſerte exprimi volunt Foederati. 19. 44. 123. in ea conſentire Sueci dedecori ſibi fore contendunt. 42. ea Sueciam confirmare nec decere, nec peti debere, declarant. 183. inania eſſe docent Deputati Elbingenſes. 183 n. * cum priuilegiis Elbingenſium componenda exiſtimat Lumbranus. 185.

Bioernclouius (Matthias Mylonius) Legatus Suecicus in Gallia. 34. n. * eius ad Electores et Status Imperii memorialia. 35. n. * Francofurtum Legatus mittitur. 113.

Boehmius, v. Behmius.

Brandeburgici, v. Legati Brandeburgici.

Braunius, Praefectus Mitauienſis: de eo Felkerſamius apud Regem conqueritur. 568.

S. Brigitta, (Birgitta) ex Suecia oriunda. 624. Diuis adſcripta a Bonifacio IX. 624. Vadſtenae Coenobium aedificat, Romae Xenodochium. 624. Regibus Poloniae e gente Waſiaca inſigniter culta. 625. eius reliquiae & annulus. 625. bona repetuntur a Polonis. 625. itemque Ius Patronatus in Xenodochium Romanum. 4. 103. 626. Suecorum ſuper ea re declaratio. 626. ſq. Ius Patronatus ad Iohannem Caſimirum delatum. 627. poſt ad Chriſtinam. 627. quae tum Xenodochii fortuna fuerit? 628.

Britanni, ad conuentum Stumdorfianum Legatum mittunt. 614. 616. ad guarantiam Pacis Oliuenſis inuitantur. 466.

Brodnitza, v. Straſburgum.

C

Caeſariani, v. Legati Caeſariani.

Carolus (X) *Guſtauus*, Rex Sueciae, Duci Curlandiae neutralitatem conceſſam eſſe negat. 554. n. ** quae de Liuonia conſilia inierit? 601. ſq. eius de obitu nuncius quomodo adfecerit animos Suecorum? 4. ſq. 565. itemque Polonos. 563. ſq. eius ad Legatos litterae interceptae. 503.

Carolus XI. Rex Sueciae: ad eum Legatorum Suecicorum litterae. 110 ſq. 126. 218. 305. 354. n. * 379. 382.

Chanutus, Legatus Gallicus in conuentu Lubecenſi. 539.

Chiro-

Chirographa Curonica: ſuper eorum reſciſſione inter Suecos & Polonos actum. 82-85. 565.
Colouratus Comes, Legatus Caeſ. incluſionem Neoburgici ſibi non diſplicere ſignificat. 263. Felkerſamio rerum ſtatum exponit. 557. ſq. cf. Legati Caeſariani.
Commercia, quomodo ordinari velint Sueci? 100. Gedanenſium inprimis curant Poloni. 101. ſecundum Pacta Bromſebroenſia conſtituuntur. 103. eorum libertati maxime proſpicitur. 104. ſq. Liuonica generali Articulo comprehenduntur. 108. eius formula. 119. inter Brandeburgicos et Suecos ſeparatim ſuper iis actum. 131. 138. 152.
Croyae Dux. v. Erneſtus Boguſl.
Curlandia: (Curonia) eius fines diſceptati. 10. ſq. eam ſibi vindicant Sueci. 543. n. * trium Imperatorum diplomatibus ſibi conceſſam ferunt. 553. eorum de iure quid ſtatuendum? 540. 542. eſt in clientela Poloniae. 562. miſerrima eius conditio. 548. ſuper ea Suecorum clandeſtina conſilia. 550. ei Separato Articulo proſpici cupiunt Poloni. 83. in hunc Sueci tandem, quamquam inuiti, conſentiunt. 84. ſq. 95.
Curlandiae Dux, v. Iacobus.

D

Dania: ſuper eius negotiis, duobus in locis, tractari non poſſe Sueci contendunt. 7. 494. Lumbranus aut in Dania continuandos tractatus, aut Oliuam transferendos, exiſtimat. 8. ſi de conſenſu omnium tractatus in Selandia abrumpantur, Danum Sueci voluut admitterere. 9. de eius incluſione actum. 251-254. 266. 268. ea ſuperuacanea eſſe perhibetur. 516. a Danis Sueci magnam pecuniae vim exigunt. 543.
Daniae, Rex, v. Fridericus III.
Dantiſcum, v. Gedanum.
Debita, ab vtraque parte, durante bello facta, ſolutum iri conuenit. 83. ſq. 96. 207.
Depoſita, vtrimque reſtituenda. 83. ſq.
Depoſitorii ius, Sueci Rigenſibus ſeruare ſtudent. 18.
Diſſidentes, reſtitui cupiunt Sueci. 36. eorum grauamina. 132. eorum cauſſa, Brandeburgici ad Regem Poloniae ſcribunt. 133. ſq. iis in Inſtrumento Pacis proſpici volunt. 135. ſq. item Sueci. 150. nec audent tamen quidquam, eorum cauſſa, Amneſtiae Articulo addere. 240.
Dohnenſes Comites: (a Dohna) iis a Polonis et Brandenburgico ſatisfieri volunt Sueci. 117. 120. recuſant Poloni. 117. 120. quare Sueci eorum ſatisfactionem vrgeant? 122. 277. fruſtra aliam viam inire ſtudent. 212. res tandem in Comitia proxima reiicitur. 277 ſq. 296 ſq.
Dondangen, praedium Curonicum. 560 ſq.
Dreſchenbergius, v. Treſchenbergerus.
Duglaſſus (Georgius) Legatus Anglicus, in conuentu Stumdorfiano. 616.
— (Rob.) Praefectus militiae Suecicae, Ducem Curlandiae captiuum abducit. 9. 54.

Digitized by Google

9. 54. hereditatem Doblenſem abſtuliſſe dicitur. 569.

Duna fluuius: eius medietas a Felkerſamio demonſtratur. 562. vtriuſque ripae ius ciuitati Rigenſi a Ducibus Curlandiae ceditur. 11. n.** eum volunt Poloni Liuoniae fines conſtituere. 10. 18. ſq. de vectigalibus et teloneis, in eo, actum. 44. 100. 104. 108.

E

Elbinga: propter eam Poloni tractatum Bidgoſſianum rumpi non poſſe contendunt. 8. eius priuilegia, ſaluis tamen Brandeburgicis promiſſis, confirmare pollicentur. 16. eam Sueci ſi ſeruare nequeant, nec tamen ipſi perdere velle, declarant. 16. eamdem Regis Poloniae arbitrio permiſſuros ſe eſſe, ſpondent. 23. eam de conſenſu ſuo Brandeburgicis tradi negant. 36. 39. traditionem ſe quidem haud impedituros, nec tamen confirmaturos, declarant. 42. 44. de ea clauſulam Inſtrumento publico nolunt inſeri. 170. eius Deputatos clam abiiſſe, indignantur. 172. eorum, ſuper cauſſa ſua, monita. 175. ſq. Pactum Bidgoſſianum inane eſſe dicunt. 183. n.* ceſſionem vrbis ſuae priuilegiis ſuis repugnare docent. 185. rem Separato Articulo expediendam Sueci arbitrantur. 170. ſq. ſuper eius formula actum. 171. 175 - 178. 181 - 187. 332. Reuerſales eius cauſſa recuſant Sueci. 181. vrbem priuilegia ſua amiſiſſe Foederati contendunt. 183. conuenit tandem ſuper hac cauſſa. 188. Deputati Suecis cauſſam denuo commendant. 205. 294. euacuatio quando facienda? 446. n.* Conſiliariatus. 176. n. *

Erneſtus Boguſl. Croyae Dux: ei a Polonis ſatisfieri volunt Sueci. 28. 116. mandatarius eius cauſſam Suecis commendat. 68. illiquidam ſummam Poloni eſſe contendunt. 120. eamque documentis probari cupiunt. 121. ſq. iuſtitiam cauſſae docet mandatarius. 130. 207. eius poſtulatum cauſſis minutis accenſetur. 172. ei ob mandati defectum ſe nihil concedere poſſe, aiunt Poloni. 206. ſq. eius cauſſa in Comitia proxima reiecta. 274. ſq. 295. ei nolunt Poloni titulum *Celſitudinis* concedere. 275. n. * deſideria eius Vueidenhaynio commendantur. 382. hereditatem Doblenſem repetit. 569. eum indemnem praeſtandum putat Felkerſamius. *ibid.*

Eſtonia, Polonis a Sigiſmundo III. Rege ceditur. 594. id indigne ferunt Sueci. 595. eius titulum Chriſtinae Reginae adſcriptum Poloni nolunt admittere. 596 n. ** eam Suecis offert Iohannes Caſimirus. 600.

Etceterationes, in titulo Polonico ponendae. 39. ſuper iis diſceptatio. 73. 74.

Excellentiae titulus, Legato Belgico denegatus a Polonis. 553. Regiis Legatis eo tempore proprius habitus. ib. n. **

Exules, in Liuonia reſtitui poſſe, negant Sueci 24. 39. eorum reſtitutionem aequam eſſe, ait Lumbranus. 43. ſed factae conuerſionis cauſſa, impoſſibilem dictitant Sueci. 43. tacite remiſiſſe

Digitized by Google

miſiſſe Poloni dicuntur. 57. ſuper iis Articuli formula. 65. 92.

F

Felkerſamius, (Melchior) Cancellarius Curonicus, a Rege Poloniae ad pacificationem arceſſitus. 539. inuiſus Suecis. 19. 514. pacem impedire creditur. 59. Lumbranum ſalutat. 539. Lubecenſibus conuentibus intereſt. 539. n. * 566. Lumbrano res Curonicas commendat. 539. Regem Poloniae adit. 541. 564. ſine ſaluo conductu ad pacificationem venit. 541. 557. ante omnia Ducem ſuum reſtitui cupit. 541 ſq. 548 ſq. 555. 561. in Propoſitione reſtitutionem Ducis primo loco poni cupit. 544. cum Rege Poloniae colloquitur. 546. Cancellariis Poloniae et Lithuaniae, de rationibus Curoniae, exponit. 547 ſq. mira eius in placando Gninſcio ars. 549. Suecorum conſilia Leſcinio refert. 550. eidem Danicam cauſſam commendat. *ibid.* foedus inter Polonos et Belgas ſuadet. 550 ſq. idem proponit Honarto, Legato Belgico. 551. Curlandiam, Imperatore haud inſcio, Poloniae ſubiectam fuiſſe docet. 553 ſq. Liuoniae ſtatum Pacio exponit. 554. Suecorum reſponſum ſibi ad diluendum expetit. *ib.* reſtitutionem Ducis vrgere iubetur a Brandeburgicis. *ib.* Suecorum, ſuper eadem, declarationem docet fallacem eſſe. *ib.* Polonis *Informationem ſuper Liuonia* exhibet. 555. n. * de bono rei euentu ſecurus eſſe iubetur. 556. a Suecis ſibi metuit. 557. commeatum a Mediatore petit. 557. cum Colourato Comite colloquitur. 557 ſq. ad Ducem, tamquam ad neutrarum partium Principem, tractatus haudquaquam pertinere docet. 558. cauſſam Piltenſem Morſtinio exponit. 558. itemque Pacio. 561. Rautenſteinio commendat. 559. Suecos Ducis ſui famam foede lacerare ait. *ibid.* Gardium, pace nondum facta, ſalutare recuſat. 560. Moſci, cum Sueco, foedus non adeo metuendum eſſe oſtendit. 561. Polonis ad declarationem Suecicam obſeruationes offert. *ibid.* Tractum Piltenſem ad Ducem Curlandiae pertinere oſtendit. *ibid.* ex Stephani Regis litteris clientelaribus medietatem Dunae oſtendit. 562. praeter reſtitutionem Ducis, quae petierit alia? 562. morte Regis Sueciae vehementer perturbatur. 563. tractatus vtcumque continuari poſſe docet. 563. ſq. ei peculiare hoſpitium Oliuae praebetur. 565. conſeſſui Legatorum intereſt. 565. reſtitutionem Ducis vrget. 565. ei Lumbranus inter Legatos locum eſſe poſſe, negat. 566. laudatur et defenditur a Polonis. *ibid.* cauſſam ſuam ipſe tuetur. *ib.* in cauſſa conſtituendorum limitum non omnia ex voto gerit. 568. praefecturam Buldenenſem Duci ſuo ſeruare ſtudet. 568. vt lignationis onere Curlandia liberetur, efficit. *ib.* reſtitutionem quinque nauium irrito ſtudio petit. 569. reparationem famae et damnorum item fruſtra poſtulat *ibid.* hereditatem Doblenſem penes Ducem ſuum amplius eſſe negat. 569. Croianum indemnem, at ſaluo

Digitized by Google

ſaluo Ducis ſui iure, praeſtandum putat. *ib.* 572. reſtitutionem ruſticorum impetrat. 569. copiarum abductionem a Rege petit. *ibid.* de commerciis et vectigalibus fruſtra differit. 570. ad libellum Deputati Croiani reſpondet. 570. ne Tractus Pilteñſis a Curlandia diuellatur, curat. 570. Regi valedicit. 572.

Foedera: Poloni ſua Articulo Amicitiae inſeri cupiunt. 12. recuſant Sueci. 12. quid addendum ii exiſtiment? 14 ſq. ſuper ea re diſputatio, inter Suecos et Polonos. 191. 207-210. Sueci formulam proponunt. 123. 129. 139. Brandeburgicam vt indignam reiiciunt. 124. 128. Tabularum reſtitutionem negant. 129. 130. ſuper formula renunciationis foederum actum. 143 ſq. 151-154. ſubſcripta tandem. 155.

Foederati, v. Legati Foederatorum.

Foedus, inter Polonos Belgaſque ineundum. 550 ſq. item inter Moſcum et Suecum. 561.

Fridericus III. Rex Daniae, Legatum Oliuam mittit. 493. cf. *Parſbergius.* eius ad Regem Poloniae litterae credentiales. 535. eiuſdem ad eumdem, de dimittendo Parſbergio, litterae. 536. de eius incluſione actum. v. Dania.

G

Galliae Rex, ſequeſter pacis a Caeſareis non agnoſcitur. 314. 423. 443. v. Lumbranus.

Gardius, (Magnus Gabriel) Legatus Suecicus, Amneſtiam generalem quomodo fieri poſſe neget? 5. Bidgoſſianum Pactum non eſſe confirmandum cenſet. 124. rebus Curonicis fauere videtur. 542. honorificentiſſime a Rege et Regina Poloniae excipitur. 572. abitum ſimulat. 21. diſcedit. 400. cf. Legati Suecici.

Gedanum, negotio Elbingenſi nolunt Sueci immiſceri. 8. n. *** ab eo ſibi mutuum dari cupiunt. 36. 60. 273. vt conſequantur, Poloni operam ſe daturos ſpondent. 286. 323. ſq. vrbis commercia confirmantur. 101.

Gninſcius, (Ioh.) Legatus Polonicus, male erga Ducem Curlandiae adfectus. 542. placatur a Felkerſamio. *ibid.* cf. Legati Polonici.

Gottorpienſis Dux, reſtituendus. 222. ab eo Reuerſales petunt Confoederati. 223. ſuper earum formula actum. 224. 27c. 287-289. an paci includendus? 274.

Graffenbergius, Regis Poloniae Secretarius. 570.

Guarantia Pacis, in puncto ſecuritatis intelligenda videtur Lumbrano. 29. eius mentionem Sueci fieri nolunt. *ib.* iterum propoſitam probant. 142. ea nondum conſtituta, nolunt Foederati vlterius progredi. 193. Polonicum Proiectum nimis amplum videtur. 193-196. Suecorum ea de re conſilia. 196-198. in eam tandem Sueci conſentiunt. 198. mutua guarantia Foederatis inuiſa. 199. ſq. ſuper ea diſceptatio. 199-205. Galli ad eam inuitatio. 199. 225. 260. ea in Ratificatione exprimitur. 405. ſuper inuitatis ad eam Statibus, in ipſa ratihabitione, noua diſceptatio. 456-464. inuitatio Hiſpani. 465. 467. Angli. 466. Belgarum. 467.

Gulden-

Digitized by Google

Guldencloüius (Andreas) Legatus Suecicus, foederum in Articulo Amicitiae nullam plane mentionem faciendam exiſtimat. 12. eumdem in litteras redigit. 153. 191. eius ſuper titulo Suecico monita. 43. n. * conſilia Guſtaui Adolphi exponit. 197. n. * diſcedit. 392. Inſtrumentum Pacis Sedini typis imprimendum curat. 434. n. * cf. Legati Suecici.

Guldenſternius (Sigiſmundus) Caſtellanus Gedanenſis. 617. eius origines et genus. 617-619. 621. Academica ſtudia. 619. linguarum cognitio. *ibid.* peregrinationes. *ibid.* munera. 620. bona in Suecia ſita repetit. 621. quod poſtulatum delendum videtur Suecis. 121. ſq. eius rationem habitum iri in Comitiis proximis, promittunt. 264. 278. 621. vxor eius et liberi. 621. ſq. laudatores. 622. obitus et monimentum. 623. Paſtorii ad eum elegi. 622.

H

Hempelius, Legationis Brandeburgicae Secretarius, Inſtrumento Pacis ſubſcribit. 455. commutationem Ratificationum inter Suecos et Polonos factam, ait nullam eſſe. 464. Ratificationem Suecicam Articuli Elbingenſis ſibi tradi cupit. 465.

Hiſpanica Mediatio, v. Mediatio.

—. — *Guarantia*, v. Guarantia.

Hiſpanicus Secretarius, conſeſſui Legatorum intereſt. 569.

Holſatiae Dux. v. Gottorpienſis Dux.

Honartus (Iohannes) Legatus Belgicus, a Suecis ad Mediationem inuitatus. 89. 95. pacificationem impedire iubetur a Belgis. 506. Polonis ſuſpectus eſt. 551. de foedere inter Belgas & Polonos ineundo, quid ei videatur? 551. ſq. Danicae cauſſae fauet. 552. ſe a Polonis negligi aegre fert. 552. ei *Excellentiae* titulum negant Poloni. 553. n. ** inuiſit Felkerſamium. 554.

Houerbequius (Iohannes) Legatus Brandeburgicus, Varſauiam mittitur. 385. n. * de rebus expediendis agit cum Legationis Suecicae Secretario. 418 ſq. 472. ſq. de viſitatione cum Schlippenbachio Comite. 482-485. 488-490. cf. Legati Brandeburgici. eius Laudatio funebris. 646. ſtudium linguarum. *ibid.* obitus. *ib.*

I

Iacobus, Curlandiae Dux, capitur a Duglaſſo. 9. 542. de reſtitutione eius diſceptatur inter Polonos ac Suecos. 13. 17. 53-61. 78. 542. 563-565. eam Sueci protrahunt. 28. Reuerſales ab eo petunt. 10. 17. eius de titulo diſputatum. 65. 78. Reuerſalium formula. 87 ſq.

Inſtrumentum Pacis: Proiecta vtrimque tradita. 3 ſq. vtrum ſequendum? 44. 51. 52. n.* inſertio Articulorum controuerſa. 220. 268 ſq. 284. 298. 309. 317-321. ſuper introitu actum. 229. 265. 270. 273 ſq. 289. item ſuper epilogo. 324 ſq. an pergamenae inſcribendum? 322 n. * chartacea, in ratificatione, reddenda. 322. 338. 407. de ſubſcriptione actum. 329 - 332. 334-338. 633. ſq. collatio. 333 ſq. 339-342. 404 ſq. 423-428. 432-435. 439 ſq.

Iohan-

Iohannes Caſimirus, Rex Poloniae, Brigittae bona repetit. 4. 103. 625. qua lege titulo Suecico renuntiare velit? 31. Gedano, pace nondum confecta, diſcedere non vult. 40. etiam ad Suecos titulo Suecico vti cupit. 58. 60. eius ſuper etceterationibus mandatum. 73. ad litteras Brandeburgicorum reſponſum. 134. pacem impeditum iri metuit. 168. 226. eius de rebus Curonicis ſententia. 541. pacem ſe potius nolle, quam Curlandiam Suecis concedere, declarat. 543. Ducis reſtitutionem vrget. 546. 564. copias e Curlandia abduci iubet. 569.

Iudicata, per bellum, num debeant vim habere, diſceptatum inter Suecos et Polonos. 83. 85. 87. 94.

Iuliacenſis titulus, inter Suecos et Brandeburgicos controuerſus. 213. n.* 315. item inter Suecos & Polonos. 217. 314. itemque inter Suecos et Caeſarianos. 309. 310. n. * 314. 352 ſq.

K

Karlekouia, ſtatio Aulae Polonicae. 127. eam vallo muniri, indigne ferunt Sueci. 167.

Keſſowſki, (Alexander a Bautzendorf) Abbas Monaſterii Oliuenſis, oratione Latina Suecos excipit. 3. n. * Pace promulgata Miſſam celebrat. 305 ſq.

Koenigſmarkius Comes: eius de liberatione actum. 10. 13. 28. 53. 55. 61. 75. 78 ſq. Reuerſales ab eo petunt Poloni. 10. ſuperuacaneas exiſtimant Sueci. 17. 54. earum formula. 102. bonis eius proſpici cupiunt Sueci. 160. ex arce Viſtulomundana ad Regem Poloniae deducitur. 571.

L

Legati impares, num locum inter reliquos habere poſſint, diſceptatur. 566.

— — *Suecici*, Oliuam veniunt. 3. certiores fiunt de morte Regis Sueciae. 4. 565. de cauſſa Danica duobus locis agi non poſſe, contendunt. 7. Elbingenſium cauſſam agunt. 7. 16. 183. de renunciatione foederum diſceptant. 9 ſq. item de pactis Velauienſibus et Bidgoſſianis. 11. 16. 42. 183. Liuoniam poſtulant. 11. 14. 65. titulum Sueciae negant Regi Poloniae concedi poſſe. 24. ſatisfactionem vrgent. 25. 32. 36. Formulam pacis Polonicam reprehendunt. 56. ſq. de ratificatione agunt. 64. 74. 217. 421. renunciationem Regis Poloniae in Sueciam vrgent. 64. 69. 72. 74. 77. de pace propemodum deſperant. 76. 110. 126. mediationem Hiſpanicam admittere nolunt. 80. ſpeciali Articulo in Curlandiam renunciare recuſant. 84. noua Procuratoria accipiunt. 88-90. 563 ſq. Amneſtiam duplicem requirunt. 123. 264-266. Croiani Ducis cauſſam agunt. 116. 569. de quibus cum Caeſarianis egerint? 137. 141. 144. 216. 219. 221. in armiſtitium conſentiunt. 141. ſtationem Regiam muniri indigne ferunt. 167. Elbingam Electori Brandeb. concedi poſſe negant. 170-179. 224. guarantiam pacis vrgent. 196 ſq. Electori Iuliacenſem titulum negant. 213. n.* Regem Poloniae cur nolint ſalutare? 215. Neoburgici cauſſam agunt. 263. 276. Daniae Regem paci includi

Digitized by Google

cludi tandem concedunt. 266. item Articulum de Paſquillis omittunt. 276. Regis ſui titulos tuentur. 310. inuiſunt Polonos. 329. item Brandeburgicos. 343. muneribus ornant Abbatem et monachos Coenobii Oliuenſis. 344. monumentum Pacis ibi erigi curant. *ibid.* per Secretarium ſalutant Caeſarianos. 349. de Pacificatione ad Regem ſuum referunt. 354-370. Curlandiam, tamquam Liuoniae partem, Regi ſuo vindicant. 543. qua ratione Duci velint ſatisfieri? *ibid.* n. * in Duciſſam inuehuntur. 540. n. ** Felkerſamium ſine ſaluo conductu admittere nolunt. 542. in Caeſarem et Brandeburgicum conuicia iactitant. 546. neutralitatem Duci conceſſam negant. 554. n. ** eius reſtitutionem protrahunt. 558. necdum pace facta fieri poſſe negant. 559. a Curlandia petenda tandem deſiſtunt. 560. eorum Procuratoria an morte Regis exſpirauerint? 563. negat Lumbranus. 564. Curonis immunitatem a lignatione concedunt. 565. negotium pacis paene confectum nouo poſtulato perturbant. 567. praefecturam Baldenenſem obtinent. 568.

— — *Polonici*, Pacis Proiectum exhibent. 3. ciuitates Pruſſicas amneſtia comprehendere nolunt. 6. 8. pacta Bidgoſſiana, propter Elbingam, haud eſſe tollenda putant. 8. ea in Articulo Amicitiae nolunt exprimi. 19. Danum admitti cupiunt. 9. 511. de Liuonia cum Suecis diſceptant. 10 ſq. 66. 262. 567 ſq. ſatisfactionem pecuniariam Suecis planiſſime negant. 25. 560. 567. minantur abitum. 34. 514. poſtulatis Suecorum vehementer commouentur. 37. 567. de renunciatione Regis ſui in Sueciam agunt. 63. 69. 72. 75-78. eorum de etceterationibus petitum. 73. ratificationem Pacis in Comitiis ſuperuacaneam ducunt. 74. de Hiſpanica mediatione quid iis viſum? 80. bibliothecam Regis repetunt. 82. Gedanenſium commerciis proſpiciunt. 101. Comitibus Dohnenſibus ſatisfacere nolunt. 117. Amneſtiam particularem recuſant. 122. 144. eorum ad Proiectum Suecicum, ſuper Amneſtiae Articulo, monita. 155-157. 166. inuiti in traditionem conſentire videntur. 174. guarantia nondum conſtituta, nolunt vlterius progredi. 193. in cauſſa Croiani Ducis defectum mandati obiiciunt. 206. vtrum Regina vidua Sueciae ſubſcribere paci poſſit, dubitant. 235. eorum de cauſſa Neoburgica iudicium. 263. 276. inuiſunt Suecos. 328. Studia ſua Duci Curlandiae pollicentur. 541 ſq. Legato Belgico *Excellentiae* titulum negant. 553 n. ** de pace particulari, cum Suecis ineunda, cogitant. 555. 560. pacis negotium feſtinant. 557. Curlandiam et Piltenſem Tractum Suecis cedere abnuunt. 560. Ducis Curlandiae reſtitutionem vrgent. 563. eum contra Lumbranum ſtrenue defendunt. 567.

— — *Caeſariani*, pacem impedire creduntur. 127. 168. Amicitiae Articulum quomodo conficiendum putent? 163. pacem promouere ab Caeſare iubentur. 184. rupturam minantur.

Digitized by Google

tur. 198. eorum ad quoſdam Articulos reſponſa. 216. 219 ſq. Neoburgicum paci includi volunt. 263. Sueco titulum Scaniae, Iuliaci, Cliuiae et Montium negant. 223. 309 ſq. iis praeſentibus, Mediator adeſſe non poteſt. 314. per Secretarium pacem gratulantur Suecis. 343.

— — *Brandeburgici*, Suecis aduerſantur. 33. 37. Elbingam Electori tradendam aſſerunt. 41. 44. 170. 274. 442. nec tamen iure hypothecario. 181. n. * Bidgoſſiana pacta confirmanda cenſent. 44. 123. 128. 144. 153. Religionis Articulum confici cupiunt. 46. ad Articulum, de non danda hoſtilibus claſſibus ſtatione, reſpondent. 119. pacem impedire ſtudent. 127. 565. Tabulas foederum a Suecis reddi volunt. 128 - 131. Diffidentium cauſſam agunt. 133 ſq. pro reſtitutione locorum in Pomerania quid poſtulent? 151. vectigalia Pomeranica nolunt habere communia. 188. 473. 632. Sueco negant Iuliacenſem titulum. 213. n. * Neoburgicum paci nolunt includi. 246. 251. 263. 276. ſalutant Suecos. 343. - Felkerſamium de Suecorum, in Curonica cauſſa, conſiliis certiorem reddunt. 550. Honarti, de exſequenda pace, ſententiam probant. 552. cum eo ſuper praecedentia contendunt. 553. n. *

— — *Foederatorum*, Proiectum Pacis tradunt. 3. Danum admitti volunt. 9. 562. Amneſtiae particularis nolunt fieri mentionem. 122. repudiant armiſtitium. 200. paci a Regina vidua Sueciae ſubſcribi volunt. 235. opem ſpondent Polonis, ni pax fiat. 514. a pace particulari abhorrent. 555. vniuerſalem anhelant. 557. poſtulatis Suecorum perturbantur. 567.

Legatus Belgicus. v. Honartus.

— — *Danicus.* v. Parſbergius.

— — *Gallicus*, Mediator. v. Lumbranus.

— — *Moſcicus.* v. Moſcicus Leg.

— — *Neoburgicus.* v. Rautenſteinius.

Leſcinius, (Ioh.) Palatinus Poſnanienſis, Legatus Polonicus, ipſe Propoſitionem Polonicam delineat. 544. eius de negotio Danico ſententia. 550. Legatum Belgicum ad pacificationem vult admitti. 552. in Suecos inuehitur. 559. Declarationem Suecicam Felkerſamio, ad diluendum, tradit. 561. pacis negotium protrahendum putat. 561. poſtulata Curonica Proiecto Pacis inſerta narrat. 562. Dunae medietatem vtriuſque Liuoniae terminum eſſe cupit. 559. cf. Legati Polonici.

Liſola, (Franciſcus L. B. de) Legatus Caeſareus, ſuper guarantia ordinanda colloquitur cum Mediatore Gallo. 198. difficultatem monet de inuitatis ad guarantiam Statibus. 456 ſq. impenſe fauet Dano. 513 item Duci Curlandiae. 543. 556. cf. Legati Caeſ.

Liuonia: eius de ceſſione, inter Polonos et Suecos, actum. 10. 14. 21. 55. 57. 63 - 67. limites controuerſi. 10. 14. 18. 21. 562. 568. per arbitros conſtituendi. 16. 66. 228. de titulis et inſignibus actum. 65. 81 ſq. item de Sacris. v. *Religio.* de ceſſione conuenit tandem. 81. 90. ea vtrum extendenda? 220. 227. 272. 289. an ſollemni diplomate facienda? 142. 243 - 246. 261 - 263.

Impe-

— — Imperii Germanici in eam ius vnde ortum? 576. Henricus VII. Rex, Epiſcopum Liuonienſem in Principum Imperii numerum refert. 577. nexus, cum Imperio, natura et indoles. 578 - 581. cum Polonis initae pactiones. 581. a Germanis in bellis Moſcicis haudquaquam deſtituta auxilio. 582. ei in Pace Stetinenſi proſpectum. 582. 584. n. * vt in clientela ſaltem Imperii maneret, in Comitiis cautum. 584. a Moſco Polonis ceditur. 585. eius recuperandae animum non abiecerunt Equites Teutonici. *ibid.* 587. vt Imperio reſtituatur, Caeſares olim, ſingulis trienniis, ſollemni formula poſtularunt. 586. ius Imperii nec in Pacificatione Oliuenſi periit. 586. neque nunc pro neglecto habendum. 588.

— — Suecis a tribus Imperatoribus conceſſa fertur. 553. 590. 593. 598. 603. iis iam Olai II. Regis temporibus paruit. 589. Eſtoniam occupant. 590. ea a Polonis repetitur. 591. iis a Legatis Sigiſmundi III. Regis promittitur. 592. ceditur a Sigiſmundo. 594. Suecorum et Polonorum inde orta contentio, vſque ad ſexennes inducias. 592 ſq. ſuper ea quid actitatum in Pacificatione Stumdorfiana? 596 - 598. item in Veſtphalica? 598. atque in conuentu Lubecenſi? 599. Caroli Guſtaui varia conſilia. 601 ſq. Gradus, quibus in hoc negotio videatur eundum, a Polonis deſcripti. 604 - 606. eorum reſtrictio. 607 ſq.

Lubeca: bis ibi de pace perficienda, inter Polonos ac Suecos, actum. 539. n. *

Lubienicius, (Staniſlaus) Diſſidentium cauſſam diligentiſſime agit. 131. n. *

Luciani, (Sebaſtianus) Secretarius Hiſpanicus, Oliuam venit. 80. non admittendus videtur Suecis. *ibid.* 90. Caeſarem pacis ſtudioſum eſſe teſtatur. 184. guarantiam pacis Hiſpanicam offert. 437.

Ludouica Maria, Regina Poloniae, pacis negotium promouet. 110. Danis aduerſatur. 502. 505. 513. Lumbranum increpat. 568.

Lumbranus, (Antonius) Legatus Gallicus, Amneſtiam generalem proponit. 5. 150. ciuitates Pruſſicas priuilegia ſua amiſiſſe contendit. 6. eius in negotio Danico ſententia. *ib.* de pace deſperat. 20. 34. Regi Poloniae titulum Suecicum, ad dies vitae, reſeruare ſtudet. 24. guarantiam Articulo Securitatis comprehendi exiſtimat. 29. religionis curam habet. 59. ratificationem Pacis in Comitiis Polonicis negat eſſe neceſſariam. *ibid.* armiſtitium ſuadet. 141. guarantiam proponit. 142. 193. non fauet Diſſidentibus. 150. Elbingae cauſſam egiſſe ſe teſtatur. 170. Articulum Pacis Promulgatorium, ſollemni ritu, inter partes permutat. 303. item Inſtrumentum Pacis. 334 ſq. eius mediatio a Caeſarianis non agnita. 214. 423. 443. a Suecis muneribus ornatur. 409. 472. cauſſam Curonicam ſibi inprimis curae fore promittit. 539. 556. Ducis reſtitutionem, pace nondum perfecta, negat fieri poſſe. 548. non ſcripto amplius, ſed coram, inter ſe Legatos agere cupit. 555. varios accelerandae pacis modos proponit.

ponit. *ibid.* Procuratoria Suecica morte Regis exſpiraſſe negat. 564. Decreta, inter Curonos ac Rigenſes, lata a Suecis non vult tolli. 566. Felkerſamio, inter Legatos, locum non poſſe concedi contendit. *ibid.* eius cum Felkerſamio altercatio. *ib.* Polonos offendit. *ibid.* reprehenditur a Regina. 567. tractatus vt renouentur, efficit. 568.

M

Mariaeburgum, Poloni repetunt. 565. euacuare Sueci pollicentur. 28. eius euacuatio pro medio maturandae pacis habetur. 141. ſecuritati cautum. 420 ſq.

Mediatio Pacis, conceſſa Gallo. v. Lumbranus.

— — *Belgica.* v. Honartus.

— — *Hiſpanica.* v. Luciani.

Megapolitanus Dux, paci includendus. 447 ſq. fruſtra per Ablegatum ſatisfactionem petit. 442 ſq.

Meyenreis, Conſul ciuitatis Elbingenſis, Oliuam miſſus. 173.

Mitauia, caput Curlandiae: eo liberam nauigationem eſſe cupiunt Poloni. 4. 18. 20. 102. negant Sueci. 18-20. 106. ciuitatis grauamina. 569. ad cauſſas minores referuntur. 571.

Militia: praetorianam a Suecis Oliuam adduci nolunt Poloni. 20. praeſidiariam in Pruſſia Sueci conſeruare ſtudent. 21. 25. 36. eius de deductione actum. 25. 27. 34. 36. 55. 158-160. 271. 273 ſq. 285. 295.

Morſtinius, (Ioh. Andr.) Legatus Polonicus, guarantiae Articulum concipere pollicetur. 196. Parſbergium ſalutat. 496. 503. formulam Pacis in litteras redigit. 558. cf. Legati Pol.

Moſciae Magnus Dux, Poloniae imminet. 549. qua lege pacem facere velit? *ibid.* cum Sueco foedus inire vult. 561.

Moſcicus Legatus: quo ritu Czari litteras Regi Poloniae tradiderit? 564.

N

Neoburgicus Dux: eum paci includi volunt Sueci. 235. 246. nolunt Brandeburgici. 246 ſq. eius cauſſae fauet Rex Poloniae. 251. ea de re, inter Brandeburgicos et Polonos, diſceptatio. 263. 272. 276. 294.

O

Ogerius, (Carolus) eius Ephemerides laudantur. 36. 46. n.* 215. 597. 611.

Oliuenſis Pax. v. Pax Oliuenſis.

Omina pacis, 7. 32. 212. 457.

Oſtauius,(Alb.) Legatus Brandeburgicus, Lumbranum partium ſtudio laborare ait. 547. eius maiores. 647. cf. Legati Brandeburgici.

Oxenſtierna, (Azelius) de variis tractatibus inter Suecos et Polonos, pacis cauſſa habitis, Commentarios ſcripſit. 596. n.*

Oxenſtierna, (Benedictus) Legatus Suecicus, pacta Varſauienſia tollenda exiſtimat. 5. in Polonia et Dania ſimul tractatus pacis haberi poſſe negat. 7. cf. Legati Suecici.

P

Pacius, (Chriſtophorus) Legatus Polonicus, de Suecorum iniquitate queritur. 558. Tractum Piltenſem non niſi hypothecario iure ad Ducem Curlandiae pertinere putat. 561. Dunae medietatem terminum eſſe vult

Digitized by Google

vult vtriuſque Liuoniae. 562. morte Regis Sueciae pacificationi moram iniectum iri exiſtimat. 563. Brandeburgicos pertinaciae adcuſat. 565. Gradus in negotio Liuonico proponit. 603. 607. cf. Legati Polonici.

Parſbergius, (Chriſtophorus) Legatus Danicus, ad pacificationem admitti cupit. 494. de pacificatione ad Regem refert. 495 ſq. 498. 501. 503 ſq. 510. eius apud Regem Poloniae audientia. 496 ſq. n. *** ad eumdem oratio. 521. omnia fruſtra tentat. 501. 508. cum Brandeburgicis ſuper praecedentia lis. 507. n. *** cum Polonis congreditur. 510 ſq. vt Dania paci includatur, tandem efficit. 516 ſq.

Paſquilli, vtrum peculiari Articulo vetandi? 109 ſq. id quod Polonis videtur ad Amneſtiam pertinere. 118. 276. a Suecis commendatur Lumbrano. 125.

Paſtorius, (Ioachimus) laudatur. 186. donatur a Suecis. 416. ab Venceslao Leſcinio, annuo ſtipendio auctus. 645. ab Electore Brandeb. Hiſtoricus Brandeburgicus conſtituitur. *ibid.* amicus Buchneri. *ibid.*

Pax: eius ſecuritas in mutua guarantia conſiſtit. 196. guarantia eſſe debet voluntaria. 197.

— *Bromſebroenſis*, tractata ſub tentoriis. 356. n. *

— *Oliuenſis*: eius Proiectum. 3. ſecuritas quomodo definienda? 196 ſq. eius guarantia. v. *Guarantia*. Articulus Promulgatorius componitur. 297. 303. inter partes ſollemni ritu permutatur. 303. 635. Inſtrumentum concinnatur. v. *Inſtrumentum*. ſubſcriptio & permutatio quando facta? *ibid.* Inſtrumentum. v. *Inſtrumentum.* concluſio. 572. ratificatio. v. *Ratificatio.* cum pace Vueſtphalica collatio. 637. in Articulo Amicitiae. *ibid.* in Amneſtiae formula. *ibid.* in cauſſa religionis. *ibid.* in guarantia. 638. in ſingulis formulis. *ibid.*

— *Stetinenſis*: eius Extractum, de Paſquillis. 109. 125. 275. in ea quid de Liuonia ſtatutum? 582. 584. vtrum Latine ſcripta? 647.

— *Vueſtphalica*: ad eam prouocatur in renunciatione foederum. 12. 122. 130. 140. in cauſſa religionis. 27. 359. in ceſſione Liuoniae, ſollemni diplomate facienda. 142. 244. in guarantia. 196 ſq. 362. in reſtitutione Ducis Curlandiae. 542. ex ea quae perſequenda reſtant, a Pacificatione Oliuenſi excluduntur. 137. 217. 637. eius, cum Pace Oliuenſi, ſimilitudo. 637. cf. *Pax Oliuenſis*. de ſtilo iudicium Saluii. 638.

Pergamenae vſus, in Tabulis Publicis expediendis. 322. n. *

Piltenſis Tractus: ſuper eo Felkerſamius agit cum Lithuaniae Cancellario. 557. 561. quo iure is ad Ducem Curlandiae peruenerit? 561. Eualdi Sackenii conſilia. 570. Duci a Rege reſtituitur et confirmatur. 647 ſq.

Plenipotentiae. v. Procuratoria.

Poloni. v. Legati Polonici.

Poloniae Rex. v. Iohannes Caſimirus.

Pomeraniae vectigalia. v. Vectigalia.

Praecedentia, inter Legatos Danicum et Brandeburgicos controuerſa. 507. item inter Brandeburgicos et Belgicum. 553.

Praeſcriptione ius Imperii, in Liuoniam, non periit. 584.

Praſmouius, (Nicolaus) Legatus Polonicus, Liuoniam ſeruari poſſe ſperat. 543. imprudentiam Ducis Curlandiae adcuſat. 562. mortuo Rege Sueciae tractatus amplius continuandos negat. 563. Syndico Ciuitatis Gedanenſis, Regis nomine, reſpondet. 572. cf. Legati Polonici.

Procuratoria, Inſtrumento Pacis addenda. 339. 342. 352.

— — *Suecica*, noua adferuntur. 88. antiqua exſpiraſſe dicuntur morte Regis. 563 ſq.

— — *Polonicum* nouiſſimum. 348. n. **

— — *Caeſareum* nouum. 113. Suecorum in eo deſideria ac monita. 114.

— — *Brandeburgicum*, intra tempus Ratificationis extradendum. 342. 393.

— — *Danicum*. 507.

Promulgatorius Articulus. v. Pax Oliu.

Pruſſia: eius ciuitatibus proſpici cupiunt Sueci. 5 ſq.

R

Radziuilia (Anna Maria) Birſorum Duciſſa: eius rationem Sueci haberi volunt. 36-39. 62. id aegerrime ferunt Poloni. 37 ſq. ſuper ea re diſceptatio. 117 ſq. 136 ſq. 152. 311 ſq. ad eiuſdem litteras Suecorum reſponſum. 371.

Radziuilius, (Boguſlaus) copias e Curlandia, non niſi Brandeburgici iuſſu, abducere vult. 569.

Rakocius, Tranſſiluaniae Princeps, vtrum paci includendus? 252. 276.

Ratificatio Regis Poloniae a Suecis requiritur. 40. 59. 64. 236. vtrum a Rege, an in Comitiis fieri debeat, diſceptatum. 40. vtrumque ſuperuacaneum ducunt Poloni. 59 ſq. 74. tres Ratificationes Sueci requirunt. 74. 420. de Articulo Ratificatorio diſputatum. 217. 241-246. 257-260. ſuper euentuali Ratificatione Regis actum. 226 ſq. 236. 238-241. 262 ſq. 325. eius formula. 389. item actum de reliquis formulis. 231-234. 278. 284. 290-293. 306-308. 312-314. 325-328. 404. item de ſubſcriptione. 315. 329. 332. ad permutationem Ratificationum inſtructio Secretarii Suecici. 408. de eadem actum. 422 ſq. 455-464. 468 ſq.

— — Articuli Separati de Elbinga. 332. 405. eam ſibi tradendam Legatus Brandeburgicus contendit. 465.

Rautenſteinius, (Ioh. Erneſtus) Legatus Neoburgicus: eius, de renunciatione Regis Poloniae in Sueciam, iudicium. 69. Receſſum Limitaneum Brandeburgicis parum cordi eſſe dicit. 153. Principis ſui cauſſam commendat Suecis. 238. item incluſionem. 251. 294. eius contra Brandeburgicos proteſtatio. 272. n. * Polonis offert Principis ſui guarantiam. 428. n. * cauſſam Curonicam apud Suecos agit. 559. pacem a Suecis vel inuitis concluſum iri adfirmat. *ibid.* eorum, de Paſquillis, querimonias refert. *ibid.*

Reformandi ius, Sueci in Liuonia ſibi vindicant. 27.

Regina vidua Sueciae, Rege filio minorenne, vtrum poſſit pactis publicis ſubſcribere, diſceptatum. 235 ſq.

Religio: Catholicae liberum in Liuonia exercitium poſtulant Poloni. 22 ſq.

Digitized by Google

ſq. 25-28. 41. 44. ne priuatum quidem Sueci concedere volunt. 22. 42. nemini tamen religionis cauſſa vim illatum iri ſpondent. 22. 26. 42. inhaerent Induciis Stumdorfianis. 42. ea de re diſputatio. 45 - 48. 53-57. 59. 63 ſq. Sueci varia conſilia agitant. 49 - 57. qua formula tandem conuentum? 90 ſq. in Stumdorfiano conuentu, ſuper cauſſa religionis, contentio. 609-616.

Renunciatio Regis Poloniae, in Sueciam, ante omnia videtur expedienda. 52 ſq. 62. ſuper formula actum. 58. 60. 63 ſq. 68-73. 75-79. 272.

— — in Liuoniam. v. Liuonia.

— — foederum. v. Foedus.

Reſtitutio locorum in Pomerania et Holſatia gratuito facienda. 33. 35. vrgenda videtur Suecis. 36. 62. ſuper ea diſceptatum. 74. 189 ſq. 205. 210. 249.

— — in Pruſſia et Liuonia. 34. 53. 63. 81. 90. 159. 162-166.

Reyus, (Vladiſlaus) Legatus Polonicus, de euacuatione locorum, cum Lumbrano, agit. 446 ſq. ei res Elbingana, rogatu Brandeburgici, expedienda permittitur. *ibid.* n. * cf. Legati Polonici.

Riga, vrbs Liuoniae: eius cum Duce Curlandiae tranſactio. 10. 106.

S

Sacken, (Eualdus a) Praefectus Piltenſis: eius ſuper tractu Piltenſi conſilia. 570.

Saluius, (Adler) eius de ſtilo Inſtrumenti Pac. Weſtph. iudicium. 638.

Saluus Conductus, a Suecis pro galeotis Elbingenſibus poſtulatur. 35 ſq. 44. 62. ab iiſdem Parſbergio negatur. 494. n. ** ſine eo Felkerſamius Dantiſcum venit. 541. 556.

— — *Suecicus* nouus. 88.

— — *Caeſareus*. 113. Suecorum in eodem deſideria. *ibid.*

— — *Brandeburgicus*, pro Suecis. 113. eorum deſideria. 114.

Satisfactio, a Suecis proponitur. 22. 567. prorſus abnuitur a Polonis. 25. 567. ſuper ea inter vtroſque acerrima diſputatio. 26-28. 31-33. 39. 53. 60. 91. eius cauſſa Sueci rupturam pacificationis metuunt. 34. nec tamen ipſi volunt tractatus abrumpere. 36. ſilentio tandem inuoluitur. 55.

Schlippenbachius, (Chriſtophorus Car.) Comes, Legatus Suecicus, Brandeburgicos adcuſat. 5. de Diſſidentibus inique iudicat. 136. Elbingae cauſſam agit. 170. eiuſdem de guarantia ſententia. 197. Libellum Memorialem Polonis ſecreto offerendum curat. 506 ſq. illius exemplum. 527-534. cf. Legati Suecici.

Schroeerus (Godofr.) Legationis Suecicae Secretarius, a Legatis Regi commendatur. 392. eius ad Ratificationem exhibendam inſtructio. 408 ſq.

Schwederus, Ducis Croiani ablegatus. 130. 207. Recredentiales a Suecis petit. 382.

Signa nautica, in littore Piltenſi a Suecis erecta, vtrum tollenda? 105. 561.

Spemannus, (Ioh.) Vrbis Gedanenſis Conſul. 644.

Straſburgum, oppidum Pruſſiae: de plenaria praeſidii reſtitutione actum. 36. 41. 47. 50. 129 ſq. 155. 286. 296. 418-421. 437.

Stumdorfiana Pacificatio, ſub tentoriis agitata. 356. n. *** in ea quid de Liuonia Poloni petierint? 596 ſq.

quid

Digitized by Google

quid tandem conuentum? 598. de Sacris contentio. 609 ſq. cf. Religio.
Stumdorſiana Pacta: ad ea in Pacificatione Oliuenſi ſaepiſſime prouocatum, in conſtituendis Liuoniae finibus. 18. 22. in cauſſa religionis. 23. 30. 42. 46. 48. n. ** 359. n.* in ſatisfactione. 36. in reſeruatione tituli. 39. n. * in ratificatione pactorum. 40. 59. 237. n.* in Iudicatis et debitis. 85. in ſalutatione Regis. 215. n. *
Sueci. v. Legati Sueciei.
Sueciae Rex. v. Carolus Guſtauus: item Carolus XI.

T

Terlonus, (Hugo) Legatus Gallicus ad Regem Sueciae. 5. Regem ſuum pacem, per Septentrionem, adeo emturum adfirmat. 31 ſq. Aulicum mittit Sobothum. 89. 110.
Titulus Suecicus: eum Ioh. Caſimirus, Rex Poloniae, ad dies vitae ſibi ſeruari cupit. 24 qua ei lege renunciare velit? 31. inter vtraſque partes ſuper eo diſceptatum. 26. 38. 54. 58 ſq. monita quaedam Guldenclouii. 43. n. ** ſq.
— — *Liuonicus.* v. Liuonia.
— — *Eſtoniae,* inter Polonos et Chriſtinam Reginam diſceptatus. 596.
— — *Scaniae,* negatur Sueco. 223. 309. n. * 314. 353.
— — *Iuliacenſis.* v. Iuliacenſis titulus.
— — *Celſitudinis,* Duci Croiano denegatur a Polonis. 275.
— — *Excellentiae,* Legato Belgico ab iiſdem negatur. 553. n. **
Tractatus Pacis, vtrum duobus locis ſimul haberi poſſint? 7. in iis ſecundum ordinem procedendum. 125 ſq.
Tormenta, repetunt Poloni. 96-99.
Treſchenbergerus, Ciuitatis Elbingae Deputatus ad Pacificationem Oliuenſem. 178.

V

Vectigalia Liuonica, vtrum Articulo Speciali conſtituenda? 44. 100. 108. in Viſtula fluuio. 211. item in Viadro, et Vartha. 108.
— — *Pomeranica,* a Suecis noua inſtituta. 628. in Pacificatione Vueſtphalica vehementer diſceptata? *ib.* quaenam Suecis confirmata? 629. ad vniuerſam Pomeraniam ab iis extenſa. *ibid.* Receſſu Stetinenſi cur Brandeburgico communicata? 630 ſq. de quo eorum conſortio actum in Pacificatione Oliuenſi. 188. 473. 632. quibus conditionibus illud Sueci abolere voluerint? *ibid.* res quomodo tandem compoſita? *ibid.*

W

Waldeccae Comes (Ge.Frid.) bonis ab Electore Brandeburgico priuatus. 396. n.* eius cauſſam agunt Sueci. 420. 432. 436 ſq. 446.
de Waltheimt, Legationis Caeſ. Secretarius, Ratificationem permutat. 455. in inuitatione Regis Catholici ad guarantiam nihil ſubeſſe doli contendit. 468.
Weidenhain, (Ioh. de) Conſiliarius Aulicus Sueciae. 10. ſuper iure Suecorum, in vniuerſam Liuoniam, conſulitur. 11. 19. item ſuper religionis negotio. 50. ad Legatum Belgicum mittitur. 89. 95. Varſauiam ſubdelegatur. 381. eius inſtructio. 384-388.
Weſtphalica Pax. v. Pax Vueſtphalica.
Wittenbergius Comes: eius heredes nihil a Polonis obtinent. 119. iis, a Brandeburgicis caueri volunt Sueci. 160.

Z

Zadzicius, Supremus Poloniae Cancellarius, liberum Cath. Rel. in Liuonia exercitium vrget, in conuentu Stumdorfienſi. 609 ſq.
Zaporouiana Militia. 150. 158. 168.

Emendanda.

p. 57 in marg. l. 55
— 157. lin. 7. *pluribus priuilegiis* l. iuribus & priuilegiis
— 159. lin. 4. *Elbinga* l. Elbingam
— 264. in marg. l. 164
— 188. d. $\frac{11}{21}$ April. l. d. $\frac{21}{11}$ April.
p. 337. lin. 12. *geſtum* l. geſtu
— 517. lin. 16. Die $\frac{3}{4}$ l. Die $\frac{2}{4}$
— 578. lin. 1. *parta* l. pacta
— 576. n. * *Origenes* l. Origines
— 603. lin. 20. *animis* l. annis
— 646. lin. 2. *factis* l. fatis

Bayerische Staats- bibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google

xx 11/2003

Digitized by Google

Digitized by Google